BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
29 A
13

FABVLAE

ÆSOPICÆ,

Plures quingentæ, & aliæ quædam narrationes, cum hiſtoria vitæ fortunaq; Aeſopi, compoſitæ ſtudio & diligentia [redacted] *quibus additæ ſunt & Liuianæ & Gellianæ ac aliorum quædam, cum interpretatione Græcorum, & explicatione quorundam aliorum.*

Coll. Rom. Soc. Jesu
Bibl. Soc



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNÆSIVM,
TYPOGR. REGIVM.
M. D. LXXI.

Ex Legato Illustriss: Coccini.

DE VITA ET MORIBVS FORTVNAQVE ET INTERITV AESOPI.

BIBLIOTECA NA[Z.] ROMA VITTORIO EMANUE[LE]

*

AESOPVM *Fabellarum illum mirificum artificem, in Phrygia, eius quæ magna dicitur, vrbe Ammorio, natum eſſe inuenio. Neque tamen deſunt, qui Thracem Meſembrianum fuiſſe perhibeant. Neque item alij qui Samium. Sanè inter pluresq; conſtat, hunc vixiſſe potiente rerum in Lydia Crœſo, & ſeruitutem ſeruijſſe Xantho cuipiam Samio. Quibus etiam temporibus multi ſapientiſſimi viri floruerunt, è quibus potiſſimum ſeptem à poſteritate nominatim celebratos legimus. Ea tempeſtate, ingenij bonitas & ſapientia vſus non de exquiſita verborum compoſitione, & longæ orationis cura æſtimabatur, ſed potius de dictorum grauitate & ſignificantia, quibus præcipua vtilitas ineſſet, quæq; doctrinam complecterentur qua homines meliores fierent. Quod ſatis liquet ex illorum, quos dixi ſapientum dictis, quæ ipſorum propria fuiſſe traduntur. Veluti quo Solonem vſum ferunt, ſpectandum ſemper eſſe diuturnæ vitæ terminum. Bias verò animaduerſa rerum humanarum prauitate, queri ſolebat, maiorem eſſe vbique improborum numerum. Thales*

b   *ſpond*

ſpondentibus pro alijs præſto noxam eſſe aiebat. At Pittacus pulcerrimam rem modum commendans, habebat crebro in ore, Ne quid nimis, vt Terentius dixit: vel quemadmodum alij tradiderunt, obſerua tempus. Periander monebat frenandam eſſe iram, vel vt alijs video placuiſſe, ſtudio & exercitio nihil non obtineri. Lacedæmonius Chilo iubebat quenque noſſe ſe. Cleobulus affirmabat mediocritatem eſſe omnium rerum primam. Quia verò hæc breuitatis cuiuſdam diſertæ, & vt ita dicam copioſæ laudem habēt, quam noſtræ interpretationes tenere non poſſunt, atque haud ſcio an linguæ latinæ natura ab hac ſit alienior, ideo illa ipſa, quæ ἀποφθέγματα vocantur, dicta rotunda & illuſtria, Græce, hoc eſt ſua voce exponemus. Solonis igitur eſt: τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου. Biantis: πλείους κακοί. Thaletis: ἐγγύα πάρα δ᾽ ἄτη. Pittaci: μηδὲν ἄγαν. vel, καιρὸν φυλάσσου. Periandri: ὀργῆς κρατεῖν. vel, μελέτη τὸ πᾶν. Chilonis: γνῶθι σεαυτόν. Cleobuli: ἄριστον τὸ μέτριον. vel, μέτρον ἄριστον. Atque horum dictorum aliquot ea reuerentia ab antiquitate iā honor habitus fuit, vt pro foribus Apollinis Delphici, tanquam non humanæ ſed diuinæ voces, ſcriberentur. Sed nunc ad inſtitutam de Aeſopo hiſtoriam reuertamur. Eum Herodotus ἱστόρηται ſeruum fuiſſe Iadmonis Samij, qui eodem tempore ancillam habuerit Rhodopin, hoc argumento colligit: Cùm enim, inquit, Delphicum oraculum iuſiſſet Aeſopo pœnas pendi, nemo inuentus eſt, qui has illius nomine expetere vellet, præter vnum Samium ciuem, nepotem Iadmonis, auo cognominem. Sanè & vtrique horum ſeruire Aeſopus, & veritas priſca rei perturbari potuit. Verum cū propoſuerim de vita & moribus Aeſopi narrationem texere, conquirens ea quæ à veteribus tradita eſſent, ſequar id quod eſt maximè receptum, venijſſe in Samo Aeſo-

pum

pum Xantho Philoſopho, qui tandem inuitus libertate illum donauerit, permotus ac potius coactus flagitatione & clamore populi Samij.

Aeſopum igitur conditione ſeruum fuiſſe comperio, & corpore valde deformi ac fœdo, colore atro, vnde & nomen illi inditum videtur. Nam Aeſopus, & qui propter oris nigri quaſi fuliginem, Aethiops dicitur, idem ſignificant. Præterea acuto capite, collo breuiſſimo, labijs dependentibus, denique ea turpitudine, qua humana figura maxima depingi poſſet. Contra verò, nemo vnquam ſenſuum ſubtilitate & ingenij acrimonia maiore præditus fuiſſe perhibetur. Itaque corporis tam indigeſta moles mentis ſpecioſiſſimæ ſedes fuit. Quod quidem ipſum, etſi raro, non tamen nunquam animaduerſum eſt, docuitq́ mortales, non eſſe de externa rerum ſpecie ſummam bonitatis æſtimandam. Sanè verum eſt, ferè animi generoſi eximium decus ſeſe proferre & explicare ſolere, inq́ corporis venuſtate eluceſcere. Quod & ipſum ſapientiſſimus Homerus ſenſit, cum ſic furioſum Therſiten depinxit, vt in imagine hominis improbitas & malitia perſpiceretur. Ita enim inquit Iliad. B

Multorum vir erat verborum, quæ tamen ille
Ordine non vllo aut decore eructata vomebat,
In reges celeri iaciens conuitia lingua,
Scurrili captans popularem voce fauorem.
Hic deformi omnes ſuperabat corpore Graios,
Qui pede calcarunt hoſtili Troïa rura:
Diſtortis oculis, talo vitiatus in vno,
Pectore gibboſis humeris coëuntibus arcto,
Collis erat capitis coma quem male rara tegebat.

Quid dici poterat tetrius? At principibus & ducibus Græcorum quantam dignitatem corporis & maieſtatem oris accommodat. Proinde laudatur aliqua in tragœdia pronuntiatus Euripidis verſus:

πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Primum ipſa digna ſpecies imperio fuit. Ceterùm vt diximus, interdum hoc à natura non fuiſſe obſeruatum intellectum eſt: Neque pauci magni & clari viri oris & membrorum elegantia caruiſſe traduntur, veluti Philopœmen Imperator Achæorum, qui eo nomine irriſus à Flaminio fertur. Idemq́, cùm aliquando ab hoſpitis vxore appellatus pro Imperatoris miniſtro, rogatusq́ eſſet vt ſeſe in apparandis rebus neceſſarÿs adiutaret, arrepta ſecuri ligna findere cœpit. Superueniente autem hoſpite & pudore ac dolore confuſo, iuſſit illum bono eſſe animo Philopœmen, ſe enim pro oris deformitate toto corpore pœnas luere. Similiter Socrates aſpectu minimè amabili & digno animi ſui præſtantia ſcribitur fuiſſe. Itemq́ diu poſt Epictetus Philoſophus, quod ipſum epigramma etiam teſtatur:

Seruus Epictetus vitiato corpore fœdus,
Alter inops Irus charus eram ſuperis.

Idq́ ab Homero quoque his verſibus confirmatur: ὀδυσ. θ.

Di bona non vni dant omnia, formam, animumq́,
Verborumq́ ſonum placidum & ſapientia dicta.
Namque aliquis facie eſt, pulchro neq́ præditus ore
At formam deus exornat ſermone venuſto,
Totaq́ in hunc oculos intendit concio, quando
Sana verecundo profert è pectore dicta,
Demulcens animos populiq́ per agmina regnans,
Illum incedentem ceu Numinis ora tuentur.
Contra eſt qui ſpecie diuis non cedit. At illi
Gratia ſermonis conceſſa eſt nulla diſerti.

Diodorus Siculus quoque libro XIII. Gellian quendam Agrigentinum fuiſſe narrat ſpecie corporis futilem atque contemnendum, ſed cum ingenio præſtantem, tum honeſtatis virtutisq́ laude ornatiſſimum,

mum, quam Græci καλοκἀγαθίαν nominant. Quæ quidem ipſa huic de Aeſopo hiſtoriæ planè conueniunt. Vtrum verò ille & balbutierit aliquando, & tantum non mutus, & diuino beneficio orationis copiam conſecutus fuerit, de eo vt quiſque volet exiſtimet. Ego cur verum eſſe credere debeam, non video. Quare quæ de hoc traduntur prætermittam, & quomodo in Samum peruenerit, quibúſque factis ac dictis adhuc ſeruus famæ celebritatem, & poſtmodo libertus populi Samij, laudem & gloriam promeruerit, deinceps exponam. Forte accidit, vt Aeſopus cum alijs aliquot mancipijs Epheſum ad mercatum mittendus eſſet. Cùm autem, quæ illuc deferri dominus iuſſerat, ea ſerui inter ſe partirentur, & ſe quiſque oneri ſuo ferundo, ita vt fit, accingeret, vehementer Aeſopus orauit, vt ſibi & non valido & nouitio homini parcere, & aliquid cui portando ſufficeret, imponere vellent: Quem intuiti omnes, & fortaſſe miſerati quoq; fecere poteſtatem illi, deligeret quod ipſi minime graue futurum ſibi crederet. Tum ille omnia diligenter oculis perluſtrans & manibus tentans, vbi vidit in medio collocatam ſportam ingentem cum panibus, quámque dij duo ferre deberent, petijt eam ſibi relinqui. Quo facilè impetrato, cum omnium riſu, qui quidem illum deſipere dictitarent, vltro depoſcentem quod grauiſſimum eſſet, cùm ante laborem tantopere fuiſſet deprecatus, ſic tum iter ingreſſi ſunt. Iam diei dimidium abierat, & acquieſcentibus omnibus, iubetur Aeſopus meridiantibus cibum diſtribuere. Quo facto mox in via ponderis vna parte ſemiuacua in corbe minus geſtabat. Itaque & multò quàm prius ambulabat expeditius. Poſtero verò die, cùm quod reliquum fuerat cibi, ſimiliter eſurientibus impendiſſet, ipſe inanem corbem aſſumens, longo poſt ſe alios interuallo relinquebat. Ita

demum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

demum intellexere, & ſeſe immeritò illum deriſiſſe, & illum certa ſpe diuturnioris commoditatis, maiorem ſed breuem moleſtiam capere voluiſſe. Atq; inde natum prouerbium fuit ἀυσωπλυ φόρτυ, de ijs, qui ingenioſe ipſi ſeſe leuarent, vel corporis onere vel moleſtia animi. Cùm autem mercatus iam abiuiſſet, alijs rebus ſatis bene diſtractis, manſere reliqui duo pueri mercatori, qui Epheſi emptorem reperire nullum potuerant. Horum vnus carminum, alter dicendi peritus debebat eſſe, cumq; illis Aeſopum vna trahebat: Itaque ſtatuit in Samum traijcere, quo vbi ventum fuit, in forum rerum venalium mancipia pro ſua vtrunq; profeſſione exornatum conſtituit, interq; hæc, quod multi tum reprehenderunt, medium Aeſopum: Sed mercator aſtute voluerat formoſos per ſe pueros, hac contraria turpitudine ſpecioſiores reddere. His ita ordinatis, aduenere cum alij Samij, tum cuius in ea inſula celebre nomen ob ſapientiæ ſtudium erat Xanthus: eum aliquot diſcipuli ipſius comitabantur. Qui pulchritudine puerorum allectus acceßit propius, & cantorem cœpit percontari, quid profiteretur. Cui ille, facere quodcunque ei collibuiſſet. Quo dicto, immoderatè Aeſopus riſit. Tum Xanthus & alterum de profeßione ipſius interrogans, ſimilem reſponſionem audiuit. At Aeſopus quàm ante aliquanto effuſius riſit. Diſcipuli qui illud animaduerterant, miſere qui cauſſam cachinnorum ſciſcitarentur, quos Aeſopus cum conuitijs repulit, expectans dum à magiſtro de ea re compellaretur. Xantho autem licitante, cum puerorum vnus denarijs ter centum, alter ducentis indicaretur, deterritus ille pretij magnitudine retro abijt tanquam diſceſſurus. At diſcipuli cœpere orare illum, ne prius abſcederet, quàm deformem etiam iſtum compellaſſet. Xanthus magis ioci & riſus gratia, quàm quòd

tanti

tanti illum putaret, morem his geſſit. Et ita vt an-
te fecerat, Aeſopum interrogauit quam artem factitaret: Cui ille reſpondit: Prorſus nullam. Cumq́; inſtaret Xanthus, & cauſſam ſciſcitaretur: Quia enim, inquit Aeſopus, iſti ſodales mei, facturos ſe omnia profeſſi, non reliquere alijs quid facere poſſent. Tum animaduertêre diſcipuli, hanc paulò ante riſus illi cauſſam fuiſſe, & Xanthus non parum feſtiuitate hominis delectatus: Quid, inquit, ſi te fortè emero, bonus eſſe voles? Reſpondit Aeſopus: Etiamſi non emeris. Tum Xanthus: Commiſſurus ne es vt aufugere tentes? Tum Aeſopus: Vidiſti tu vnquam auiculam, inquit, quæ forte nacta rimulam per quam è cauea exire poſſet, conſuleret dominum de fuga? His auditis cõprobauit quidem ingenij illius acrimoniam & promptam vim Xanthus, ſed corporis deformitatem dixit vix laturam hominum conſuetudinem. Ibi Aeſopus nonnihil commotus: Philoſophe, inquit, mentem intuere. Non enim cum vinum tibi placuit, dolij maculis aut lituris offenderis. Xanthus iam non feſtiuitatem huius, ſed ſapientiam admiratus emere ſtatuit, & pretium ſciſcitatus, hunc ſibi placere dixit. Tum Mercator: Quid, inquit, ſterquilinio iſto tibi empto opus eſt, vtrum vis horum adoleſcentum mercare, & hunc quaſi cumulum adijciam, vt accedat mercimonio hoc portentum veluti cumulus? Xanthus reſpondit iſtum ſibi placere: Proinde ſi venundare cupiat, ne moretur indicare. Quid igitur? inquit Mercator: Si hoc certum tibi eſt, numera ſanè ſeſtertios quadraginta. Xanthus pretio perſoluto Aeſopum ſe ſequi iuſſit. Cumq́; perueniſſet cum mancipio domum, non ignarus morum ingenijq́; vxoris ſuæ, facere voluit vt illius criminationes anteuorteret, néue de improuiſo illi tam deformem faciem ante oculos adduceret. Itaque abblandiens illi memora-

rec

re cœpit, tandem emiſſe ſe, quod diu rogatus eſſet, ſeruulum, quo uti cum vellet, poſſet. Cui illa: Sanè bene abs te factum eſt, cum erga me tam munificum te præbuiſti. Sed quanti inquit mercatus es? Pretio, inquit ille, non magno. Quin igitur, inquit illa, produci in conſpectum iubes? Tum ille: Adhuc de itinere fœdiuſculus apparet, ſed accerſat aliquis, inquit, nouitium ſeruum. At illa, vt res erat, circumueniri ſe verbis & tegi mercimonij turpitudinē rata: Profectò, inquit, monſtri aliquid affers: nam valde mirādum ſit, ſi tu tanta cura me tibi eſſe patiare, vt acceptis ſeruitijs mihi gratificere. Cui Xanthus: Vxor, inquit, quod mihi probatur, æquum eſt non diſplicere tibi, ſi mulierem vis te perhiberi probam. Inter hos ſermones prope acceſſerat Aeſopus, quem contuita mulier, auerſum ab illo in virum plenum iræ & indignationis vultum contorquens: Hæc, inquit, ſunt odij erga me tui & contemptus manifeſta indicia: neque enim vſpiam gentium vmquam teteriorem humana ſpecie beluam extitiſſe credo. Quid tu, inquit Xanthus, verbero, dudum ita loquax nunc tam obſtinatè taces, ac nō potius aliquo bello dicto placas heram? Tum Aeſopus pauliſper cunctatus, græcum verſiculum pronuntiauit, in quo tres peſtes rerum humanarum dicuntur eſſe, mare, flamma, mulier: θάλασσα καὶ πῦρ καὶ γυνὴ κακὰ τρία. *Quo audito illa quaſi parum ante irata fuiſſet, ita accenſa furore: Ipſe etiā Xanthus præ ſe aliquam animi ob dictum commotionem ferre. Quare Aeſopus, ne cōtumelioſè locutus putaretur, ita cœpit quod dixerat corrigere, vt de malis interpretaretur, & verſus proferret Euripideos, quorum hæc ſententia eſſet:*

Inſana rabies eſt vndabundi freti
Vis fluctuumq́; noxiæ, formidabilis
Flamma furor, metuenda res eſt inopia,

Suntq́;

Suntq́, horribilia per terras plurima alia:
Sed nihil ita horribile eſt vti mulier mala.

Proinde mea, inquit, hera, caue è poteſtate exeas, ac potius effice manſuetudine, vt inter bonas & laudatas fœminas numereris. Quo audito cum pudor illam ad moderationem quandam redigeret, intuens Aeſopum profiteri cœpit, de illius verbis cognoſcere, neutiquam homini mentem ingeniumq́ deeſſe, ſeq́ illum non reſpuere. Ita ille ſeruitutem Sami philoſopho quem ſæpe nominauimus, ſeruiebat, cùm illi eſſet à mādatis & pedibus & nuntijs & aduerſationibus, poſtremo etiam, vt hiſtoria fingit, atrienſis, coquus, obſonator, & vnus obiret omnia ſeruorum munia.

Accidit autem aliquando, vt prodeambulaturus extra vrbem ad mercaturā olerum Xanthus, ſequi ſe Aeſopum iuberet: cumq́ olitor habitum Philoſophi conſpexiſſet, magnopere illum orare cœpit, vt certam dubitationem qua valde agitaretur ſibi eximeret. Se enim non ſatis mirari neque decernere poſſe qui fieret, vt quæ herbæ ſua ſponte è terra naſcerentur, tam facilia & ingentia incrementa facerent, cum quæ magno ſtudio & labore inſertæ aut ſatæ eſſent, ſæpenumero ne pullularent quidem neq́ erumperent, ſed in ipſo ortu intermorerentur, aut ſi maximè adoleuiſſent, tamē nullo modo aliarum progreſſus aſſequerentur. Xanthus cum non inueniret, quomodo quæſtionē olitoris explicaret, ita diuinitus fieri reſpondit. Quo dicto in claros cachinnos erumpit Aeſopus, ita vt intelligeret Xanthus ſe irrideri. Ac commotus, quid rides inquit maſtigia? Cui paululum ſeducto Aeſopus, magiſtrum ait tuum derideo, à quo huiuſmodi es reſponſiones edoctus. Quis enim neſcit? Omnia quæ quidem in hoc mundo fiunt ea fieri diuinitus, ſed horum exquiſitas cauſſas philoſophia in medium proferre hominibus. Nunc igitur

me producito, ſimul vt quæ olitor requirit cognoſcat, & non poßit te vt indoctũ vulgò criminari. Xanthus ad olitorem reſpiciens: Si inquit aues harum rerum explicatiorem cauſſam noſcere, licet è puero meo ſciſciteris: nam ego præ alijs magnis conſiderationibus huiuſmodi nugis vacare nequeo. Me miſerum, inquit olitor, ſi iſte litteratus eſt, quibus ſtudijs me in ætate occupaui? Sed heus tu, quid cauſſæ horum dices quod meam dubitationem diſſoluat? Cui Aeſopus: Nunquam compertum eſt, reſpondit, nouercam ea ſedulitate fouere priuignos, qua matrem liberos complecti videmus. Terram autem certum eſt eſſe ſponte naſcentum quaſi parentem, inſitorũ autem nouercam. Quare illa vt mater alit ac vegetat, hæc vt nouerca multò ſegnius curat, ac potius quod ab his auertere ad illa poteſt, id ſtudioſè facit. Tum olitor: Profectò magna me liberaſti dubitatione, inquit: Ob quod, vt gratum eſſe me intelligas, quoties volueris hinc quantum lubebit olerum ſumas licebit. Hoc loco ſciens prætereo; quæ à Planude recenſentur, nempe illas nimium nihili fabellas de lenticula & balneo, itemq́; de pedibus ſuillis, & beneuola, aliquot etiam triuiales in conuiuio iocationes, quòd nõ ſcitè hæc conficta eſſe videantur. Neque enim magnopere eſt exquirendum, quid huiuſmodi in narrationibus omnino verum, ſed quid aptum & facetum, & ad vtilitatem etiam aliquam audientium compoſitum ſit. Nunc igitur deinceps duas fabellas memorabo, vnam de reuocatione heræ, quæ à viro diſceßiſſet, cõfictam ſecundum Græcam hiſtoriam, quam Pauſanias exponit in Bœotiæ deſcriptione, alteram de emptione linguarum, deſumptam ex Biantis facto, quod Plutarchus recenſet in conuiuio ſeptem ſapientũ. Erat Xanthi vxor nobilis, & quæ multum dotis viro attulerat, quæ freta & generis factione ſuperbiês, magis ipſa

viro

viro moderabatur, quàm illius imperio ſubijciebatur. Quare & procaciter facere multa, & ſumptuoſa eſſe, & offendi facile, vt eſt iſtarum mulierum mos, & viro reſponſare, & iurgari, denique ſiquando eſſet commotior, minari diſceſſionem conſueuerat. Accidit igitur, vt tot contumeliarum impatiens Xanthus, aliquando acciperet eam haberetque duriuſcule, ſperans ſua ſeueritate illius petulantiam fractum iri: ſed quod ipſe profuturum ſperauerat, in damnum conuertit. Obiurgata enim acrius vxor, quod ſæpe in leuioribus diſsidijs minata fuerat, fecit vt à viro diſcederet. Xanthus quamuis improbam fœminam, vxorem amabat, & illius criminationes metuebat, veniebatque adeo de dote in periculum. Mittere igitur quotidie qui accerſerent, blandirique per interpretes illi: verum vbi eam non moueri intelligit, valde grauiter caſum illum ferre cœpit. Quo animaduerſo Aeſopus, ratione de mulieris reuocatione inita, ad herum adit, iubet bono eſſe animo, effecturum ſe vt vltro redeat hera. Et pecunia accepta ad forum abit, dictitans ſe quærere venales res neceſſarias nuptijs, de quibus non in macello ſolum percontabatur, ſed ad ædes etiam, cum alias, tum vbi hera parentes habitabant, diſsimulans ſibi notas eſſe, accedens, petebat mercatū auicularum, piſcium, & aliarum cupediarum. Erat Aeſopus non ſolum ea in domo familiæ ſed fere in tota vrbe notus omnibus. Et quia ſeruire eum marito herilis filiæ ſciebant, ſciſcitari diligentius, cui rei obſonaret tam laute: Aeſopus, pro eo ac conſilium ceperat, reſpondit callide: Duxiſſe vxorem herum ſuum, poſteaquam prior diſceſſerit, neque vllis precibus aut blanditijs retrahi potuerit, & inuitaſſe multos mortales, quos cupiat opipare paſcere in cōuiuio nuptiali, eam ob rem ſe conquirere quicquid gulæ gratum adipiſci queat, & nulli pretio parcere iuſſum eſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hoc audito ancillæ, alia aliam præuerti ſtudens, ad herilem filiam curſitant, exponunt quæ ex Aeſopo audierant, augentq́ dicta, ita vt fieri ſolet, muliebri loquacitate & peruerſo ſtudio exaggerantes rei indignitatem. Tum illa, vt impotēs animi mulier erat, mutata ſubito mente, curriculo ad virum regreditur, ignarum horum omnium: Cui cùm multa & grauia conuitia feciſſet, & animum exoneraſſet indignatione ſua aliquantulum: Non ita, inquit, tibi felices erunt Dij, Xanthe, vt me viua alia vxore potiri concedatur. Xanthus re cognita mirari calliditatem Aeſopi, & reconciliare ſibi obſequio iratam vxorem. Atq; ita rebus compoſitis poſt non multos dies, cùm ſtudioſos aliquot ſapientiæ homines inuitaſſet ad cœnam Xanthus, mittit obſonatum ad forum Aeſopum, eiq́ imperat, vt emat quod quidem ſit optimum & belliſſimum. Aeſopus nactus occaſionem explicandi ingenij ſui, ad aſtutas eluſiones idonei, cogitare ſecum cœpit, oſtenſurum ſe hero quid ſit rem mandare imprudenter, & abiens nihil præter linguas bouillas in cibum parauit. Cùm iam vocati ad cœnam conuiuæ accubuiſſent, menſa poſita, iubet afferri dapes Xanthus, ratus inſtructa omnia eſſe magnifice. Tum Aeſopus aſſulas linguas ſingulas binis, vt accubuerant, apponit. Laudantibus conuiuis exordium vt conueniens philoſophicæ cœnæ, quod lingua ſapientiæ eſſet interpres, petit Xanthus aliud epularum genus. At Aeſopus elixas apportat linguas. Tum ille aliud poſcit. At hic frixas. Cumq́ poſtularet aliud ille, hic cum iuſculo conditas linguas fert, deniq; omnia erant linguarum fercula. Ibi vehementer iratus Xanthus, verbero inquit: Quid ſibi volunt linguæ per omnia? An mandata hæc mea fuere, ac non potius vt parares quod quidem eſſet optimum & belliſſimum? Cui nihil exterritus Aeſopus: Lætor, inquit, accuſari me

præſent

præſentibus tot doctrina & eruditione claris viris, quos ego iudices facio facti mei & mandatæ rei executionis. Quid enim linguæ bonitati conferendū eſt? Quæ ſola animi optima inuenta in lucem producit, vnde, quicquid vſpiam in rebus humanis bene eſt conſtitutum, extitit & conſeruatur. Et quid opus eſt multis verbis audiente hoc cœtu? Aut cui ignota eſt hæc Heſiodi ſententia? Qua etiam tacentis linguæ theſaurus optimus eſſe dicitur, cùm inquit:

Non alia eſt melior res quàm cuſtodia linguæ,
Gratia quam decorat moderata ſumma loquela.

Quid faceret Xanthus, maximè cùm videret conuiuas Aeſopo aſſentiri: Ergo, inquit, in craſtinum voco vos denuo. Nam cupio vobis aliquid eſca dare præter linguas. Tu verò oſtentator ſapientiæ, abi & in craſtinam cœnam para, quod quidem erit peſſimum & deterrimum. Poſtero die redeunt conuiuæ, & Aeſopus ita vt eius diei pridie, epulas vniuerſas linguis inſtruit. Tum Xanthus: Scelus, inqt iniámne linguæ peſſimæ factæ ſunt & deterrimæ, quæ heri tibi erant optimæ & belliſſimæ? Cui Aeſopus: Here, reſpondit, planum facere poſſim, omnia quæ in hominum vita malè & ſcelerate fiunt, cædes, proditiones, iniuſtam vim, fraudes nefarias, & quicquid eſt malorum facinorum, id totum ſtrui linguæ miniſterio. cùm mala prius & conſilia ineantur & ſermone communicentur, quàm ad factum acceditur. Quid autem ego aliud debeo ſentire, quàm quòd conſenſus multorum ſæculorum prouerbio extulit:

Lingua quonam pergis? vrbem vt condam & vrbem vt eruam.

Ciebant hæc bilem Xantho, & quia arbitrabatur illudere ſibi Aeſopum, ingentem indignationem aduerſus illum animo concepit. Ibi vnus è conuiuis: Hic inquit, ad inſaniam aliquem facilè adegerit.

Quo dicto cùm ſentiret Aeſopus Xanthum contra ſe inſtigari: Oportet tibi inquit, à rebus tuis profundum eſſe ocium, qui alienas cures, herumq; irrites, in ſeruum exſtimules. At Xanthus, arrepto per occaſionem dicto, quærebat enim cauſſam, quam ſuæ iræ prætexeret, ſi affeciſſet verberibus Aeſopum: Quia tibi, inquit, hic vir doctiſſimus curioſus eſt, tu niſi qui non ſit adduxeris, vapulabis. Poſtero die Aeſopus per vrbem aliud ex alio cogitans incedere & quærere, quem ſimplicem & minime curioſum probare poſſet hero ſuo, cùm videt ruſticum hominem negligenter cultum ac curatum fortè in ſuo loco aſſediſſe. Eum igitur de habitu corporis ratus eſſe neutiquam curioſum, familiariter appellat, & verbis heri ſui inuitat ad cœnam. Ruſticus diuinitus occaſionem ſibi offerri exiſtimans, vt ſine ſuo diſpendio bene eſſet, ſtatim promiſit, nihil etiam percontatus, quid hominis herus foret, ac iam ne, inquit, imus? Cui Aeſopus, maxime, & de ſermone etiam maiorem in ſpem adductus, ſeſe compotem voti effectum, planeq; gratulans ſibi inuentum eſſe quem quæſijſſet, Sequere, inquit. Cumq; in cœnaculum perueniſſent, vbi lectuli ſtrati eſſent, in proximum ruſticus, ita vt erat luto & puluere fœdus, incubuit. Quem ad cœnam veniens Xanthus conſpicatus, rogat Aeſopum: quid hoſpitis ſit: Cui Aeſopus reſpondit: Eſſe incurioſum, quem iuſſus fuerit adducere. Rectè inquit curaſti, & admoto ore ad aurem mulieri, prædicit illi, habiturum ſe cauſſam verberandi Aeſopum, quam diu veſtigarit, modò ipſa ſe morigeram in omnibus quæ iuſſa fuerit præbeat. Ac mox clara voce: Mulier, inquit, aquam inferto, & pedes hoſpitis lauato. Illa nihil morata attulit aquam infuſam in peluim, & procumbens ad lectulum, in quem ruſticus ſeſe inſtrauerat, petijt ab illo vt pedes porrigeret.

ret. Xanthus nullo modo putabat laturum hoc ruſticum, & prorſus recuſaturum ſeruitium dominæ: at ille ſecum: Sanè labor iſte debuit ancillæ delegari, ſed quid in ſua quiſque domo inſtituat, non eſt meum reprehendere, & protenſis pedibus: Domina, inquit, licet detractis peronibus iam laues. Iam erat fames mitigata diſcumbentibus, petit igitur poculum Xanthus, & allatum ruſtico dat in manus, iubetq́; bibere, ſperans principium honoris gratia ad ſe remiſſurum, quod exquiſitum videri poſſet, & ſuppeditare verberandi Aeſopi cauſſam. At ruſticus decere facere cogitans, quod mandaret is qui cœnam daret, acceptum poculum Xantho vacuum reddidit. Xanthus omnino cupiens Aeſopum refellere, & efficere, vt aliquid eorum, quæ faceret, hoſpes curaret, vbi videt forte illum valde auide mandentem certum cibum, reprehendere eum cibum cœpit, ac dicere, inſulſum eſſe, vocatumq́; cocum iubere loris ibi ante menſam conſcindi. Neque dubitabat, quin ruſticus defenſurus eſſet cocum, ſed ille tacebat, quod ſua nihil intereſſe arbitraretur, quid herus in ſeruum ſtatueret. Ad vltimum cùm placentæ appoſitæ fuiſſent, illisq́; ſe ingurgitaret ruſticus, quippe cui domi vxor non conſueuiſſet torrere, animaduerſa ea re Xanthus, iubet accerſi cocum, ac ſcelus, inquit, ita ne facere te oportet, vt cibos vniuerſos corrumpas? Quid enim inſipidum magis placentis iſtis fieri potuit, quibus apparet neque mel neque condimenta exotica te admiſcuiſſe? Cocus à ſe culpam repellens: Licet, inquit, here iraſcaris mihi, ſi placentæ ſunt crudæ aut aduſtæ: cæterum ſi condimenta abſunt, ego ſum extra culpam, teq́; par eſt vxori tuæ ſuccenſere, quæ quicquid dedit id omne mihi in placentas abſumptum eſt. Tum Xanthus: Vxoris igitur mea peccatum eſt, vt audio: at ego deos teſtor,

non leuius illam me cāſtigaturum, quàm ancillam ære meo emptam. Ac conuerſus ad mulierem: Veſtes, inquit, hic pone. Sperabat enim hoc ſaltem non paſſurum ruſticum, & tam indignam iniuriam ab innocente muliere depulſurum, facturumq́, vt irati hoſpitis ſæuitiam verbis minueret. Verum ille apud ſe: Aiunt, inquit, vicini mei, ſe non conſueuiſſe reſtinguere flammam, qua ipſi non adurantur: Neque ego igitur inſeram me alienis negotijs, & Xanthum prehendens manu: Quæſo, inquit, ſi ita videtur, pauliſper mane, dum & meam vxorem adducam, ne iſta ſola vapulet, ſed ambæ potius & quidem alternis plagis. Xanthus etſi ferebat ægre, ſimplicitatem hoſpitis omnes occaſiones verberandi Aeſopum præcidiſſe, tamen & res ridicula illi viſa, & ipſe coactus fuit fateri, adduxiſſe Aeſopum hominem neutiquam curioſum. Paucos poſt dies erat in foro Xantho negotium: mittit igitur Aeſopum exploratum, an magna eſſet hominum turba apud forum: Quem cùm in via obuiam habuiſſet prætor Samiorum, interrogauit, quò abiret? Cui Aeſopus reſpondit: Neſcire ſe quò quidem nunc iret. Prætor irrideri ſe exiſtimans, lictoribus imperat, vt illum comprehendant, & in carcerem ducant. Tum Aeſopus: Cenſen', inquit, cum domo exirem, credidiſſe, me ad carcerem tendere? Prætor delectatus reſponſo, iuſſit hominem dimitti. Ita ille inſtitutum iter ad forum perficit. Ibi cùm innumerabilem multitudinem hominum conſpiceret, fortè videt vnum in ius alterum rapere, qui pecuniam debitam non vellet ſoluere. Qui debebat, prætendebat inopiam ſuam, daturum tamen operam ſe aiebat, vt dimidium alicunde corraderet. Cui creditor: dimidium? Sane bene, inquit, tantum dato, & res eſto ſoluta. Nam præſtat dimidium retinere, quàm totum amittere. Habebat

bebat enim pro amiſſo, quicquid ad iudicationes deuolutum eſſet. Aeſopus cùm hæc, ita vt diximus, fieri vidiſſet, regreſſus domum nuntiat hero, vix vnum hominem in foro conſpici. Xanthus re non intellecta, & miratus quî fieret, domoq; egreſſus ſerius, vbi ad forum venit, conſpecta tanta multitudine: Scelus, iſtíne, inquit, interea dum ceſſamus conuenere? Aeſopus rem illi omnem expoſuit, & turbam quidem eſſe ingentem confeſſus eſt, ſed in tanta turba ſe non plus vno illo homine, quem memoraſſet, cognouiſſe. Videri poteſt hoc effictum de facto Diogenis, quem tradunt aliquando Athenis in arcem conſcendiſſe, & ingenti voce citaſſe populum. Ad quem concurrentibus vndiq; plurimis, & intentis præconio, quod facturus ille videretur: Ego, inquit, homines citaui, non ſcelera, quod Græci dicunt καθάρματα. Poſt hæc, non breui ſane tempore, inuitatus ad conuiuium Xanthus, cùm ibi adeſſent & alij profeſſores diſciplinarum & ſapientiæ, alterq; alterum poculis græco ritu inuitaret, quod προπίνειν illi dicunt, fiebat Xanthus hilaris, quod iam pluſculum bibiſſet. Tum Aeſopus cernens in ebrietatem procliuem ferri herum, vt poſt illum aſtabat: Here, inquit, Bacchum primum aiunt exhilarare homines, deinde ebrios, poſtremo inſanos facere. Xanthus offenſus monitione: Abi, inquit, & liberis tuis reſerua hæc præcepta ſapientiæ. Hoc autem dictum Anacharſidi Scythæ aſcribunt, quem Laërtius tradit conſpicatum in Græcia vites & vuas, dixiſſe, ſingulas vites triplices vuas ferre: Vnas lætitiæ, alteras temulentiæ, tertias immanitatis. Quod poſtea dictum aliqui dilatarunt. Sic igitur loquitur quædam in græca fabula Bacchus:

Tres tantum ego ſanis crateras miſceo,
Vnum valetudinis & hunc primum ebibunt.

Secundum amoris: At ſoporis tertium.
Quo qui ſapere ſolent cum hauſto domum.
Nam quartus haud eſt amplius crater meus,
Sed contumeliæ, velut huic proximus
Clamoris. Hunc ſequitur comeſſandi furor.
Ita ſeptimus habet vulnera, octauus forum,
Nonuſq; ſtomachum. At decimus eſt inſaniæ,
Qui iam pedibus inſiſtere amplius haud ſinit.
Nam plurimum vini inditum in vas paruulum
Sternit ſine omni, quem replet, negotio,

Atq; ita procedente potu, vnus ex conuiuis cernens Xanthum ebrietate obrutum, varijs quæſtionibus agitare cœpit, quibus ille vt quidq; in buccam venerat reſpondendo euomebat. Quare ille alter arrepto tempore: Xanthe, inquit, Memini me legere, arte fieri poſſe, vt ab vno homine totum mare ebibatur, quod ego nunquam credidi, & ex te ſcire ſtudeo, an verum eſſe exiſtimes. Tum Xanthus, parum etiam intelligens quid ebalbutiret: Maxime, inquit. Atq; ipſe adeo facere poſſim, neq; verear volenti pignus dare, domum meam ponere. Placuit hoc iſti alteri, & æſtimari domum petijt, & re confecta vterque annulum tradidit, quo obligatio firmaretur. Atque ita tum, nam erat multum noctis, diſceſſum eſt. Cùm verò iam illuxiſſet, & Xanthus, qui de lecto ſurrexerat, manus vellet abluere frigida, annulum, quod crederet ſibi fortè delapſum è digito, requirere cœpit. Tum Aeſopus: De annulo non habeo, inquit, quòd tibi præterea indicem, niſi illum domum tibi tuam quaſi per ludum ire ereptum. Xantho dictum admiranti narrat Aeſopus, quæ inter pocula præterita noctu geſta ſint, quorum prorſus ille oblitus fuerat. Quare rem expendens, quæ perfici non poſſet, angebatur animo, non inueniens quomodo ſponſionem euerteret. Inq; ea ſolicitudine, cura, hæſitatione

ſtatione ſua ad Aeſopum, cuius monita prius deſpexerat, cogebatur recurrere, petitum opem & conſilium. Ergo illum blandiſsimo ſermone appellans, iubet meminiſſe, quid ſibi beneuolentiæ fideiq; pro ſeruitio debeat, promittit etiam de ſua memoria valde prolixe. Nec difficulter non immanſuetum hominem permouit, vt polliceretur ſe effecturum, ne ſponſione facta teneretur. Nam præſtari, inquit, quod ſpopondiſti, neutiquam poſſe ipſe vides, ſed ad obligationem diſſoluendam, ne ea res tibi detrimento ſit, ac gloriam etiam pariat, viam me eſſe inuenturum confido. Iam enim tempus aderit promiſſa perfici, at tu caue aliquid mœroris aut triſtitiæ præ te feras. Quin ipſe etiam vltro littus maris lectulis & pincernis occupa, cumq; multitudo ad ſpectaculum confluxerit, iube recitari formulam ſponſionis, in qua eſt: Mare epoturum. Ni faciat, domum ſuam aut minas centum dare ſpopondit. Quo facto, poſce phialam in omnium conſpectu aqua marina repletam, eamq; manu tenens, ſic loquere: Quid effecturum me promiſerim, quamq; pœnam, ni feciſſem, mihi ipſi dixerim, audiuiſtis Samij, egoq; ita rem geſtam eſſe fateor, & hoc ago vt videtis. Cæterum nemo eſt veſtrum, quem fugiat, immenſa numero & magnitudine flumina omnibus è terræ partibus in mare influere, quibus prohibitis, vbi mare purum relictum mihi fuerit, paratus ſum facere, quod facturum me dixi. Nam de fluminibus ebibendis ipſa ſponſionis formula, vt audiuiſtis, nihil mihi imponitur. Quæ cùm omnia Xanthus ſicut edoctus fuerat pereg iſſet, acclamare illi tota multitudo, & nō oculis ſolum ac geſtu, ſed etiam conuitijs aduerſarium petere, iuberéq; auertere epoturo mare flumina. At is victum ſe ſapientia Xanthi faſſus, orare vt irritum eſſet contractum negotium, pœnam ſe permiſſurum arbitrio quorumcūq;

Xanthus voluiſſet. Ignouit Xanthus ſapientiam ſibi concedenti, eamq́; ſe humanitate velle accumulare dixit, itaque remittere illi & pœnam & pœnæ arbitrium. Hanc callidam excogitationem Plutarchus Bianti attribuit. Aliquanto poſt miſit Aeſopum Xanthus ad obſeruanda auſpicia: Solebant enim veteres & Græci & Latini ferè res ſuas auſpicato gerere, hoc eſt, ſpe concepta de euentu, ex aliqua notatione volatus, vocuḿq; auium, aut aliarum rerum obſeruatione. Iuſſerat autē circumſpicere, nuncubi par cornicum incubaret: quod ſi quis dextrum habuiſſet, portendere boni aliquid aiebat. Aeſopus fortè conſpicatus par cornicum, vt Xanthus voluerat, propere ad illum renuntiat. Qui egreſſus vt & ipſe contemplaretur, non niſi vnam videt, cùm interea altera auolaſſet. Quare tanquam irriſus ab Aeſopo, iubet illum verberibus dilacerari. Adhucq́; veſtes illo ponente, aduenit qui ad cœnam inuitaret Xanthum. Tum Aeſopus: Quæ poſthac, inquit, aruſpicinæ fides erit, cùm mihi, cui ex illius præceptis bonum portendebatur auſpicanti, malum detur, huic cui debebatur malum, bonum? Quo dicto Xantho mitigato, effugit tum quoque Aeſopus verberationes. Non diu poſt, cùm Xanthus ad cœnam vocaſſet viros ſapientiæ laude celebres, Aeſopum iuſſit præſidentem foribus, neminem admittere de populo, & ab illo ſodalitio alienum. Ille ad ianuam aſſidens vt quenq; ex ijs qui inuitati fuerant, ita vt fit, feſtinantius aduenire cernebat: Quo ſe modo, inquit, canis infert? Tum ille, qui hoc audierat, ratus ſe per ignominiam canem increpitatum, diſcedere iratus, neque introire in ædes. Ita eluſis penè omnibus, poſtremò aduenit reliquus vnus callidior, & ingenio ac moribus feſtiuioribus. Quem cùm Aeſopus ſimiliter compellaſſet, ille: Quomodo niſi pedibus? inquit. Is igitur

ſolus

ſolus introgreſſus, cùm iam eſſet dies multum, & conuiuarum præterea nemo veniret, valde indignatus Xanthus, poſtridie cum illis expoſtulationem acerrimam inſtituit, deriſum ſe querens. At illi, Inſanis, inquiunt, vel tu vel nos, & quomodo accepti eſſent ab ipſius ſeruo, exponunt. Prope aſtabat Aeſopus, & neq; accuſatione iſta, neq; minacibus heri oculis perterritus: Ita enim, inquit, feci, vt tu mandaras, de plebeis & alienis à cœtu ſapientum. Tum Xanthus: Verbero, inquit, ſtulti igitur hi tibi videntur, quos tu tanquam canes abigere auſus? Minimè tanquam canes, Aeſopus inquit, ſed profectò extra vnum illum, qui apud te fuit, ſic mediocriter videntur ſapere omnes. Quid ita verò, ſcelus? inquit. Ita verò, quia interrogati, Quomodo ſe canis inferret, nemo eorum intelligere potuit, præter hunc optimum & doctiſſimum virum, qui tecum eſt cœnatus, qui, pedibus, mihi reſpondit. Quid illi facerent Philoſophi? fatebantur rem ita ſe habere, vt Aeſopus dixerat, & ſe parum tum quidem ſapientes fuiſſe. Poſt dies ſanè non paucos, deambulaturus Xãthus inter monimenta, Aeſopum, vt conſueuerat, ſequi ſe iubet. Ac contemplantibus illis inſcriptiones, quæ Græcis Epitaphia dicuntur, Aeſopus animaduertit in ſaxo inciſas literas græcas, α β δ ο ε ϑ χ Quas ſtatim Xantho indicat, & iubet noſcere, quid ſibi velint. Ille in omnes partes animum ac cogitationem verſans, nullam potuit intelligentiam illarum percipere mente ſua. Tum Aeſopus: Ecquid erit præmij, inquit, ſi theſaurum hic nunc effodero? Xanthus dimidium inuenti auri & libertatem pollicetur. Ibi Aeſopus ex eo loco, in quo ſaxum ijs literis, quas diximus, inſigne ſitum erat, digreſſus paſſus quatuor, cùm non multum terra eruiſſet, amphoram plenam aureûm Lydiorum reperit: Qua hero tradita, petijt vt fidem ſuam præſtet.

ſtet. Tum Xanthus: Sic demum, inquit, fecero, ſi tu etiam harum literarum ſignificationem mihi oſtenderis, quibus de theſauro certior factus es, quod quidem pluris æſtimo, quàm aurum. Aeſopus nihil cunctatus, illarum ſententiam græcè expoſuit, quæ talis eſt: Progreditor paſſus quatuor, fodito, reperies theſaurum auri. Xanthus cùm etiam hoc extudiſſet, illudens illi: Cùm aurum, inquit, ſcias effodere, non eſt animus amittere te. Tum ille: Atqui here, inquit, nolo te latere, inuentum theſaurum deberi regi Byzantiorum: hunc enim illi tradit ſententia earundem literarum: Redde regi Dionyſio, quem reperiſti theſaurum auri. Quo audito Xanthus: dimidium, inquit, auri accipe & tace. Ita, inquit ille, faciam Quanquam non tu quidem mihi aurum hoc tribuis, ſed qui illud defodit. Hæ literæ enim ſublatum theſaurum iubent diuidi. Et poſſunt quidem, ita vt fecerat Aeſopus, ad has omnes ſententias literæ iſtæ accommodari. Tum Xanthus: Quin imus igitur, inquit, & theſaurum inter nos partimur. Ad domum reuerſi, cùm metueret loquacitatem Aeſopi, iubet compedes illi inijci: Qui cùm comprehenderetur, ingenti voce exclamare cœpit: Haccine eſt philoſophica fides? Xanthus motus inuidia dicti, ſolui illum iubet, &, Comprimendum tibi, inquit, iſtud tuum vaniloquum os eſt, ſi libertatem cupis adipiſci. At ego, inquit ille, ne ſupplicem tibi eſſe cenſeas, velis nolis paucos intra dies liber ero. Atque ita deinceps eas res exponemus, quibus maximè Aeſopus laudem eſt conſecutus, nimirum iam manumiſſus, vbi in lucem prodire, & nobilis eſſe apud reges & potentiſſimas ciuitates cœpit. Fieri autem videmus, vt non pauci ingenio & ſapientia ſumma vulgò aut ignoti aut etiam contempti ſint, donec vel ipſi fiducia quadam ſui, vel fortunæ beneficio elati, aliquem altiorem

*tiorem gradum conſcenderint, vbi fama claritate
quaſi illuſtrari facile poſſint. Sunt autem illi gradus
ferè, vel ipſum principem aliquem locum tenere ijs in
rebus, quas populus admiratur & colit, vel tenenti-
bus carum & acceptum eſſe, cuiuſmodi ſunt opes, po-
tentia, regnum: Quæ qui conſecuti ſunt, ad eos o-
mnium oculi conuertuntur, propterea quòd beneſa-
cere multis, & egentibus ſubuenire, laborantes alle-
uare facilè poſſe videantur. Atque hoc loco venit in
mentem diuerſorum ingeniorum & variæ naturæ
hominum, quorum alij immodica cupiditate gloriæ &
excellentiæ cuiuſdam inter alios mortales, hono-
rumq́ ambitione accenſi, nihil non moliuntur ac ten-
tant, quo ad faſtigium maximarum rerum, quas ſibi
propoſuerunt, peruenire poſſint. Quod à quibus fit,
quia à vera ratione virtutis propoſitum aberrauit,
ij glorioſi ac oſtentatores & ſunt & nominantur,
propter peruerſum gloriæ ſtudium, vanitatemq́ ipſo-
rum atque iactationem popularem. Sunt etiam ferè
tales ſimulatores & mendaces, & impudentes: Cu-
iuſmodi in fabulis Thraſones & Pyrgopolinices de-
pinguntur, intolerabiles & odioſi, propter inanem lo-
quacitatem, dum commemoratione opum rerumq́ à
ſe geſtarum ſeſe magnificant, ac præponunt alijs o-
mnibus. Huc pertinet tota illa caterua vulgarium
diuitum & potentum, qui per omnes occaſionū arti-
culos quærunt, quomodo quam plurimis ad contem-
plandum proponere opes & abundantiam ſuam poſ-
ſint. Quanquam hi quidem, cùm vere ſunt diuites ac
potentes, tolerabiliores vidētur ſuperioribus, qui per
mendacia & fictas prædicationes virtutum rerumq́
ſuarum ſeſe efferunt, etſi turpitudine talis ſuperbia
non caret. Contra hos ſunt, qui longiſſimè abijciunt
ſeſe, quamq́ illi lucem ſplendoremq́ ſequuntur & aſ-
fectant, tam ipſi fugiunt ac deuitant, deq́ ſe loquun-
tur*

tur nunquam glorioſè aut magnificè,ſed modicè ſemper, ſæpenumero etiam humiliter, concedenteſq; aliis præſtantiam quarumcunq; rerum, exilitatem ſuam fatentur, neq; illius pudere ſe oſtendunt. Quod cùm ſit ex conſcientia infirmitatis,laudem habet integritatis, candoris ac modeſtiæ. Sed præ ſe ferunt ſæpe homines non inepti hanc modeſtiam, non ideo quod ſentiant ſe magnis rebus indignos,ſed quòd commendationem quandam hac ipſa detrectatione quærant, recuſantes ea quæ vulgus tantopere miratur, & in quæ ſe plariq; auidiſſimè ingerunt. Carebunt autem & hi reprehenſione,ſi non incurrerint in opinionem inanis ſimulationis,cuiuſmodi vel ſi vſurpatur in rebus exilibus & nullius ponderis, vel ſi manifeſta eſt, valde ſunt tales ridiculi & contemnendi,qui volunt quidem cati, vt priſco verbo vtar, videri & vafri, ſed affectatam prudentiam ſtolida leuitate patefaciunt. Quare βαυκοπανοῦργοι græca voce nominantur, vt intelligatur ipſorum eſſe futilem atque puerilem calliditatem. Cæterum grauibus & magnis in negotiis,ac profeſſionibus artium atq; doctrinæ,nonnullam etiam talis vel ſimulata tergiuerſatio & eleuatio laudem adipiſcitur. Creduntur enim,qui magnas res defugiunt, & illas ponderare, & ſuas vires conſulere,deq; oneris conſideratione incidere in metum. Sic videmus valde probari eos, qui ad magiſtratus & honores inuitari ac requiri malunt, quàm ipſi illos ambire aut cupidè ſectari. Similiter probantur diſſimulatores ingenii & ſapientiæ, qualem Socratem fuiſſe accepimus, qui hac ipſa maximè reſellit ac exagitauit ſuorum temporum homines falſa perſuaſione ſapientiæ tumentes. Quod quidem illum decuit, nec ineleganter factum Ciceroni videtur,qui hoc reprehendenti Epicuro negat ſe aſſentiri. Et inter homines Romanos ita fuiſſe Africanum traditur. Et hi

quidem,

quidem, quia à vero ſinceroq́; recedunt, quamuis exiguam, vituperationem tamen ſubeunt. Non enim poſſunt cum virtute & vera laude conſiſtere ficta & fallacia. Cuius hac in parte, vt diximus, nomen eſt ſincera atq; pura integritas, vt opinor, quod quidem Græcos video requirere. Huic certè aduerſatur omnis ſimulatio. Sed qui infra ſunt, putantur non inſulſi neq; infaceti homines. Qui verò ſupra, omnibus modis vituperantur, vt vaniloqui & elati. Præclara autem virtus conſtituitur magnificentia, & magnitudinis animi. Quarum illa ad arduas & illuſtres actiones, ad gloriam & famam excitat, fiducia quadam, neq; falſa profectò perſuaſione virium, cum quę quod appetunt laudabile & præclarum, id deberi iudicant benignitati ac liberalitati ſuæ. Quod genus hominum inuentu perquam eſt rarum: Hæc verò virtus, quam animi magnitudinem nominauimus, robur quoddam & firmitatem continet, quiq́; illa inſtructi ſunt, ita ſe comparauerunt, vt non magnopere laborandum ſibi exiſtiment, quid alij de ſuis factis ſentiant, ac contenti recti honeſtiq́; conſcientia, neq; laudationibus capiuntur: neq; terrentur vituperatione. Huiuſmodi deſcribunt in fabulis Amphiaraum, quem apud Aeſchylum legitur, non, vt reliquos duces, minarum & policitorum exaggeratione, neq; armorum ſplendore ac inſignibus, nobilitatem quæſiuiſſe, ſed tacitum ingenti ac forti animo ad rem aggreſſum, quòd mallet bonus eſſe quàm videri. Videtur autem hæc virtus minus etiam, quàm de qua paulò antè diximus, vſitata eſſe. Quotus enim quiſque inueniri tanta animi excelſitate & deſpicientia poteſt, qui in nullo diſcrimine ponat, laudetúrne an vituperetur? Cùm indignari ferè homines ſoleant, ſi quid geſtum ab ipſis vel minima laudis particula dignum, non eſt quaſi follibus quibuſdam orationis inflatum. Facilis

cilis igitur & procliuis in vitium à virtute, quæ medium ſemper locum obtinet, eſt aberratio. Medium autem tangere atq; tenere, diligentiæ & ſummæ rationis eſt opus. Quemadmodum in medium circulum punctum imponere, exercitationis & artis fuerit non mediocris. Sed nunc ad hiſtoriam de Aeſopo reuertamur: Qui cùm ſeruitutem, in quam fortuna eum coniecerat, magno animo pertuliſſet, conſcius ipſe ſibi ſapientiæ ſuæ, neque vltra neque infrà debitum modum illam æſtimans, occaſionem oblatam claritatis & famæ nanciſcendæ non neglexit. Atque ea fuit talis: Feſto die, in maxima Samiorum celebritate, aduolans aquila rapuit annulum publici ſigni, iúq; in ſublime auferenti elapſus, in ſinum ſeruuli decidit. Quæ res terrorem Samijs incuſsit, viſaq; eſt aduerſi aliquid portendere ciuitati ac reipublicæ. Quare omnibus ſapientibus & ſcientia magnarum rerum celebribus accerſitis: inq; primis Xantho, petiere ab illis, vt animaduerterent eius quod accidiſſet facti ſignificationem. Fatentibus alijs, coniecturam ſe nullam inuenire, Xanthus poſtulauit, vt aliquod ſibi dierum cogitandi de re maxima ſpatium daretur. Quo impetrato, ſolicitus anxiuſq; domi inter curas perpetuas volutabatur, & deſperata explicatione, magnum præ ſe mærorem & triſtitiam ferebat. Aeſopus, ſicut ante etiam fecerat, quid illum perturbaret, ſciſcitari, & ſuam operam polliceri. Xanthus rem illi exponere, & queri, actum de exiſtimatione ſua, quam vt contemnere poſſet, metuere etiam capiti ab inſano & irato populo. Non inquit deſeram ille te, & vt prius quoq; feci, ex hac difficultate, qua nunc teneris, te eripiam. Tu modo ſic facito, vt dicam tibi: Ac craſtinus opinor dies eſt veſtræ reſponſioni datus, at tu ita apud populum loquere: Non ignoro ciues, ſolere ad omnium rerum famam in alijs

atq;

atq; alijs diuerſas opiniones exiſtere, ac ferè illas fingi pro vniuſcuiuſq; ingenio & captu. Ita cùm aliquem ſua ſapientia inter homines extulit, vt mihi apud vos aliisq; accidit, tum illum quiſq; eas res ſcire ac ſapere putat, quas ipſe fortè requirit & neſcit. Atqui ciues aliter ſe res habet, ac ſicut aliarum artium certæ ſunt profeſſiones: ita ſapientia quoque non omnium promiſcue rerum cognitionem continet, quanquam diuinarum & humanarum rerum eſt ſcientia, ſed vna quadam & ipſa eſt certa artiū profeſſio. An vos arbitramini, ſapientem, tonſorem etiam atq; cerdonem eſſe oportere, quoniam iſta res ſunt humanæ? Quid igitur ſapientiam vocem, quæritis ciues? Diuinitatis ac humanitatis ſcientiam, quæ profectò eſt ars vitæ & morum. Illa igitur naturas rerum veſtigat, cœleſtium terrenarumq;. Illa pietatem, cultum, obſeruationem, vſum deorū hominumq; tradit, eſtq; veritatis cuiuſdam quaſi naturalis magiſtra. Neq; igitur ariolos aut vates ſapientia efficit, neque vos à nobis huius rei ſcientiam exigere debetis. Proinde ſi qua quæſtio fuerit nata de dijs, deq; illorum cultu, de vita & moribus hominum, de alijs naturalibus rebus, noſtram operam experimini Samij. nunc quærite potius qui augurandi diſciplinam teneant. cuius quidem niſi fallor perquam peritum ſeruulum domi habeo, quod non putaui vos celare me oportere, vſqueadeo proximo caſu perculſos: etſi fortaſſe parum fuerit decorum vobis, in maxima re à ſeruo admonitos conſilioq; adiutos eſſe. Huiuſmodi ſi tu orationem here apud Samios habueris, miſſum te facient citra contumeliam, ſiue me volent ſiue nolent audire. Nam ſi fortè me non reſpuerint, deq; prodigio differentem laus fuerit ſecuta, tua profectò illa: ſin contra dedecus, proprium hoc meum erit. Placebat conſilium ſupra modum Xantho: non

enim videbat quorſum tenderet. Nec moratus, cùm illuxiſſet, in concionem aſcendit vbi iam diu frequens populus exſpectabat, & ita vt edoctus fuerat præfatus, ſeruum pro ſe interpretem prodigij demonſtrat. At illum, clamare multitudo, quamprimum accerſendum, Xanthumq́ obiurgare, qui non adduxiſſet ſecum. Tum aduocatus Aeſopus, vbi in ſ[...]um venit, ad primum conſpectum ſui maximum riſum excitauit omnium. Atque ibi aliquis è turba: Quis hunc, inquit, diuinum eſſe neget, in quo humani apparet nihil? Alius: An vbi natus eſſet, ſtipites loqui conſueuiſſent, quærebat. At ille in medium progreſſus, hanc orationem habere inſtituit: Non debet Samij deformitas oris mei vel mihi à vobis contemptum parere, vel ſpem à me vobis præcidere. Neq; enim formoſo nunc vſus eget, neq; de venuſtate corporis, ſed de animi habitu homines ſapientes æſtimari ſolent: Nunquam ne inquinato in dolio ſuauiſſimum vinum reconditum fuiſſe, aut ingratum aureo poculo propinari comperiſtis? Intelligentiam & vim ac perſpicaciam mentis requiritis, non virium robur, aut ingens pulcrúmue corpus: quale quidem meum minime eſſe cernitis, verum de animo qui intus latet, nolite quæſo prius ſententiam ferre, quàm illius interpretem orationem audiueritis. His verbis ſedato murmure, cùm omnes, vt ſi quid haberet, in commune proferre vellet, expeterent. Tum ille ita locutus fertur: Et vos me hac gratia accerſiuiſtis, & ipſe ea voluntate adſum: ſed cùm cogito, neq; me decere ſeruum de tantis rebus in concione verba facere, neq; vobis dignum eſſe auſcultare, me inſuper in omnem euentum apud herum meum periclitaturum veſtrum fuerit, & conſulere meo timori ac verecundiæ, & conſeruare dignitatem veſtram, mihiq́ libertatem impertire. Nemo erat, quin æquum po-

ſtularet

ſtulare illum indicaret. Placuit igitur Aeſopum publice liberatum manumitti, agiturq́ cum Xantho, vt quanti ſit indicet, iubenturq́ quæſtores pecuniam perſoluere. Xanthus cùm videret, etiam inuito ſe Aeſopum liberum futurum, puderetq́ adeo hominem locupletem facere minimi pretij mentionem, aliquam gratiam apud Samios inire ſtatuit: itaq; reſpondit, ſe Samijs donare Aeſopum ſeruum ſuum, quo pro arbitrio ſuo reſpublica vteretur. Quæ res valde grata fuit populo Samio, ſtatimq́ prætor iuſſus eſt libertate donatum Aeſopum ad ciuium numerum adſcribere. Cũ præconium eſſet factum, populum Samium liberum eſſe, & ciuem iubere Aeſopum, dono acceptum à Xantho philoſopho. Ibi tum Aeſopus de prodigio in hunc modum diſſeruit: Nemo veſtrum eſt, ciues, qui neſciat, regiam volucrem eſſe aquilam. Quare quòd aquila raptum ſignum publicum detulit in ſinum ſerui, ea conditione hominis, vt nihil in ſe ipſe habeat iuris, ſed ſub alterius prorſus poteſtate ſit, quid aliud portendere velit, quàm aliquem potentem regem veſtram libertatem euerſum eſſe iturum, & conaturum ciuitatem veſtram ſubijcere ſub poteſtatem ſuam? Quo audito magnus Samiorum animos terror inuaſit, deq́ ſtatu ac ſalute communi ſoliciti, quo euaſura eſſet prædictio exſpectabant. Neq; diu ſanè poſt legati à Crœſo rege Lydorum aſſuere, qui poſtularent, vt Samij regi tributum penderent, quiq́; ſi aliter eſſent animati, illis bellum denuntiarent. De ea re cùm deliberatum aliquantiſper eſſet, cùm maximæ partis animi ad pacem & ſeruitutem inclinarent, viſum eſt Aeſopum quoq; conſulere, qui rogatus ſententiam, ita locutus fertur: Duas pandit vias fortuna mortalibus in hac vita, ciues, vnam libertatis, cuius initium eſt aſperum, finis planus: alteram ſeruitutis, quæ prima nihil eſt

mollius, extrema nihil durius. Ad hæc Samij cupiditate incenſi retinendæ libertatis, vnanimi voce acclamarunt: Liberi cùm ſimus, ſerui noſtra voluntate nunquam ſumus futuri. Ita legati bello indicto diſceſſere. Rex cognita re, Samiorum audaciam valde mirari, & bellum apparare cœpit. Vbi verò intellexit, procliues ad imperium accipiendum Samios, vnius viri oratione à ſentētia deſtitiſſe, illum coràm cernere & audire velle, maximè cùm legati narrarent, pauciſſimis illum verbis tantam rem effeciſſe. Petit igitur rex à Samijs, vt Aeſopum ſibi tradant, quod ſi fecerint, in præſentia ſe metu illos belli liberaturũ. Cognita re Aeſopus, minime ſibi eſſe contrarium ait, ad regem ſe mitti, prius tamen quàm proficiſcatur fabulam memorare velle: Quo tempore, inquit, bruta etiam animalia commercio ſermonis vtebantur, bellum ingens inter lupos & pecudes eſt exortum. In quo, cùm non eſſent inferiores pecudes auxilio adiutæ canum, legatis miſsis pacem illis lupi obtulere, ea conditione, vt canes ſibi traderentur. Pecudes cupidæ pacis, non intellecta fraude, hacq; lege pace facta, & deſtitutæ canum præſidio, lupis prædæ direptioniq; poſtea fuere. Samij cùm viderent quorſum hæc tenderent, negarunt ſe illum dimiſſuros eſſe. Sed Aeſopus non paſſus ſe retineri, cum legatis naue conſcenſa Sardis ad regem diſceſsit. Quo viſo per contemptum rex: En, inquit, virum, per quem ſtetit, quominus Samij in poteſtatem noſtram venirent, ſimulq; indignatione & ira incitatus, inimicis illum oculis intueri, & vultu minari malum. Tum Aeſopus adorato illo pro more gentis: Non traditus, inquit, à ciuibus meis, neq; vlla vi compulſus, ſed ſponte & voluntate mea hic coram te adſum, teq; oro rex, ne graueris pauliſper tuas aures orationi meæ concedere. Captabat laqueolis puer corruculas, cœpitq; fortè cicad

tè cicad

tè cicadam, quam cùm iamiam eſſet interfecturus, orare illa cœpit, vt ſibi parceret: Quem enim, inquit, ego vnquam damno affeci, aut quem potui omnino afficere? quæ ſoleo homines, ramuſculis arborum & graminum floſculis inſidens, cantu meo exhilarare. Quid autem commoditatis poterit tibi morte mea parari? Vox enim in me eſt, neque quicquam præterea. Commotus adoleſcens miſericordia, emiſit cicadam. Et ego te ſuppliciter adorans rex, obſecro, ne me innocentem exſtinguas: nihil enim in me eſt præter ſermonem, quo ad vſum & delectationem hominum vti conſueui. Mouit regem ſermonis elegantia, ſimul etiam miſertus hominis, vitam illi ſe tribuere ait, & præterea quicquid à ſe petijſſet. Tum Aeſopus: Parce, inquit, rex ciuibus meis. Quod verbis rex Aeſopo promiſit, iuſſitq́; diplomatis firmari: nec parum hæc pietas regi Aeſopum commendauit. Qui reuerſus Samum, allato nuntio reconciliationis, tantam lætitiam excitauit, vt ad templa deorum tota vrbe ſupplicatum iretur, eſſentq́; feſtiuitatibus plena ōnia. Ipſi etiam Aeſopo ſtatua poſita eſt, in cuius baſi, quo merito hic ipſi honor habitus eſſet, perſcriptum legebatur. Quam quidem ſtatuam deletam bellorum temporibus, quibus grauiſſimè illam inſulam conflictatam legimus, veriſimile eſt. Lyſippus tamen multis ſæculis pòſt, ſicut ſeptem ſapientum, ita Aeſopi etiam effigiem ære expreſſit, vt teſtatur græcum epigramma, cuius hæc eſt ſententia:

Quam bene adhuc Lyſippe tua Sicionis alumne
Aeſopi effigies cernitur arte, ſenex?
Quæ ſeptem ante chorum ſapientum iure locata eſt,
Quos etiam ingenio vicerat ille ſuo:
Seria commendans commentis dicta iocoſis,
Ac homines blando qualibet ore trahens.
Cùm triſtes illi monitus violentaq́; iuſſa,

In populum lingua præcipiente darent.
Ergo quod illorum ſententia docta nequiuit,
Hic homines ludens vt ſaperent docuit.

Poſt hæc redijt ad Crœſum Aeſopus, inq́ illius gratiam compoſuit eas fabulas, quæ adhuc ſub ipſius nomine feruntur. Ea tempeſtate Aſſyriorum regnum Babylone poſsidebat Lycerus, ſiue, vt apud Herodotum legitur, Labynetus, iunctus ſocietate & fœdere Crœſo, cui & in bello aduerſum Cyrum poſtea operam nauaſſe fertur: neque deſunt, qui Crœſum ab hoc incitatum, cum Cyro bellum ſuſcepiſſe tradant. Cùm autem Aeſopus incredibili teneretur deſiderio viſendi orbis terrarum, & cuperet magnopere Babylona, celeberrimam magnitudine, operibus, copijs, vrbem adſpicere: petijt à Crœſo, vt regi Babyloniorum literis ſe commendaret. Quo facile impetrato, priuſquam illud iter ingrederetur, conſtituit in Græciam traijcere, fama inuitatus ſeptem ſapientum, quæ iam vbiq́ gentium clara erat. De quibus haud ab re fuerit, hoc loco nonnihil memorare. Non conuenit inter Græcos ſcriptores, neq́ de numero neque de nominibus ſapientum iſtorum. Plures enim alij, alij pauciores quàm ſeptem tradidère, nominibusq́ diuerſis, ab ijs quæ vulgò nota ſunt. Plato ſeptem nominat, & quidem vſitatis appellationibus, niſi quòd Periandri loco Myſonem Chenenſem ponit. Indignum, vt credo iudicauit illum ſapientiæ laude, qui in patria tyrannidem occupaſſet, præſertim cùm ipſius ſcelerata aliquot imprimis facinora prodita eſſent. Quòd verò ſeptem adeo, iſtisq́ nominibus illa ætate ſapientes habiti fuerint, quærenti mihi, hæc ſe cauſſa potiſsimum offert: Miletus vrbs fuit maritima Cariæ, colonia Ionum, vbi cùm à piſcatoribus quidam iactum redemiſſent, illiq́ eum piſcibus auream cortinam extraxiſſent, orta inter

per partes controuerſia fuit,cùm non negarent piſcatores , quicquid piſcium captum eſſet redemptoribus deberi,fortunæ quod munus addidiſſet,ſuum eſſe oportere. Contra illi,nulla exceptione iactum eos vendidiſſe aiebant.Si nihil extuliſſent,iacturam ferendam fuiſſe : cùm fortunæ benignitas affulſerit , iniuſtum videri ſe lucro fraudari. Videbatur lis , & propter ipſam & quia pretÿ non erat contemnenda magnitudo digna eſſe , quæ non negligenter decideretur. Permittitur iudicium Mileſÿs. Illi cum quid ſtatuerent nō inuenirent, Apollinem Delphicum,quid iuberet fieri,conſulunt. Quem ita reſpondiſſe ferunt:

Incola Mileti tripodem conſultus Apollo
Illi dat cuius vincat ſapientia cunctos.

Quo oraculo allato , nemo dubitauit , quin ab Apolline deſtinaretur aurum Thaleti Mileſio ciui, artium & doctrinæ facilè principi.In tali quippe fama fuit ſapiētiæ Thales, vt ſi quem Græci poſtea vnquam præclarè laudare vellent , eum alterum Thaletē eſſe dicerent.Sed non minori gloria Thales reiecit donum, quàm ad ſe delatum fuerat. Neq; enim ſibi eſſe tantæ ſapientiæ conſciū,vt crederet oraculo ſibi aurum adiudicatum : iuſſitq; deferri Prienas in vicinam vrbem, ad doctum hominem Biantem. Is eadem vſus animi moderatione , aurum in Lacedæmona Chiloni tranſmiſit. Chilo ſimiliter à ſe ad Solonem ablegauit. Ille in Rhodum ad Cleobulum. A quo tandem ad Pittacum & inde Periandrum peruenit,qui ſiue ignoratione, primum omnium Thaletem non voluiſſe retinere , ſiue etiam certo iudicio, ad Thaletem remiſit.Thales autem ne receptum quidem ſeruandum duxit , Delphicoq; Apollini conſecrauit , ſolum deum, & præmio & opinione ſummæ ſapientiæ dignum ratus. Verùm hac ex re horum ſeptem nomina in maximam celebritatem & admira-

tionem omnium deuenere. Scio hanc hiſtoriam paulo aliter ab alijs referri, qui vel Soloni conſecrationem tripodis aſcribant, vel pateram auream pro tripode Thaletem dedicaſſe velint. Adducentes etiam inſcriptionem huius ferè ſententiæ:

Thales potenti me in Nilei populo duci
Captum bis hoc virtutis offert præmium.

Sed mihi receptiſſimam opinionem narraione exequi placuit. Verum Aeſopus, cùm in Græciam ea cupiditate atque propoſito, quod indicatum eſt, veniſſet, reperit commodum Corinthi vniuerſos, vnaq́ Anacharſiden Scytham, & multos horum ſectatores ac diſcipulos. Inuitarat enim hos Perander, ſiue quodam ſapientiæ ſtudio incitatus, ſiue hac via ad gloriam nitens. Nec minus illi libenter Aeſopum videre, quàm ipſe eos petierat, cùm iam pridem fama factorum & ſapientiæ huius in Græcia percrebuiſſet. Accepti igitur conuiuio extra vrbem in Periandri villa, cum varij, vt fit, ſermones inter ipſos ſererentur, Periander de regno iniecit mentionem, quod cùm à ſapientibus ferè damnaretur, tanquam perniciosum rebus humanis, & inter peſtilentes adminiſtrationes poneretur, ilo Græcorum inſito ſenſu, quo libertatem amplexantes, dominationis quaſi iugum deteſtati fuere. Itaque cùm in regnum, ſiue, vt græca voce dicitur, tyrannidem ſapientes inueherentur, non dubitauit Aeſopus oratione & ſententia ſua illis refragari, neque non dictis pungere ſapientes, quaſi illi ſuperbia animi & inſolentia elati, etiam vulgi ſtudium aucupantes, Regibus eſſent infeſti. Neque probare Solonis contemptum regiarum opum Crœſi, neque adeo illius ſententiam veram eſſe dicere: Ante mortem beatum appellari debere neminem. Non enim, ſi quid in vita proſpere feliciterq́ cecidiſſet, indignum videri

deri

deri beatitatis nomine, nec ſanè infortunium vocandum res ſecundas, quibus commutatis, & illam rationem beatitudinis tolli, ita vt reſtitui diſceſſu aduerſarum. Nihil enim in rebus humanis firmum, certum, fixum, ſtabile eſſe. Vt autem ſole ſplendente ſerenum diem, eodem tecto nubibus turbidum diceremus, non quidem in perpetuum, ſed in præſentia: Ita rectè & beatum & infelicem vnumquenq; nuncupandum, pro fortunæ ſtatu: Niſi quis delectaretur illa argutiola, fortunatos eſſe in proſperitatibus homines, non beatos. Hæc locutum, vnus ex ſectatoribus ſapientum, adoleſcens Bœotius, præter ætatis decorum adortus pene contumelioſè: Tun', inquit, audebis in hoc cœtu ſapientiam & virtutem opibus diuitÿsq; poſtponere? Quod quidem Aeſopus, quia minime fecerat, vt illum præpoſtere exultantem coherceret, hanc fabulam narrauit: Mula Lydia conſpecta in fluuio forma ſua, placere ſibi cœpit, & caput iubasq; iactare, impleriq; animo, & cum fremitu ad curſuram ſeſe parare, quaſi nullis equis ceſſura, cùm ſubito inter harum cogitationum ſuperbiam paterni generis recordatur, cuius humilitate perculſa deſÿt videri velle quod non eſſet. Atq; ita illo refutato, ſapientes ſeſe quæſtionibus mutuis exercere cœperunt, propoſitumq; fuit: Quid omnium maxima cum laude Rex aut Princeps facturus videretur. Tum Solon: Quid enim inquit, niſi regnum concedens populari adminiſtrationi? Cui Aeſopus: At tu quin ſeruis & familiæ tuæ domeſticum imperium concedis? Bias: Conſeruans, inquit, ante omnia morum, inſtitutorum, legumq; vſum. Etiámne, inquit Aeſopus, Indianorum, vbi more gentili & patrio parentes liberi mactant ac epulantur? Thales: Nemo, inquit, Regem laudet, quàm ſi ita viderit regni habenas moderatum, vt ante legitimum tem-

pus nulla violentia excuſſus fuerit. Sic ego, inquit Aeſopus, gubernatorem nauis rectius laudauero. Anacharſis: Si ſolus ſapiat, inquit. Ergo ſubditos, inquit Aeſopus, dementes omnes eſſe oportebit. Cleobulus: Nemini fidem habendo. Nos ne Aeſopus, de faneratore, inquit, cenſes quærere? Pittacus, Si ita, inquit, ſe erga poteſtati ſuæ ſubiectos gerat, ne magis ab illis metuatur quàm ametur. Facile, inquit Aeſopus, indulgentia hoc efficiet, qua liberi corrumpuntur, vt nulla re magis. Chilon, Si, inquit, à terrenis ad cœleſtia animum cogitationesq́ abduxerit. Facere, inquit Aeſopus, hoc debebit is, qui in Luna rerum potiri voluerit. Nam hominibus omnibus profectò hoc præcipitur:

Mortalis es: deos caue vltra animos abeas.

Quibus ſermonibus habitis, omnes à Periandro petiere, vt & ipſe ſuam ſententiam exponeret. Qui ſeuero & triſti vultu: Quæ dicta ſunt de regis laude, eleganter & præclarè dicta ſunt, inquit, omnia. etſi non approbante, iſto demonſtrans Aeſopum. Mihi tamen, qui cor habeat rex, hanc maximè laudem ſecuturus videtur, vt rex eſſe deſinat. Tum Aeſopus ridens: Regiam, inquit, laudem exquirentes, de ſolio deturbatis regem. Etiam hic noſter Solon admirabilis, qui mortuos viuis præpoſuit, cùm mortui niſi cadauera dici nihil poſſint. Solon delectatus Aeſopi dicacitate, demulcens illius manu ſua caput, quòd infrà ſe in ſella accumberet: Tibi igitur abſurdum videtur inquit, factu, ſic regem inſtruere, vt oſtendatur, præſtare regno carere quàm frui? Maximè, inquit Aeſopus, & quidem aſſentiente oraculi reſponſo, quod tibi redditum accepimus:

Illa beata erit vrbs quæ præconem audiet vnum.

Neq; bonus profectò imperator eſſe, qui victoria carere quàm frui malit, neq; paſtor, quem non iuuet

cura pecoris, neq; quiſquam quicquam rectè facere poterit rerum omnium, inuitus. His ſermonibus ad Crœſum poſtmodum allatis, inuenio traditum, perplacuiſſe ſanè illi ſapientū dicta, ſed Aeſopum vnum prætuliſſe omnibus. Cumq; diceret, omnes ſibi eſſe illos videri mortales eximios, addidiſſe: Sed imprimis Phryx. μᾶλλον δὲ φρύξ. Quod poſtea vſurpari cœptum eſt prouerbij loco. In eo conuiuio dicitur ab hoſpite breuiter quæſitum etiam nonnullis de rebus, de quibus quòd ſapientes reſpondiſſent, acute correxerit Aeſopus, quæ huiuſmodi ferè traduntur: Quid vetuſtiſſimum eſt? Quid, niſi tempus? inquiunt illi. At Aeſopus, Imò quid, niſi Deus, qui initio caret? Quid maximū? Mundus. Imò locus qui ipſum etiam mundum includit. Quid pulcherrimum? Lux. Imò mundus, quo quicquid ſpectabile eſt comprehenditur. Quid ſapientiſſimum? Veritas. Imò tempus, quo alia inuenta iam ſunt, alia poſthac inuenientur. Quid maxime commune? Mors. Imò ſpes, quæ ſola amiſſis omnibus relinquitur. Quid optimum? Deus. Imò virtus, abſque qua non eſt, quid bonum poſſis dicere. Quid deterrimum? Mala ſors. Imò vitium, quod omnia corrumpit & fœdat. Quid validiſſimum? Fortuna. Imò neceſſitas, quæ profectò eſt inuicta. Quid facillimum? Voluptas. Imò quicquid naturale eſt. Atq; hæc inter, cum, ſicut fieri aſſolet, pocula crebriora poſcerentur, & ſeſe hilariuſculè inuitarent ſapientes, diſputaretq; Anacharſis, perfectionem bibendi eſſe ebrietatem, qui finis & quod vltimum potionum videretur, ita Aeſopus illos pungere cœpit: Paſtores inquit, mactauerant ouem, & in tuguriolo comeſſabantur. Lupus, qui ante fores ſtabat, cùm quod fiebat animaduertiſſet: Ego, inquit, ſi agnum deuoraſſem, qui motus futuri erant? At iſti impune matrem comedunt. Quo dicto admirationem ſui cum

quadam

quadam iucunditate incredibilem excitauit. Et de hac fama, ipſius laus atq; nomen in tota Græcia increbuit. Neq; diu poſt in Aſiam Aeſopus traiecit, & Babylona, vt dudum inſtituerat, perrexit proficiſci. Quo cùm perueniſſet, paucos intra dies regi acceptiſſimus factus eſt. Illis enim temporibus, cùm ocia reges agitarent, ipſi ſeſe mutuo quæſtiunculis & ſcirpis propoſitis exercebant, qui griphi à Græcis & ænigmata vocantur. Quæ qui interpretari & diſſoluere potuerat, & præmium & laudem referebat. Ea in re valde vtilis regi Aeſopus inuentus eſt, multumq; illi præmiorum & exiſtimationis ſapientiæ acquiſiuit acrimonia ingenij ſui. Cæterum cum ei fortuna liberos inuidiſſet, vt haberet quo ſenectutem ſuam oblectaret atq; ſuſtentaret, de regis voluntate adoptauit adoleſcentem, bono loco natum, ſed pauperculum, ingenio non illiberali, vt videbatur. Quem tanquam ex ſe natus eſſet, bonis artibus ac præceptis non deſtitit inſtituere, monſtrareq; & præcipe e, quæ ingredienda via eſſet tendenti ad felicitatem & gloriam. Verum ſceleſtæ & flagitioſæ naturæ nulla cultura aut ſtudio bonæ probæq; efficiuntur, neque illius prauitatem naturalem bonitas diſciplinæ emendare potuit. Itaque inexpugnabilem peruerſitatem remouendam Aeſopus cenſuit. Quo intellecto ille, vt mali conſueuere, facinora facinoribus accumulare aggreditur, vtq; ſe vlciſceretur, literas confingit, quaſi patre autore, quibus ille vicinis regibus operam ſuam policeretur contra Lycerum: Quas literas ad regem defert, patremq; accuſat proditionis, præfatus quidem, quanto cum animi dolore faciat. Neq; enim ſe tam inhumanum eſſe, vt, quid patribus à liberis reuerentiæ & pudoris debeatur ignoret, ſed profectò regis patriæq; curam obſcurare & repellere illa omnia. Rex nihil ſuſpicans ſceleris ſubeſſe, calu-

mniantem

mniantem ita audiuit, quaſi vera afferentem, inductum ſtudio ſui. Itaque re inexplorata Aeſopum ſtatim iubet necari. Quibus id negotij datum erat, quod perſpectam ad illud vſque tempus Aeſopi innocentiam haberent, & Regij animi impotentiam noſſent, Aeſopum abductum recondunt, relato nuntio ad regem, illum eſſe interfectum. Paucis interpoſitis diebus, ab Amaſide rege Aegypti Lycero literæ afferuntur, quibus ab eo peteret, mitti ſibi architectum, qui turrim intra terram & cœlum extruere, atque vna, qui ad omnia interrogata reſpondere ſciret. Lycerus inops conſilij, in re ſibi omnibusq; qui Babylone eſſent inexplicabili, cùm iam etiam ita in Aeſopum tempore nonnihil reſediſſet, ingenti cum dolore requirere illum cœpit: Neque non ſæpe profiteri, illius ſe vitam, ſi fieri poſſit, regni ſui parte redimere cupere. Quo audito, qui illum, vt dictum eſt, abſconderant, Regi viuere indicant, iuſſiq; adducunt ſentum ſqualoreq; obſitum. Aeſopus vbi ante regem conſtitit, egregia oratione declarauit innocentiam ſuam regi, facileq; diluit obiectum crimen. Ibi rex ira percitus, accuſatorem ipſius per ſummos cruciatus iubet interimi. Verùm Aeſopus impetrata vita illius, ad ſe recipere etiam non dubitauit, non poſſe tantam eſſe humani animi improbitatem ratus, quæ tanto beneficio non flecteretur ac emendaretur. Sperabat igitur, poſtea ſe ex animi ſui ſententia filium habiturum. Herodotus Θαλείᾳ hanc hiſtoriam de Cambyſe Cyri filio & Crœſo memorat. Et recepto Crœſo, quem interfectum crediderat, non parum quidem delectatum Cambyſen fuiſſe, eos tamen quibus trucidandi illum mandata dederat, vt qui dicto regio non obtemperaſſent, iuſſiſſe occidi. Aeſopus lectis Aegyptij literis reſcribi iubet, vere primo in Aegypto qui peterentur futuros. Ipſe filium reduxit

xit

xit ad ſeſe domum, vtq; ante quoque fecerat, non deſtitit optime illi & ſanctiſsime præcipere, vt ex capitibus illarum præceptionum, quæ ſubiecimus, liquet. Quæ nos excerpſimus, profutura legentibus ad inſtitutionem, ad virtutem & decus vitæ. Sunt autem hæc:

Deum cum cura magna & reuerentia colito, animi & mentis ſincera integritate, non ſimulatione & ſpecie ſacrorum. Neq; arbitrare, diuinum nomen commentum eſſe, quo ferocia ingenia indoctorum hominum quaſi puerorum terreantur: ſed diſcito, illud præſens, forte, efficax, verum, potenſq; eſſe omnium vbicunq; rerum.

Caue ſpem tibi fingas inanem, poſſe illud te quicquam celare. Neq; enim perinde Deum fallere licet vt homines, cuius oculus cernit notatq; omnia, vt Heſiodus dixit. πάντα ἰδὼν διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας. *Neq; tam late ſe ſuper vniuerſa ſolis fulgor expandit, qui, vt Homerus cecinit,* πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει: *nihil non auditq; & videt, quàm certo diuinus aſpectus cuncta complectitur. Quare fac ſcelerum etiam occultiſsimorum te pudeat, inuetq; culpa vacare in re etiam ignota omnibus mortalibus. Quodq; præcipitur rectiſsime:*

Reuerere rebus ſemper in tuis Deum.

Nam profectò ex hoc fructum percipies eum, qui memoratur:

Ita quod ages abire non poterit malè.

Parentibus tuis eum honorem exhibeas, qualem à tuis liberis exſpectas. Ita enim natura comparatum eſſe ſcito, vt qualem quiq; erga parentes ſe geſſerit, tales ipſe liberos erga ſe ſuos experiatur.

His obſeruatis, da operam vt pro viribus ac facultatibus tuis omnibus hominibus inſeruias, vtq; ſi beneficere non multum poſsis, ne ſaltem malefacias.

Verum

Verum primus beneficentia & voluntatis tua partes ij teneant, quos natura tecum arctiſsime copulauit.

Non modò annitere, vt in factis abſit impuritas & peccatum, ſed etiam vt in dictis. Neq; enim ſcelerate facere turpe ſolum eſt, ſed etiam loqui.

Rationis dictata, quibus ad virtutem inſtruimur, ſequere, refrenaq; appetitus, ne quo ad vitia te ſeducant.

Tam diu velis diſcere, quàm diu ignoratione ſenties te implicitum: proq; lucro magis habeas præceptorum bonorum acceſsionem quàm pecuniæ.

Scito accidere hominibus ſolere, quod tenellis arboribus videmus. Nam ſi feliciter enatis non defuerit cultura, ad frugiferam granditatem excreſcunt, neglecta verò perperam corroborantur. Et pueritia ſi ad honeſtatem educatur, illos fert pulcherrimos fructus actionum laudabilium & decoris. Homines enim, quibus quidem humanam mentem & rationem indidit Deus, ſi excolantur artium & honeſtatis præceptionibus, euadunt in quaſdam manſuetiſsimas & diuinas animantes: Contra verò neglecti aut male inſtituti, in ignauiſsimas aut etiam immaniſsimas beſtias.

Diſcere fac velis, in eo enim omnia ſunt. Neque quicquam eſt boni, quod inuiolatum permaneat, præter ſapientiam & virtutem. Quæ verò ſtudio & labore conſecutus es, fac vſu & exercitatione recondas, vt durent. Aeque enim eſt reprehendendum, nihil didiciſſe, & parta ſtudio ac induſtria, amiſiſſe negligentia & vecordia.

Noli exiſtimare, ſemper eſſe cum oris triſtitia coniunctam ſapientiam. Et facit quidem ſeueros ſapientia, inhumanos non facit.

Quæris fortaſſe, quid virtus ſit? Scito igitur nihil

eſſe

eſſe aliud, quàm abeſſe ab ijs rebus, quibus teneri deforme ſit: ira, inuidia, faſtu, odio, luxu, libidine, auaritia, mærore, lætitia.

Caue fidem fallas. Mentiri, ſacrilegium puta. Linguam doma. Nunquam loquaces & garruli ſunt veritatis & honeſti amatores. Et profectò habet ſe res ita vt dicitur, multitudini verborum leuitatem ſubeſſe.

Conſuetudinem & familiaritatem bonorum colito. Nihil enim hac ſententia eſt verius:

Virtutem tradet tibi conſuetudo bonorum,
Fac ſectere bonos qui bonus eſſe cupis.
Quod ſi te fortuna malis inuoluerit, ante
Si quid erat mentis, ſcito perijſſe bona.

Nam ſicut polypus colorem loci, cui adhæſit, refert, ita eos mores quiſq; induit, quales ſunt illorum, quibus cum familiariter viuit.

Perniciosa eſt oratio & ſententia vulgi: In prauitate quidem turpitudinem ineſſe, ſed coniunctam cum commodis. Itemq́; probitatem laudari, verum moleſtam eſſe & inopem. Nam profectò nihil eſt, quod vtilius ſit tendenti ad honores, gloriam, potentiam, quam opinio virtutis & iuſtitiæ. Quare tu ita ſtatuas, habeasq́; perſuaſum imprimis, virtutem & iuſtitiam, non ſolum ſpecioſiorem & laudatiorem, ſed vtiliorem quoque eſſe, quàm calliditas & malitia ſit.

Caue inſeras te alienis negotijs. Quietem ama. Curioſitatem & inquiſitionem in res & facta aliorum deuita.

Bene regitur non ciuitas modò, ſed etiam domus, vbi pluris ſit otium & quies, quam petulantia & diſſidium, iuſtitia quàm iniquitas, ſuum tenere quàm aliena rapere.

Si quod de alijs in bonam partem prædices nihil

eſt,

eſt, in malam etiam ſermoni parcito: calumnijsq́; non ſolùm linguam, ſed ne aures quidem imperti. Nam magnopere fugiendum hoc vitium eſt, quo quidem duo ſunt, qui vnum iniuria damnoq́; afficiunt. Qui enim calumnias alteri ſtruit, illum profectò, ſcelerate lædit, quem à tergo & non præſentem vituperat. Qui auſcultat, itidem illum lædit, quia delectatur inclementibus dictis in abſentem, ignarus veritatis. Ita in vnius miſeri, & quidem inſcientis, perniciem duplex conſentit & quaſi coniurat prauitas.

Tu fac animo tuo honeſta, & laudabilia conſilia capias, bonum euentum quære petitoq́; à Deo.

Memento rerum omnium eſſe viciſsitudinem, ne te aut aduerſi caſus nimium affligant, aut efferant res ſecundæ.

Rationis vſu nihil prius aut potius habeto. Neque enim quicquam pretioſius in maxima vilitate inueniri poſsit, quàm mens eſt in humano corpore.

Tria ſunt quorum te pœnitere nunquam debebit: Si mane ad opus ſurrexiſti. Si quid bonarum didiciſti rerum. Si bonis operam nauaſti.

Luxuriam & helluationes fugito, inq́; primis ebrietatem. Neq; enim tantum ſenectus bis pueros, vt dicitur, facit, ſed etiam & multo quidem magis vinum. Nec parum rectè ebrium comparaueris equo, ruptis habenis incerto curſu erranti: Submerſa enim ratione & mente, nihil poteſt niſi indecens veſanumq́; in dictis ac factis exiſtere.

Superbiam cohibeto, neq; minus caue ne deficiaris animo, in qua humilitate multi ipſi ſe immeritò infelicitatis condemnauere. Satius eſſe puta in mouendis rebus quàm gerendis properare.

Occaſiones obſerua. Quicquid ſuo tempore non fit, reprehendendum eſt.

Reges principesq́; ac magiſtratus omni venera-

tione colito. His enim ſtatus rerum humanarum ſaluis durat, qui pœnas infligant ſontibus, tueantur innocentes.

His & horum ſimilibus optimis præceptis Aeſopus non ceſſabat filium ſuum quotidie inſtruere. At ille non modò non melior inde fiebat, ſed multò etiam deterior. [redacted] *dixit ille apud Euripidem: Nullam eſſe inuentam ſcientiam, cùm innumerabiles extarent, quæ hoc efficere poſſet, vt ſaperent quibus mens non ineſſet. Quemadmodum enim,* [redacted] *Iam ver appropinquabat: at Aeſopus accingebatur ad turris ædificationem in aëre, vt Aegyptius poſtularat. Et eſt quidem admodum futile, quod hoc loco memorari comperio: Manſuefactis aquilis illum appendiſſe arculas, in quibus pueri cum fabrilibus inſtrumentis collocati, à ſubuolantibus aquilis in ſublime ferrentur, atque ita, cùm in Aegyptum perueniſſet, indicaſſe, ſi adminiſtri lapidum ac materiæ deſignarentur, adeſſe qui petitam turrim extruerent, atque ita conſtituto in loco & tempore emiſiſſe aquilas: Quibus altum petentibus, proſpexiſſe pueros, & lapides & materiam clamaſſe. Tum quidem Amaſidem admiratum, de Aeſopo quæſijſſe adijciunt, num Babylone homines volatici reperirentur.*

rentur. Cui ille reſponderit: Lyceri ſubditorum hanc minimam eſſe laudem. Hæc, vt dixi, quamuis inepta viderentur, placuit tamen perſtringere. Sed vbi eſt, inquit Amaſis, ille, qui ad interrogata reſpondeat? Non longe abeſt, inquit Aeſopus. Accerſiuerat autem rex vndique omnes ſapientia claros. Vbi igitur conſedere, quæſiuit vnus, plus ne eſſet viuorum an mortuorum? Tum Aeſopus: Viuorum, inquit: mortui enim nihil ſunt. At alius: In marine an terra maiora animalia degerent? In terra, inquit ille. Namq; huius mare eſt portio. Ibi alius: Dic mihi, inquit, Animantium omnium quodnam tibi callidiſſimum videtur? Quod adhuc ignotum, inquit ille, hominum induſtriam euaſit. Tum alius: Prior ne dies fuit an nox? Dies, inquit Aeſopus, prior, vno quidem die. Tum alius etiam: Viginti, inquit, plauſtra ligni quantum fumi poſſunt emittere? Facile id quidem, inquit ille, dictu eſt. Nam ſi cineres de combuſtis lignis ſubtraxeris, quicquid reliquum fuerit, pro fumo ponendum. Atque his dictis addidit, quæſtionum intricatarum ſimiles reſponſiones eſſe debere Tum alij admiſſi fuere. Quorum vnus: Sæpe, inquit, audiui, nihil ferro eſſe robuſtius, quo quidem omnia labefieri poſſent: ſed mihi in mentem venit, fabrum robuſtiorem eſſe, qui ferrum ſubigeret & excuderet. Quid verò tu cenſes? Egone, inquit ille? fabri etiam matrem robuſtiorem putandam, quæ quidem domitorem ferri geſtauerit. Poſt hunc alius ænigma verſibus propoſuit in talem modum:

Res vna in pelago & telluris in omnibus oris
Naſcitur, ac oriens eſt maxima deficienſq;,
In medio vitæ nimium quam parua vigore.

Aeſopus ſtatim ſubiecit:

Mane cadit creſcens & veſpere grandior vmbra.

Atq; ibi alius nominare iuſſit animalia, quæ in

cœlo, terra mariq; eadem inuenirentur? Aeſopus nihil cunctatus, canem, coruum, ſerpentemq; nominauit. Nam & canes & ſerpentes & corui ſunt in mari quoq;, & inter ſydera notantur. Tum ænigma alius aliud verſibus tale obiecit:

Eſt genitor natos qui bis ſex procreat vnus,
Quarum ſunt etiam natæ vnicuiq; triginta,
Albæ aliæ, nigræq; aliæ, quæ morte carentes
Perpetua vice delentur pereuntq; ruina.

Aeſopus & ipſe verſu reſpondit:

Menſem annus edit, ille noctes & dies.

Ibi mox alius:

Sũt geminæ (inquit) inter ſe iũctiſſima turba ſorores,
Altera nec tamen alterius vultum aſpicit vnquam,
Hæcq; illam genuit poſtquã hanc parit illa viciſſim.

Ad hæc reſpondit Aeſopus:

Patris hæ profectò neptes ſunt prius qui dictus eſt.

Tum alius:

Quid, inquit, iuuenta ætate fixum graueq; eſt, ſenecta tam leue, vt ſupra etiam terram volitet? Aeſopus reſpondit, floccos eſſe euanidorum florum. Mox alius, conyciendum Aeſopo, quid ſignificarent verſus qui ſequuntur, propoſuit:

Frigore digredior, redeunte calore reuertor,
Deſero quod peperi, hoc tamen educat altera mater.
Quid tibi vis aliud dicam? me vox mea prodit.

Cui Aeſopus:

Exemplum cuculus prauorum dicitur à te.

Alius tum deinde hæc propoſuit:

Non habeo nec habere velim, quod ſi tamen adſit
Non caream, Crœſi ſi mihi dentur opes.

Ad hæc ille:

Vno oculo haud velles, multò cæcus minus eſſe.

Alius quæſiuit:

Quid eſt quod euenire ſibi cuncti expetunt,

Si nunc

Si nunc tamen detur parandi copia
Nemo aſſe mercetur ſibi in præſentia.
Quod ita Aeſopus explicuit:
Effici ſenes auemus, facti vbi ſumus piger.
Alius rurſum propoſuit:
Exigua me condo domo ſemperq́ patente,
Non metuo fures, alijs ſed furta timori
Sunt mea, tota mihi nam furto degitur ætas,
Nomen ſcire cupis numeri tres dant mihi nomen,
Quadraginta horũ eſt centũ & bis ſumma quaterq́.

Aeſopus murem ſignificari dixit. Hæc autem, intelligendum, græco ſermone pronuntiata fuiſſe, & μῦς græcis habet μ. 40. υ. 400. σ. 200.

Alius item hoc:
Nec ſum, nec non ſum, morior ſimul atq; renaſcor,
Præbet & interitus teneræ primordia vitæ,
Sumq́ mihi leti & redeuntis originis autor.

Aeſopus ſtatim phœnicem auem eſſe dixit. Poſt hos & huiuſmodi alios multos ſermones, fateri coactus Amaſis, ſe ſuoſq́ Aeſopi ſapientia victos, atque deberi præmia & laudationes Lycero, Aeſopum cum ingenti gloria ad Lycerum remiſit. Atque ille, cùm Babylone aliquandiu fuiſſet, magna cœpit incendi cupiditate reuiſendæ Græciæ. Requirebat enim animo ſuo doctiſſimorum hominum conſuetudinem, qua quondam ibi eſſet vſus, & gentis humanitate & manſuetudine inuitabatur. Quare impetrata à Rege copia proficiſcendi, ea tamen lege, vt Babylonem primo quoque tempore repeteret, traiecit in Græciam, ciuitateſq́ illius gratiſſimo itinere pertranſiens, quicquid vbiq; audierat doctorum & ſapientum eſſe, ad eos ſe conferebat, talemq́ ſe præbebat, qui ſingularem relinqueret omnibus ſapientiæ ſuæ opinionem.

Peragrata autem pene vniuerſa Græcia, venit & Delphos, ſiue vt oraculum conſuleret, ſiue ratus

illos quaſi familiares Dei, reliquis facile anteire ſapientia. Erat autem illius loci per famā vetus, quæ iam totum fermè orbem terrarum peruaſerat, veritate & certiſsima fide prædictionum & fatorum celebris, quæ Apollo canere putabatur. Itaque hoc potiſsimum Crœſus, qui paulo poſt hæc tempora bellum Cyro intulit, traditur vſus, cùm quidem prius periculum ipſius feciſſet, vt ſcribit Herodotus, prorſus ridiculum. Nam quos legarat ad conſulendum Deum, ijs horam diemq́; qua interrogarent præfinierat. Erat autem mandata interrogatio: Quid rex Crœſus tum rerum ageret? Ipſe verò illo tempore in regiam ſe abdens, aheno contecto impoſitas carnes agni & teſtudinis coquebat. Ibi ferunt ſacerdotem Apollinis hæc reſpondiſſe Lydis:

Aſt ego littoribus ſparſæ numerum ſcio arenæ,
Menſuramq́; maris, vocemq́; intelligo muti.
Audio dicentem nihil. Et nunc tangor odore
Cortice munitæ dura teſtudinis, agni
Inter quæ carnes in operto ebullit aheno
Aes vbi adimpoſito ſubſtrato amicitur ab ære.

Tanta igitur de fama, inſignes pietate & ſapientia Delphos eſſe, ille arbitrabatur. Cæterum cùm illò aduenisſet, ſecus rem habere ſe comperit. Nam & ſuperbos & lucri cupidos, & contemptores eos cognouit. Quod quidem ipſe ægreferens, illorum vitia tali ſimilitudine notauit: Delphos ita eſſe vt ſarmenta, quæ in mari procul fluitarent, & ſtantibus in littore ſpeciem aliquam non contemnendæ rei præberent, at vbi appropinquaſſent, tum proderent futilitatem ſuam: Et Delphos quidem abſentibus quantiuis pretij videri, ſibi verò, qui ad ipſos acceſsiſſet, diuerſum eſſe compertum. His ſermonibus mirum in modum Delphorum principes offendebantur, incenſi indignatione & ira, ſimul etiam metuentes, ne apud exteros

Aeſopi inſectationibus exiſtimatio ſua detereretur. Quare conſtituère è medio tollere, & vita illum priuare, ſe liberare cura. Sed quia occultè ſe illum necare non facilè poſſe intelligebant, & quòd contumelioſa morte afficere cuperent, vt iure hoc facere viderentur, ſubmiſere, qui paranti abitionem in ſarcinas pateram auream implicaret. Quo facto, illum ignarum omnium, & iam oppidum egreſſum, deq́ monte deſcendentem, Delphorum lictores conſecuti, vt ſacrilegum arripiunt, & in oppidum retrahunt. Neganteq́ illo, & inſanire eos dicente, ſarcinæ diſcinduntur, inq́ ijs inuenta patera populo oſtenditur: ipſe inter defenſiones ſuas in carcerem compingitur. Poſtero die productus, poſt accuratam refutationem obiecti criminis, nihilo ſecius ſententia capitis condemnatur, pœna conſtituta, vt de ſaxo præcipitaretur. Aeſopus magnopere ab illis contendit, dicentem pro ſe tamen vt audire vellent, quo conceſſo, hanc illis fabulam narrauit. Mus ranam inuitarat: cumq́ illam in penum repletum vario genere eſcarum introduxiſſet, Mi ranuncule, inquit, paſcere hilariter, & exple te præſentibus bonis: nihil enim arbitror te deſideraturum omnium, quæ gulæ apta habeantur. Rana inuidens tantam felicitatem muri, quem videret in delitijs ſummis quotidie viuere, cùm ipſa in limo tabeſceret, cupiens illum perdere, gratum ſimulat animum verbis, muremq́ viciſſim ad ſeſe inuitat, ſed non, inquit, pari apparatu te excipiam, noſtras tamen etiam opes qualeſcunq́ volo ſpectes. Cæterum, quia tibi in aquis verſari inſuetum eſt, ne quò aberres, filo tuum meumq́ calcem alligabo, atq; ita domum noſtram deducam. Placebat conſilium ſtolido, adq́; ranam annectebatur: Quæ in paludem deſiliens, & profundum petens, illum miſerum & ſerò ſapientem ſub vndis periturum vnà

trahebat. Qui cùm cerneret ſe ſuffocandum: Ego quidem, inquit, tam indignam mortem vlciſci non potero, hoc tamen ſcio, vltore me non cariturum. Rana eo ſermone nihil mouebatur. Poſt breue tempus, ſupra aquas murem natantem miluius videt, quem dum in cibum ſibi aufert, pendentem inde etiam ranam attrahit, & viuum poſt murem dilaniat. Atq; ego, inquit Aeſopus, quomodo vlciſci me poſsim, non video, ſed hoc ſcio, non futuram mortem meam inultam. Nihil mouebantur Delphi his ſermonibus, lictoriq; vt iuſſa peragat imperant. Ibi Aeſopus elopſus de manibus illorum, in aram, quæ prope poſita erat, confugit, ſperans ſe religione loci defenſum iri. Sed ne ſic quidem Delphi inceptum perſequi deſtitere, negantes perfugium deorum poſſe habere eum, qui illorum fana compilaſſet. Tum Aeſopus hanc illis fabulam narrauit: Lepus aquilam fugiens, forte ad ceſpitem defertur, vbi ſcarabeus inhabitabat, eum vt ſeruaret miſerum & inopem orat. Scarabeus procedit ad aquilam, vtq; ſupplici ſibi lepori parcat, obteſtatur per Iouem deosq; omnes, monetq; vt prouideat, ne contemptu ſuæ exiguitatis propriaq; ſuperbia, in aliquod inopinatum malum ruat. Nihil aquilæ his ſermonibus magis ridiculum fieri potuiſſe viſum, itaq; alæ vnius flabris refutato ſcarabeo, leporem aufert ac dilaniat. Tulit eam deſpectionem ſui & aquilæ ferocitatem per indignè ſcarabeus, & tota mente in vindictæ curam incubuit. Cumq; ſecutus auolantem aquilam, quo loco illa nidum fixiſſet, ipſumq; plenum ouis cognouiſſet, operitur dum ad paſtum aquila de nido auolaret, tum omni vi ipſe interea annitens, oua de nido deuoluit, quæ per altiſsimas rupes delabentia, facilè comminuuntur. Reuerſa aquila, detrimentoq; ac damno cognito, ignara quo autore accepiſſet, in multo magis

to magis arduis rupibus nidificat, ſed ſimili euentu. Itaq; inops conſilÿ, ad ſummum Iouem, cui quaſi armigera eſſet conciliata, ſubuolat, queriturq́; calamitatem ſuam, & auxilium implorat. At tu, inquit ille, in gremio meo oua parito & componito, quo quidem in loco, vt opinor, tuta erunt. Obſeruabat ſcarabeus ſedulo hoſtem, ſimul vt e dolore illius voluptatem caperet, ſimul vt quid ageret ſpecularetur. Aduerſus igitur hunc receptum Iouis tale machinatur: pilam luto ſtercoreq́; conglobatam, quantam ſuſtinere potuerat, ſupernè in gremium Iouis deÿcit: Iupiter offenſus fœtore & ſordibus, feſtinat è gremio ſterquilinium excutere, ita ſimul oua laxata veſte prouoluuntur. Aderat aquila, doloreq́; & deſperatione, ſi neque in Iouis genibus tutò oua deponere liceret, exanimata, videbatur omnem ſpem propagandi generis ſui abiectura. At Iupiter mirari, & aliquod inſigne eſſe ſcelus dicere, quod illam exagitaret. Ibi ſuppliciter ad pedes Iouis ſcarabeus prouolitans, & lepuris ſuamq́; iniuriam queſtus, contemptus ipſorum deorum atq; adeo ſummi Iouis aquilam accuſauit. Iupiter re cognita damnauit quamuis dilectam ſibi auem: Ne tamen genus ipſius deleretur, cùm iuſtas inimicitias & bellum gerere ſcarabeum cenſeret, ſtatuit, vt aquila eo anni tempore, quo ſcarabei cernerentur, nunquam oua pareret, pulloſue educeret. Neq; vos, inquit, aram profanate, Deosq́; veremini, vindices ſcelerum. Vix finierat: cùm illum iuſſu magiſtratus lictores ab ara crudeliter abripiunt, inq; rupem vnde deÿceretur deducunt. Aeſopus cernens, neque in ſua innocentia neque Deorum perfugio ſe opem inuenire, ſibiq́; haud dubie moriendum, fraude & vi circumuento, priuſquam deturbaretur de ſaxo, fabula huiuſmodi in illos eſt inuectus: Ruſticus in agro conſenuerat,

ROMA

neq; vnquam viderat vrbem. Qui ſentiens ſe morti proximum, ſuos orauit, vt in vrbem, antequam vitam finiret, curarent ſe deportandum. Illi non magnopere de ſene ſoliciti, aſinos ad plauſtrum adiungunt, quo in vrbem veheretur. Erat illis via trita in vrbem & nota, ſed forte dum in itinere eſſent, tempeſtas ventiq; coorti depulerunt à via aſinos, qui illa caligine in præcipitia deſtruntur. Ibi ruſticus videns quo in loco res eſſet: Me miſerum, inquit, ſi violenter pereundum mihi omnino fuit, quòd non perdunt me aliquæ generoſæ animantes, ac potius ignauiſſimæ aſini beſtiæ. Ita, vtinam, inquit Aeſopus, cùm pereundum eſſe videam, perirem quidem, ſed non perderet me tam futilis & ab omni bonitate aliena hominum natio. Nunc verò, quod reliquum eſt, deos oro, ne innocentis indignā necem inultam eſſe patiantur, vtq; oſtendant vindicta & animaduerſione ſua, facta ſcelerata & facinora mala ſibi non placere: id quod futurum eſſe mihi plane perſuadeo. Hæc locutum & inſuper parantem alia dicere, irruentes Delphi, de rupe, vbi Diphriadum petrarum nomen fuiſſe monti traditur, deturbant, atque ille præceps delatus, fracta ceruice interijt. Non longo tempore poſt hæc, Delphi omni genere calamitatum opprimebantur, graſſante in illos cùm peſtilentia tum fame, & omnibus ijs malis, quibus homines ac beſtiæ atque etiam ſata & arbores affligi interimiq; ſolent. Quapropter facti illos vehementer pœnitere, ſed ſero. & afficere ſummus dolor, quàm capiebant ob perpetratum, iræ & odij impulſione & impotentia animi, nefarium facinus, vtq; ſolent homines leues ac imperiti, quàm cupidi fuerant mortis Aeſopi, & ad interficiendum eum feſtinarant, tam vitam illius interempti expetere, & ſi fieri poſſet, in hanc ipſum quocunq; modo reuocare velle. Fertur & hoc, obuerſatam

fuiſſe

fuiſſe Delphis terribilem quandam veluti manium Aeſopi ſpeciem, qua dies atq; noctes exagitarentur, conſcientia ſcelerum hanc imaginem ſibi fingente, vel etiam diuinitus illa excitata. Ex eo autem fama ſparſa fuit, Aeſopum reuixiſſe, atq; hunc à Dijs immortalibus honorem habitum ſapientiæ & pietati illius, quod & de Hercule & Glauco & Alceſtide fabulæ tradidere. Sed Delphi cùm diutius in Deorum atq; hominum odio, quòd cœlum terramq; infeſtam haberent, durare ſe poſſe non confiderent, Apollinem familiare ſibi numen, interrogarunt, quid ſe, vt tantis & tam intolerabilibus miſerijs liberari poſſent, facere oporteret? Quibus ille reſpondit: Luendum eſſe innocentis ſanguinem & pœnas dandas impij parricidij. Atque tum, vt diximus, Iadmon Samius has nomine Aeſopi tandem expetiuit, & Delphis melius eſt factum.

Atq; hæc ſunt, quæ paſſim de Aeſopo tradita reperimus, & referenda putauimus, rati neq; vtilitate lectionis expertia futura, & iucunditatem nonnullam habitura eſſe. Quod autem de morte Aeſopi traditum commemorauimus, id videri poſſit tranſlatum huc de Orgilai cuiuſdam, Phallidis filij, interitu, cui cùm Crates primarius ciuis Delphis, vt Plutarchus ſcripſit, ſuam filiam deſpondiſſet, inter ſacra menſæ, cùm ſuo more Dijs libarent, ſuaq; ſponte crater medius diſceſſiſſet, Orgilaus malum ominatus, ſponſa deſerta, vna cum patre in voluntarium exilium abijt. Paulò pòſt, cùm ad ſacrificium quoddam ſolenne Delphos redijſſent, Crates, qui illorum diſceſſione ſe ſuosq; contumelia affectos fuiſſe arbitraretur, odio flagrans, facientibus rem diuinam, neſcio quid auri conſecrati deo, obtruſit, atque accuſatos ſacrilegij, curauit de rupe indemnatos præcipitandos. Neceſſarios autem quoſdam illorum, qui ſupplices in ædem

Prouid

Prouidentiæ confugiſſent, direptos de ara & illos iugulauit. Idem tamen Plutarchus de Aeſopo hæc, quæ deinceps exponam, ſcripta reliquit in eo libello, in quo diſputatur de vltione numinis lentiore. Delphos, inquit, veniſſe quondam è Lydia Aeſopum accepimus, cùm quidem illò à Crœſo miſſus fuiſſet ad ſolennia quædam ſacrificia celebranda, cum magno pondere auri, quòd & rem diuinam Rex ſumptuoſe atque magnificè fieri vellet, & , quo clarior fama eſſet cùm religionis tum munificentiæ ſuæ, iuſsiſſet ſingulis ciuibus vrbis Delphicæ à ſe tribui minas quaternas, quæ ſumma fuerit nummi Romani, M. ſexcenti ſeſtertij, & noſtratis, coronati quadraginta. Cùm autem, vt apparet, offenſiones & inimicitiæ inter Aeſopum ac Delphos exortæ eſſent, ſacrificium quidem ille peregit, pecuniam verò non diſtribuit, ſed remiſit Sardis, quòd indignos eos Regio beneficio iudicaret. At Delphi, conſilio inito, crimen Aeſopo ſacrilegij intenderunt, & morti addictum de rupe, quæ cognominatur Hyampea, præcipitem dederunt. Ob hoc factum Numen ipſis iratum, cùm ſterilitatem terræ, tum multiplices inuſitati modi languores ac morbos immiſiſſe ferunt, tandemq́ magnitudine & copia malorum coactos fuiſſe, vt in Græcia ad omnes conuentus ac mercatus profiterentur delictum ſuum, & inuitarent perſecutores cædis Aeſopi, illisq́ pœnas à ſe offerrent. Anno autem ferme centeſimo, Iadmon Samius has expetiuit, genere quidem non propinquus interfecto, ſed poſteritas eorum quibus ille quondam ſeruiſſet. Quas cùm perſoluiſſent Delphi, mala poſtea ceſſauerunt. Atq́ ab eo tempore putatur ſupplicium ſacrilegorum ab Hyampea ad Naupliam rupem tranſlatum fuiſſe. Sunt, qui Amphictyonas, ſeueriſsimè habita quæſtione, in autores cædis Aeſopi animaduertiſſe, deq́ ijs vniuerſis cap

ſis capitis ſupplicia ſumpſiſſe ſcripſerint. De quo & prouerbium natum uidetur. αἰσώπειον αἷμα. &, αἰσώπου δίκη, quo vel ſeras pœnas dare ſonses ſignificaretur. Fuere, qui prouocaſſe in ſe odium & iram Delphorum Aeſopum traderent, dicterijs & mordacibus fabulis, cùm in illorum ocium maxime inueheretur iocis ſuis, quòd propagarent vitam hoſtijs, quæ ab externis quotidie Apollini mactarentur: quæ ſi fortè deficiant, futurum vt famis periculum eis impendeat, quòd neq; agros quos colant haberent, neq; agros omnino colere ſcirent. Scripſit autem Plutarchus Solone, Quendam nomine Patæcum, gloriosè prædicaſſe de ſe, quòd animam haberet Aeſopi, quemadmodum Pythagoram migraſſe in ſuum corpus animam perhibuiſſe eam accepimus, quæ fuiſſet priſcis temporibus in corpore Euphorbi Panthoidæ. Ibidem correctum narratur à Solone dictum Aeſopi grauiter ferentis, quòd neque honore neq; præmio afficeretur à Cræſo Rege Lydorum Solon, offenſo nimirũ oratione ipſius liberiore. Tum igitur dixiſſe refert Aeſopum Plutarchus: ὅτι χρὴ τοῖς βασιλεῦσιν ὁμιλεῖν ἢ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα, id eſt vel conſuetudinem cum regibus nullam omnino iungi, vel quàm iucundiſſimè verſari cum eis oportere. Solonem verò reſpondiſſe: Minime profectò, ſed vel omnino non viuendum cum regibus familiariter, vel ita vt ſit vſus optimus, atq; laudatiſſimus, id eſt, ἢ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα. Quæ ideo etiam adiungenda duxi, vt opinio de ætate Aeſopi confirmaretur. Etſi idem Plutarchus ſcripſit, fuiſſe qui temporibus refellerent aduentum Solonis ad Cræſum. Ipſe tamen præclarè ait, tam receptæ & celebratæ hiſtoriæ ſe fidem habere malle quàm tabellis tempora diſtinguentibus. Quæ cùm emendentur à plurimis, redigi tamen ad conſentientem rationem nequeant. In Pelopida Plutarchus alterũ dictum quoddam Aeſopi cor

pi corrigit, neq; indicat tamen qua occaſione fuerit prolatum. Negat autem verum eſſe id quod affirmaſſet Aeſopus, ὅτι χαλεπώτατος εἴη ὁ τῶν εὐτυχούντων θάνατος, cum potius ſit μακαριώτατος. Non enim eſſe mortem fortunatorum ait, grauiſſimam, ſed beatiſſimam potius, de qua ſententia autor ille eo loco argumentatur. Laërtius à Chilone ſcripſit interrogatum Aeſopum, Quidnam ageret Iuppiter? reſpondiſſe: τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῦν. Id eſt, ex arduis facere humilia, & ex humilibus ardua. Hoc Stobæus ὁ γνωμολόγος ita expoſuit: ἐρωτηθεὶς ὁ Αἴσωπος τί οἱ θεοὶ πράττουσιν, ἔφη, τὰ μὲν οἰκοδομεῖν τὰ δὲ καταβάλλειν id eſt, Aeſopus interrogatus, quidnam Dÿ agerent? Alia, inquit, extruunt, alia deſtruunt ædificando. Comm·morata ſunt etiam à nobis alia quædam in epiſtola ante multos annos ſcripta, quam nunc quoq; exprimi placuit, & adÿci expoſitis fabulis. Sane fabulæ, quas Aeſopus compoſuiſſe exiſtimaretur, magno ſemper in pretio & admiratione apud ſapientes homines fuere. Itaq; legimus, ſcribitq; hoc Plato, Socratem, qui ſapientiſſimus habitus fuit, cœpiſſe illas verſibus exponere. Quorum quidem primi hi fuiſſe perhibentur:

Aeſopus ciues fertur monuiſſe Corinthi,
    Ne decus è vulgi calliditate probent.

Non autem dubium eſt, quin nequaquã omnium illarum. quæ ſub ipſius nomine circumferuntur, autor ſit Aeſopus, & quin poſteriores, ſecuti Aeſopum multas earum conſcripſerint. Neque eſt obſcurum, omnes huius generis fabulas Aeſopicas appellare, de qua re alibi copioſius diſſeruimus. Etſi autem ſcio, à quibuſdam certo numero cõprehenſas eas fabulas, de quibus quin factæ ab Aeſopo eſſent non dubitaretur, feciſſeq; alios duodecim, alios etiam plures, cùm quidem diſcrimen certum fieri non poſſe videatur, non

non ſolùm tamen eas nos, quæ eſſent à prioribus conquiſitæ, ſed quaſcunq; colligere potuimus, complectentes doctrinam & inſtructionem vitæ, exponendas oratione æquabili ac latina, ſi poſſemus, putauimus. Bona in ſpe, futurum, vt hoc ſcriptum nonnihil adiuuet inſtitutionem puerilem, & ſtudijs huius ætatis proſit. In quo opinio noſtra Græcorum doctiſſimorum hominum exemplo confirmatur, qui inter primordia doctrinæ fabularum lectionem atque narrationem primam eſſe, & ſtili exercitationem ab his deſcribendis voluerunt inchoari. Quamuis autem à nobis opera potiſſimum data ſit, vt oratione ea vteremur, in qua eſſet verborum elegantiæ aliquid, & proprietas figurarum, neq; alius finis propoſitus fuerit ſtudio noſtro, tamen id etiam nos præſtitiſſe confidimus, nulla vt forma & ſpecies expoſitionis bonæ, vel certè mediocris, in his quæ ſubiecimus, deſiderari poſſe videatur. Sed de hoc cùm alij iudicabunt, tum nos nequaquam laborare oportet, qui nullam ambiuimus hoc opere ſuſcepto laudem, ſed operam pueritiæ nauare ſtuduimus. Atque illud ita eſſe, vt dixi, facilè probauerit tam exilis argumenti tractatio, cùm, vt ſpero, in maioribus nota ſit induſtria noſtra. Hoc autem ſi conſecutus fuero, vt de iſto labore fructum capiant pueri noſtri, magnam etiam laudem me adeptum eſſe exiſtimabo, qui in hac negligentia illorum, educatione & diſciplina peruerſa atque ſublata, aliquid illis vtilitatis atque commodi procurauerim, & adiumenta attulerim ad decus atque virtutem, quibus hoc ſæculum cùm ornatiſſimum eſſe poſſet, turpitudine & vitijs infamari malle cernimus, & hanc relinquere ad poſteros ignominiam, vt infelices & improbi eſſe potius, quàm beati atq; innocentes voluiſſe videantur.

EXTANT

EXTANT hoc tempore Æſopicæ aliquot fabulæ, editæ, vt videtur, à Planude. In Suida mentio ſubinde fit Babriæ & Babrij autoris cuiuſdam fabularum expoſitarum iambico metro, eius generis quod eſt τῶν σκαζόντων ſeu χωλιάμβων. Aldus emiſit quondam integris ſenariis Iambicis tetraſtichis omnes, prçter vltimam, compoſitas, Chabriæ nomine. Sed & apud Ariſtophanem σφηξί. ſenex verſibus Iambicis fabulas accinit: Quas viſum eſt primùm interpretari, atq; ita alias oratione ſoluta & ſermone ſimplici attexere.

Aeſopus à cœna redibat veſperi,
Huic allatrabat improba & petulans canis:
At ille ad hanc conuerſus: ô canis canis
Si per Iouem, ait, hac pro tua lingua mala
Panes coëmeres, cor tibi eſſe crederem.

Fabula intorquetur in cauponam, quæ negotium ſeni faceſſeret, cuius ſe loquacitatem ſignificat contemnere. Et mox prouerbij figura fabulam breuiter memorat, qua ſignificat ſe nihili pendere dicta illius.

Contendit olim (inquit) *Laſus cum Simonide,*
Tum Laſus ait ad illum te nihil moror.

Poſtea refutat quendam à ſe pulſatum, qui de iniuria expoſtularet alieno tempore, cùm illi medicus quærendus potius eſſet.

Sybarita quidam de curru quondam excidit,
Ac fortè magno fractum vulnere eſt caput.
Equeſtris imperitus erat enim rei.
Cui dixit aſtans familiaris quiſpiam:
Quam quiſque nouit artem in ea ſe exerceat.

Eundem rurſus aliter eludit.

Sybaritis æreum vas mulier fregerat,
At hæc adeptum neſcio quem teſtem facit,

Tum

Tum dicit ei Sybaritis: Per Proſerpinam
Si teſtibus relictis emeres faſciam,
Habere cordis multo plus te crederem.

Hæc ideo expoſui libentius, quo melius elegantiſſimus vſus fabularum de veterum tractatione appareret. Ad fabulas autem Æſopicas omnes pertinent tales narrationes, quarum eſt manifeſta abhorrentia à vero, ſiue appellentur Libycæ, ſeu Sybariticæ, ſeu Phrygiæ, Ciliciæ, Ægyptiacæ, Cypriæ. Quid enim referat, ſi ita narretur fabula, vt Æſopum, aut Libyæ aliquem incolam, aut mulierem Sybariticam, aut alium quempiam memoraſſe perhibeamus? Ad eaſdem & ἀπόλογοι & αἶνοι referendi. Apologus autem eſt longior narratio ficta, ſparſa in perſonas, vt Plautinus in Sticho, quem, nihil enim fieri illo feſtiuius potuiſſet, adſcribendum duximus.

A N. *Fuit olim, quaſi ego ſum, ſenex, ei filiæ*
Duæ erant, quaſi nunc meæ ſunt, eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quaſi nunc meæ ſunt vobis. P A N. *Miror quo euaſuru'ſt apologus.*
A N. *Erat minori illi adoleſcenti fidicina & tibicina.*
Quam peregre aduexerat, quaſi nunc tu, ſed ille erat cælebs ſenex,
Quaſi ego nunc ſum. P A N. *Perge porro, præſens hic quidem eſt apologus.*
A N. *Deinde ſenex ille illi dixit, cuius erat tibicina,*
Quaſi ego nunc tibi dico. P A N. *Auſculto atq; animum aduorto ſedulo.*
A N. *Ego tibi meam filiam, bene qui cum cubitares dedi;*
Nunc mihi reddi ego æquum eſſe abs te, qui cum cubitem, cenſeo.
P A N. *Quis iſtuc dicit, an ille quaſi tu.* A N. *Quaſi*

ego nunc dico tibi,
Immo duas dabo, inquit ille adoleſcens, vna ſi parum eſt,
Et ſi duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
PAN. *Quis iſtuc quæſo, an ille quaſi ego.* AN. *Is ipſe quaſi tu, Senex*
Ille quaſi ego. ſi vis, inquit, quatuor ſane dato.
Dum quidem Hercle quod edant addas, meum ne contruncent cibum.
PAN. *Videlicet illum fuiſſe parcum ſenem, qui dixerit.*
Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibū popoſcerit.
AN. *Videlicet fuiſſe illum nequam adoleſcentem, qui illico*
Vbi ille poſcit, denegauit ſe dare granum tritici.
Hercle quia æquum poſtulabat ille ſenex, quandoquidem
Filia ille dederat dotem, accipere pro tibicina.
PAN. *Hercle ille quidem certè adoleſcens docte vorſutus fuit,*
Qui ſeni illi concubinam dare dotatam noluit.
AN. *Senex quidem voluit, ſi poſſet, indipiſci de cibo*
Quia nequiuit qua lege licuit, velle dixit fieri,
Fiat, ille inquit adoleſcens: Facis benigne, inquit Senex,
Habeon' rem factam inquit? faciam ita, inquit, vt fieri voles.

Ænus autem habet obliquam quandam & ſæpe mordacem, ſæpe acerbam petitionem, admonitionem, reprehenſionem: Vt Heſiodi αἶνος, & Homeri ὀδυσσ. ξ de chlæna. Sed de his fecimus alibi verba copioſiùs, & quantum ad ea, quæ ſuſcepimus, exſequenda ſatis eſſe iudicauimus, tantum mentionis illorum aſſumpſimus.

FAB

FABVLAE ÆSOPICÆ,

Aquila & Vulpes. 1



INIIT quodam tempore ſocietate Aquila cum Vulpe, quæ vt vſu familiaritatis confirmaretur, etiam nidos illis vicinos habere viſum. Et aquila quidem ſuum in arbore fixit

procera, at vulpes propinquas arbuſculas occupauit. Accidit fortè, vt paruulis ſuis relictis domi, vulpes ad quærendum paſtum exiret: aquila, cui eo die non fuiſſet præda oblata, eſuriens vna cum pullis ſuis, arreptos catulos neceſſariæ vulpis in ſuũ nidum deportat, & illis ſeſe ac ſuos exſaturat. Reuerſa paulò pòſt vulpes, vbi rem geſtam cognouit, incredibili dolore affecta fuit, cumq; ſuorum interitum ferret iniquiſſime, tum hoc illam excruciabat, & ita deſpectam ſe ab aquila, & vindicandæ tantæ iniuriæ nullam ſibi viam apertam eſſe. Facilè enim intelligebat, celeritate illam atque viribus longe præſtare. Fecit igitur quod concedebatur, vt obſequeretur animo ſuo, & propter arborem aſſiſtens, maledictis & conuiciis, non magis iam neceſſariam ſuam, ſed hoſtem capitalem inſectata, Deos ad tam indigni facinoris vltionem aduocauit. Aquila deſuper hæc ridere, & illam contemnere. Non diu autem poſt hæc, cùm fortè eo in loco feriæ eſſent ruſticanæ, & exta mactati pecoris adolerentur, aduolauit aquila, vt con ſueuerat ad exta; quæ dum rapit, adhæſit de fauilla & carbonibus aliquid; quo in nidum vna cum illis delato, & forti vento exorto, materia qua nidus congeſtus fuerat

rat flamma concepta exarſit : cumq; illa incendio diſſiparetur, delapſi ſunt & pulli aquilæ in terram ſemiuſti, quos tum vulpes inſpectante aquila in ſua dumeta auferens, in magna lætitia vindictæ deuorauit.

Fabula hæc docet, perfidos & ſceleratos, quamuis iniurias & vim potentia ſua aliquantiſper defendant, numinis tamen animaduerſionem & vltionem euadere non ſolere: ſecundum Horatianum hoc:

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Aquila & Scarabeus. 2

Hanc fabulam, etſi illa ſupra eſt in hiſtoriola Æſopi expoſita, tamen iterum narrare placuit.



Lepus quem aquila inſequeretur, ad ſcarabei lamulam confugit, & illius auxilium

lium implorauit. Scarabeus petit ab aquila, vt parcat ſupplici, perq; ſummum Iouem obteſtatur, ne deſpiciat tenuitatem ſuam. At illa profligato ſcarabeo, raptum leporem deuorat. Quam auolantem aſſectatur ſcarabeus, vt cognoſceret quo illa loco nidificaret, ac mox occaſionem nactus, de nido aquilæ omnia oua, quæ inerant, deuoluit per petrarum præcipitia. Aquila re comperta, autori doloris ſui valde irata, nidum extruit in multo magis arduis rupibus, & in illo parit oua, ſed ſimili euentu. Tum inops conſilij ad Iouem aduolat, cuius propria auis eſſe perhibetur, & tertiam fœturam in illius gremio deponit, orans atque obſecrans, vt tutam præſtaret. At ſcarabeus globulum ſterquilinij eodem deiicit. Quem excuſſurus Iupiter, laxata veſte oua aquilæ effundit, quę inflicta pauimēto, ſecundum Homerum, æreo, facilè comminuuntur. Cùm autem de ſcarabeo intellexiſſet, quòd ab aquila factam iniuriam ſibi hac voluiſſet ratione vindicare, quòd ſtatueret, non ſolùm ſcarabeum, ſed etiam ſuum numen ab aquila læſum atque violatum eſſe, reuerſam illam grauiter obiurgauit, & indicauit ei autorem malorum, quæ paſſa eſſet. Cùm tamen genus aquilarum funditus interire nollet,

nollet, ſcarabeum ad gratiam cum aquila reconciliandam adducere tentat: quo vehementer refragante, aquilæ tum partum tranſtulit ex eo tempore in aliud, quo ſcarabei non apparerent.

Monemur hac fabula, ne quem facilè contemnamus, vtq; cogitemus, neminem eſſe tam abiectum & humilem, qui non ſuæ iniuriæ vindicandæ aliquam occaſionem inuenire poſſit.

Luſcinia & Accipiter. 3

CANTANTEM vt conſueuerat, ab arbore procera luſciniam rapuit eſuriens accipiter: Quæ cùm intelligeret ſibi mortem impendere, ad preces conuerſa, orat accipitrem, ne ſe perdat ſine cauſa. Non enim ſuam exilitatem auidiſſimum ventrem illius poſſe explere, itaque ſuadere, vt grandiores alias volucres venetur. Cui accipiter: Inſanirem, inquit, ſi partam prædam amittere, & ſequi vellem ea, quę nuſquam apparent.

Intelligendum, ſimiliter & homines incogitantes quoſdam reperiri, qui ſpe maiorum præſentem copiam deſpiciant atque negligant.

Vulpes & Hircus. 4

SITI correpti hircus & vulpes, in profundum puteum deſilierunt, cumq; illam



ſedauiſſent, hircus cœpit circumſpicere & quærere, quà de aquis euadere in terram poſſet. Cui vulpes: Bonum, inquit, animum habe, nam mihi conſilium ſubiit, quo vſi ſeruari poſſimus ambo. Si enim te in poſteriores pedes erigens, priores parieti iſti applicueris, & caput alte cornua vt oblique reclinentur, extuleris, tum ego de tergo tuo in hæc aſcendere, atque deinde exilire de puteo, & te mox etiam attrahere facilè potero. Ad hæc cùm ſe hircus paratum eſſe diceret, & obſequentem præbuiſſet, euaſit de puteo vulpes, atque ibi læta circum fauces exultare, & deridere hircum cœpit. Ille verò hanc grauiter accuſare, & perfidiæ inſimulare. Cui vulpes illudens: At tu, inquit, hirce, ſi tam

cord

datus eſſes, quàm barbatum eſſe ſcimus, nunquam in iſtum te locum, non explorato reditu, immiſiſſes.

Significatur hac fabula, viros prudentes priuſquam quicquam aggrediantur atque incipiant, præuidere & conſiderare, quonam illud euaſurum, & quem finem habiturum eſſe videatur.

Vulpes & Leo. 5



QVAE nunquam Leonem vulpes viderat, cùm huic fortè occurriſſet, ita fertur exterrita, vt pene moreretur formidine. Eundem conſpicata iterum, extimuit quidem, ſed nequaquam vt dudum. Tertiò illi obuiam facta, tam firmo animo fuit, vt accedere propius & compellare illum auderet.

Oſtendit fabula, etiam grauiſſima & difficillima negotia vſu & conſuetudine tractabilia reddi.

Itemq́; hoc, inopinata omnia vehementius animos perturbare conſueuiſſe.

Felis & Gallus gallinaceus. 6



FELIS, captum Gallum cùm vellet videri iure occidiſſe, accuſare illum cœpit, primùm moleſtiæ quam afferret mortalibus, quibus perpetuam noctem obſtreperet clamoribus ſuis, & quos acquieſcere defatigatos non pateretur. Hoc cùm Gallus defenderet, quòd illis hac re vtilem ſe operam dare aſſereret, qui ad neceſſaria opera eos excitaret, indicaretq́; his faciendis tempus idoneum: Te tamen, inquit felis, nullum aliud eſt animal magis impudicum, qui naturæ legibus confuſis, cum matribus & ſororibus te commiſces. Hoc ego, inquit Gallus, ſtudio inſeruio rebus

rebus & commodis heri mei, quo plura huic oua pariantur. Cùm igitur nullum poſſet afferre crimen felis, quod in gallo adhæreſceret: Tu licet, inquit, cauſſa non inferior eſſe videare, mihi tamen eſurire in animo non eſt, atque ita illum iugulat.

Imago hæc eſt ſuperbiæ atque crudelitatis. Hæc enim vitia, quicquid dicatur aut fiat, iniuſtam vim vrgent, quamuis prætexere ſi quid forte poſſint facinoribus ſuis, non omittant.

Vulpeculæ. 7



ELAPSA vulpes de laqueo, ſed mutila, nam caudam amiſerat, non viuendum in tanta deformitate ſibi eſſe exiſtimans, cœpit in commune ſuadere omnibus, vt & ipſæ præcidi caudas ſibi paterentur: cupiebat enim in turba & ſocietate turpitudinis

dinis ſuum vitium quaſi occultare. Quid enim, inquit, has & indecoras, & ſuperuacaneum onus geſtamus, vel potius attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obſecro, rei vtiles ſunt, niſi fortè verrendum ſolum conduximus? Parantem dicere plura, vna de multitudine iuuẽcula fertur interpellaſſe his verbis: Heus tu, meà matercula, num fueras hoc ſuaſura etiam, ſi non tibi emolumẽto futurũ eſſe ſperares?

Significat fabula, neq; aliorum commoda deliberationibus malorum propoſita eſſe, neq; libenter homines ea conſilia admittere, quæ non eorũ, quibus dantur, commoda ſpectare atq; procurare videantur.

Vulpes & Sentes. 8



INSILIERAT fortè in ſpinoſas vepres vulpecula, cumq; laberetur, ſentes appre

apprehendit, in quibus inniteretur, ab his ſauciata, cum cruentis pedibus & magno dolore: Siccine, inquit, ſceleratæ ſentes, accipitis ſupplicem veſtram? Cui ſentes reſponderunt, Valde eam deceptam fuiſſe, quæ vellet ſeſe apprehendere, cùm ipſæ apprehendere & retinere alia omnia conſueuiſſent.

Oſtendit fabula, ſtulte facere eos, qui opem & auxilium ab illis ſperent, quibus inſita ſit malefaciendi & iniuriarum voluntas.

Vulpes & Crocodilus. 9

CROCODILVS Ægyptiacũ eſt animal, tetrum aſpectu, atque monſtroſum, ſpecie lacertæ, cute rugis & ſquamis horrida, vaſtum atque informe. Inter hunc & vulpem quodam tempore certamen de generis nobilitate extitiſſe narrant. Cùm autem crocodilus & maiorum ſuorum multa præclara facinora, & à ſe fortiter res geſtas prædicatione ſua extolleret, reſpondit vulpes; Nihil opus eſſe verbis, nam de pelle apparere omnia.

Hoc fabula innuit: Mendaces ipſa re ſolere coargui & refutari.

Gallinæ & Perdix. 10

QVI delectabatur alendis gallinis, allatam ſibi fortè perdicem addidit ad co-

hortem



hortem illarum. Quæ cùm miſeram morſibus impeterent, & ab eſca repellerent, ſingulari illa dolore animi afficiebatur, quòd ſibi hoc, quæ aliena eſſet, eóq; illis nomine inuiſa, accidere putaret. Paulò pòſt videt ipſas quoq; illas ſe mutuò conſcindere, tum ſe conſolata: Si inter ſe, inquit, iſtæ inimicitias gerunt, neque parcunt ſibi, ferenda ſcilicet & mihi æquo animo fortuna mea.

Hoc fabula ſibi vult, prudentibus magno eſſe ſolatio conſiderationem communis ſortis & conditionis, cùm animaduertunt, neminem eſſe, cui non mala & aduerſa plurima obijciantur. Eoſdem libenter etiam comparare ſua mala cum aliorum malis, qui reſpectus ſæpenumero opinionem magnitudinis his adimere ſoleat.

Vulpes. 11

IN ſtatuarij officinam irrepſerat vulpecula,

pecula, ac contemplando diuerſi generis & variæ formæ effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen vna muliebris corporis ſtatua imprimis illam delectabat, ad quam & accedere, & ſermonem inſtituere, & blandiſſimè alludere. Sed ſtatua immobili perſiſtente, vulpes indignata: Quàm formoſa, inquit, facies, cerebro caret.

Notantur hac fabula ſplendidi & conſpicui, cùm corpore tum fortunis, ſed ſtolidi & vecordes. Et videtur autor huius alluſiſſe ad verſum Homericum ὀδ. θ de Venere:

οὕνεκα οἱ καλὴ θυγατὴρ ἄταρ οὐκ ἐχέθυμος.

Filia pulcra quidem huic eſt, ſed mens deficit illam.

Carbonarius & Fullo. 12



CONDVXERAT perquam ſpacioſas

ſas

ſas ædes carbonarius, itaque inuitat fullonem habitantem anguſtius, ad ſe vti commigret. Negauit fullo ſibi hoc faciendum, neque fieri omnino oportere. Quid enim nobis commercij, inquit, inter nos eſſe poſſit, cùm, quæ ego fortè eluendo nitida reddidiſſem, ea tu fuligine & maculis repleres?

Docet fabula, diſsimilia non rectè coniungi. Itaq. dicitur & prouerbio veteri, Pares cum paribus facilè congregari.

Piſcatores. 13

DVM extrahunt naſſam de aquis piſcatores, grauiſſimum pondus eſſe illius ſentiunt. Quare lætitia exultare, & felici euentu immodicè gaudere, quòd opera præclarè poſita videretur. Sed naſſa ſubducta in terram, conſpicantur ingens ſaxum, quo illa depreſſa fuerat. Ergo mutatis animis, contriſtari atque mœrere, neque minus doloris capere ob falſitatem opinionis, & ludibrium fortunæ, quàm incommodum ſuum. Tum vnus inter eos ſenior obiurgare eos, & dicere: Non nimis indignè ferendum caſum illum, quòd conſanguineam habere gaudium videretur triſtitiam. Itaque vix aliter potuiſſe fieri,

fieri, quàm vt illius tanto complexu etiam hanc aſſumerent.

Vtrunq; fabula monet, non prius lætandum, quàm explorata fortuna, neque tamen triſtiores exitus non etiam moderatè ferendos eſſe.

Gloriator. 14

REVERSVS in patriã quidam ſuam, vnde aliquot annis abfuerat, in omnibus cœtibus gloriabatur, & iactabat ſermone præclara facinora ſua: atque ſe in inſula Rhodo ſaltando ſignum fixiſſe, quod nemo omnium qui adeſſent aſſequi potuiſſet. Huius ſe habere teſtes vniuerſos Rhodiēſes aiebat. Tum vnus de circulo: Heus tu, inquit, ſi vera prædicas, hoc eſſe loco Rhodum puta, & hîc ſaltum iſtum edito.

Fabula hæc ſubijcit, quod & Demoſthenes dicit, vanam eſſe orationem omnem, quæ rebus deficiatur. Prouerbium autem hoc vſurparunt veteres, in oſtentationibus glorioſorum retundendis, vt ſic illos increparent: Hic Rhodus, hic ſaltato.

Votum quod ſolui non poſſet. 15

AEGROTABAT pauper, & in morbi grauiſſimo periculo cùm à Medicis deſperaſſet, ad opem deorum confugit, quibus ſe, ſi conualuiſſet, centum tauros immolaturum eſſe promiſit. Hæc vxor illius, vt prope aſtabat, cùm audiſſet: Vnde mi

vir, tantum, inquit, numerum taurorum parare poſſis, ſi voti conuictus ſis? At ille: Quid tu, cenſen' inquit ſtulta, cœlo deſcenſurum, qui illud ſacrificium fieri poſtulet, ſi ego ſanitatem recuperauero?

Narratur fabula & hunc ad modum.

Cùm multi vna in naui veherentur, orta tempeſtate horribili, vnus cæteris formidoloſior, quaſi deſperato omni auxilio humano, Deos inuocare, & illis vota pro ſalute ſua nuncupare, interq; alia promittere, ſe conſecraturum de cera lampadem, tantam & tam ponderoſam, vt malo nauis æquaretur. Eo forte, qui iuxta illum aſſidebat, audito, cùm ſciret mediocres eſſe, vel etiam infra mediocritatem, facultates hominis, admonere voti magnitudinis, quod non videretur exoluere ille poſſe. Cui hic reſponderit: Si nauis modò ſeruata, & in portum delata eſſet, ſe facile diis ſatisfacturum, quos confideret poſtea vno numulo empto cereo, contentos futuros.

Significatur, eſſe multos in pollicendo faciles, qui etiam promittere ea ſoleant, quæ non velint neque cogitent facere.

De Apollinis tentatore. 16

TENTATVRVS Apollinem, Deorum quidam contemptor & callidus, per ſacerd



ſacerdotem fatidicam illius, in templum venit dei, vbi omnia pro ritu ſuperſtitionis illius apparata eſſent, occultatum manu ſua paſſerculum continens: cumq́; ante cortinam, quem τρίποδα Græci vocarunt, aſtitiſſet, ſciſcitatus eſt: Viuerétne an mortuum eſſet, quicquid in manu teneret, ratus ſe facile in vtranque partem datum reſponſum refutaturum eſſe. Tum vates de numinis inſtinctu hæc fertur ceciniſſe:

Quicquid id eſt tectũ tua quod nunc dextera celat,
Vel viuit vel iam moritur, noſtriq́; videbunt
Alterutrum in prolato oculi, ſed te penes huius
Arbitrium facti eſt, & ad hoc mens noſtra recurrit.

Diſcendum hoc eſt: In rebus diuinis maxime, ſed & erga ſapientes non fere quicquam valere fraudes & aſtutias imp. oborum.

Piſcatores. 17

Cvm piſcatores diu multumq; defatigati, nihil capere potuiſſent, tędio tandem affecti, perdita opera, triſtes domum redire parant. Tum de improuiſo Thunnus, à reliquis piſcibus agitatus, ſaltu in nauigium illorum ſe dedit, quo potiti cum præda & lætitia abiere.

Indicat fabula, ſæpenumero ſorte fortuna obuenire ea, quæ nulla arte ac ratione parari potuerint. Secundum Tragicam clauſulam:

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοὶ,
καὶ τὰ δοκηθέντα οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Præter ſpem multa Dei efficiunt,
Et ſpes multos ſua fruſtratur,
Contra expleat inſperata Deus.

Fraudulentus. 18

Pericvlose ægrotans pauper vouit, centum ſe bobus rem diuinam diis facturum eſſe, ſi conualuiſſet. Dij illum, fide habita, ſanitati priſtinæ reſtituerunt. At ipſe confirmatus pannuceos boues centũ finxit, & Diis immolauit. Quam rem cùm indignè tuliſſent Dij, exacturi pœnas perfidiæ, immiſere illi ſomnium, quo iuberetur in certo loco littoris terram effodere, quòd ibi inuẽturus eſſet quadringenta M.

num

nummûm,id eſt mille Atticas minas. Quo cùm expergefactus cupidè perrexiſſet, & aurum quæreret, captus à Piratis fuit. At ille ſimiliter, vt Deos antea, & hos fallere tentans, policetur pro ſuo corpore talenta mille, immanem pecuniæ ſummam. Nam noſtratis nũmi hæc fuerit circiter ſexin-gentorum M. aureûm coronatorum. Sed cùm huic illi minime crederent, abductus & mille denariis venundatus fuit.

Fabula docet, mendacia, mendaceſq; homines Dÿs eſſe inuiſos.

Ranæ. 19



INCOLEBANT ranunculi duo paludem, qua ſideris calore, vt æſtate fieri ſolet, exſiccata, relictis ſedibus illis pergebãt

quæſitum alias: Cumq́; veniſſent ad profundum puteum: Hic, inquit vnus, commodè manebimus, neque facile alium locum meliorem inuenire poterimus. Cui reſpondit alter: Placere & ſibi locum, ſed arbitrari ſe, prius quàm illò deſilirent conſiderandũ, ſi quo caſu & illę aquæ receſſiſſent, qua ratione de puteo redituri eſſent.

Docemur hac fabella, nihil eſſe omnium rerum imprudenter aggrediendum, ſed vt dici ſolet, in principÿ capite, quaſi pede finis contemplari vnumquenque debere.

De Sene & Morte. 20



CECIDERAT ligna in ſylua ſenex, quorum faſce ſublato domum redire cœpit. Progreſſus autem multum ſane viæ, cùm defatigatus eſſet, & onere & itinere, depoſito

depoſito lignatu, acquieſcens conſiderare ipſe ſecum ætatis, inopiæ, ſolitudinis miſerias, & clara voce inuocare mortem, cuius auxilio facilè liberari ſe ab omnibus malis poſſe diceret. Tum mors exauditis precibus illius, coram aſſiſtens, quid velit percontatur. At ſenex territus, & quem iam mortis pigeret: Nihil enim, inquit, ſed requiro aliquem qui onus paululum alleuet, dum ego rurſus ſubeo.

Docet fabula, ad præſentiam mortis omnes refugere, neq; quicquam eſſe tanti doloris aut cruciatus, quod vitæ dulcedinem diluere poſſit, vereq; Creo apud Sophoclem ait?

Fugiunt & audaces retro, poſtquam prope
Viam in ſuam graſſarier mortem vident.

De Anu laborante ex oculis. 21

LABORANS anus ex oculis accerſit medicum, mercedemq; pactam, vt ſanitate recepta demum perſolueret, conuenit. Medicus orſus curationem, quotidie collirio oculos pelluebat, & ſupinam in lectulo cùm inunxiſſet, in tenebris iacentem relinquebat, aſportans ipſe ſecum quicquid fortè reperiſſet ſupellectilis, ſiue vaſculum ſeu veſtimentum mulieris. Quę cùm animaduerteret ſe ſpoliari, & iam recuperato viſu cerneret vacuam relictam domum ſibi, poſtquam acceſſit medicus,

mercedem poſtulans promiſſam, nam & eſſe illam ſanam, & ſe iudicium nullorum, quibus notus fuiſſet morbus ipſius, defugere aiebat: Non eſt ita, inquit, medice. Nam priuſquam tuæ artis fortunam ſubirem, conſpicabar paſſim copioſam domi meæ ſuppellectilem: Nunc verò ſana, vt ais, nihil prorſus video.

Significatur hac fabula, improbos & veteratores ipſos nonnunquam ſuis dolis implicari & lædi.

Ruſticus & Filij illius. 22



RVSTICVS vicinus morti cùm relinquere filiis ſuis diuitias non poſſet, voluit excitare animos illorum ad ſtudium diligentis culturæ, & in opere faciundo aſſiduitatem. Accerſit igitur illos ad ſe, atque

ita

ita loquitur: Mei filij, quo in loco res meæ ſint videtis. Vobis autem quicquid potui in mea vita comparſi, idq́; totum in vinea noſtra quærere poteritis. Hæc cùm dixiſſet paulo poſt moritur ſenex. At filij, quòd crederent in vinea illum theſaurum alicubi abſcondiſſe, arreptis ligonibus ſolum vineæ vniuerſum effodiunt, ac theſaurum quidem inuenere nullum, terra tamen fodiendo perculta, vites vberrimum fructum tulere.

Docet fabula, labores & operas, ſummas diuitias eſſe. Et eſt Epicharmea ſententia, labore à Dijs hominibus bona venire.

Herus & canes. 23



IN prædio ſub vrbe quidam tempeſta-

te incluſus, primùm ouibus mactatis vitã ſuſtentauit, mox durante illa, ne à bobus quidem aratoribus abſtinuit. Quæ cùm canes fieri viderent, conſilium inter ſe aufugiendi illinc inierunt, quòd non ſperare poſſe viderentur, ibi locorũ ſe tutos futuros, vbi bobus aratoribus non parceretur.

Monet fabula, illos fugiendos imprimis, apud quos ne domeſtici quidem & neceſſarij in tuto eſſe videantur.

Mulier & Gallina. 24



MVLIER vidua gallinam habebat, quæ ſingulis diebus ouum vnum pariebat, quæ ſi curaret diligentiùs & ſaginaret gallinam, ſperandum eſſe exiſtimabat, vt bina aut terna illa quotidie oua pareret.

eret. Cùm autem cibo ſuperfluo opima gallina & pinguis facta eſſet, plane tum parere oua deſiit.

Oſtendit fabula, cupiditatē & auaritiam ſæpe detrimentoſam eſſe. Et ſcripſit Demoſthenes hæc quoque præclarè: Rebus ſecundis non eſſe modum, neq; finem cupiditatum. Itaque multos ſæpe auidos fortunæ melioris, præſentia bona amittere. Et ſecundum Ariſtotelem: ἄπληςον ἡ πονηρία τῶν ἀνθρώπων. Id eſt. Inſatiabiles ſunt cupiditates improborū.

Vulneratus à Cane. 25

QVEM canis momorderat circumiens medicum quærebat. Cui notus quidam obuiam factus, cognita re, ſuaſit vt in panem recentem exprimeret cruorem & ſaniem vulneris, atque comedendum hunc obiiceret cani, à quo læſus eſſet. Id enim ſalutare ipſi futurum eſſe. Tum ſaucius cum riſu: Hoc remedio, inquit, ego ſcilicet in me omnium, qui in vrbe ſunt, canum morſus iritauero.

Docet fabula, nullo beneficio prauos ab iniurÿs deduci, atq; plærunq; reddi benignitate aliorum deteriores.

Adoleſcentes & Cocus. 26

CVM forte propter cocum adoleſcentes duo verſuti atq; furaces aſſediſſent, occupato coco rebus ſuis, vnus horum rapuit fruſtum carnis, & alteri tradidit, qui

demiſit



demiſit in ſinum. Cocus poſtquam ad carnes reſpexit, & abeſſe aliquid ſenſit, qui ſciret affuiſſe præter duos iſtos neminem, repetere ab illis amiſſum fruſtum cœpit. At is, qui de altero acceperat, deierare ſe non abſtuliſſe, qui verò ipſe ſuſtulerat, penes ſe non eſſe. Cocus intelligere improbos eſſe & veteratores: Et mihi quidem, inquit, quid factum ſit ignaro verba dare poteſtis, Deum autẽ profectò non falletis.

Deterret fabula à fallacia & fraude ſermonis & periurio: nihil enim horum non manifeſtum Deo eſt, quamuis forte hominum animaduerſionem effugiat.

Inimici. 27

IN eadem naui vehebantur duo, qui inter ſe capitalia odia exercebant. Atq; vnus quidem



quidem in prora,alter verò in puppi conſederat.Orta tempeſtate ingente, cùm omnes de vita deſperaſſent, interrogat is, qui in puppi ſedebat,gubernatorem, quã partem nauis primùm ſubmerſum iri putaret?Cui gubernator,proram,inquit. Tũ ille:iam non magis,inquit,mors mihi grauis futura eſt,ſiquidem aſpecturus ſum interitum inimici mei.

Significat fabula, multos non moueri ſuis malis, ſi ijſdem inimicos, & eos quos odere prius circumueniri videant. Itaq; Achilles Homericus non recuſat mori, ſi prius Hectorẽ interfecerit, cùm ſciret poſt huius cædem ſibi quoq; inſtare ac prope eſſe exitium.

Felis & Mures. 28

IN domo quadam magna copia murium



rium diuerſabatur. Hoc felis cùm comperiſſet, eodem ſe contulit, & venatione atque captura muſculorum bene aliquantiſper victitauit. Cùm autem mures animaduerterent, ſuum numerum quotidie fieri minorem, & quòd à fele conſumerentur, ſtatuerunt ſe intra ſuas cauernulas & iis in locis continere, in quæ peruenire illa non poſſet. Felis cùm mures non magis, vt ſoliti fuerant, procurrere videret, ſtatuit fraude elicere, ſeque quaſi mortua eſſet, de clauo quodam ſuſpendit. Quam conſpicatus forte deſuper muſculus: Heus tu, inquit, ſi te in ſàcculum conuerſum eſſe ſciam, nunquam tamen commiſſurus ſim, vt ad te propius accedam.

Docet fabula, prudentes non pati ſeſe iterum improborum

proborum dolis falli, vbi illorum fraudes ſemel fuerint experti.

Thunnus & Delphinus. 29



THVNNVS Delphinum perſequentem fugiẽs, cùm incitatiſſimo ferretur impetu, fluctibus ad inſulam appulſus, in illam vna cum delphino eiicitur. Ibi thunnus conuerſus, & delphinum conſpicatus vita defici, non ſibi iam magis ſuam mortem triſtem futuram eſſe aiebat, qui cerneret autorem illius vnà ſecũ interiturũ.

Hoc fabula demonſtrat, æquiore animo ſuas miſerias ferre homines ſolere, ſi illarum autores yſdem irretiri intelligant.

Medicus & Aegrotus. 30

DVCEBATVR funus: hoc medicus, cuius

cuius opera in morbo vſus fuerat mortuus, comitabatur. Atq; ibi cum aliis, qui funus proſequebantur, multa verba facere, &, ſi vino abſtinuiſſet iſte, inquit, ac celeriter aluus fuiſſet humidior facta vt purgaretur, poterat conualeſcere. Tum de amicis vnus: Hæc inquit, qua lingua nunc dicis, cùm occaſione amiſſa fruſtra memorantur? Quo tempore verò rectè ac vtiliter fuiſſent dicta, eo reticuiſti.

Monet fabula, neceſſario tempore ſuccurrendum laborantibus, vſusq́; eſt hac ſimilitudine elegantiſſime contra Aeſchinem Demoſthenes. Nequicquam autem monet, qui ſero monet, id quod & Ouidius eleganter verſibus expreſſit de ponto lib. I I.

Nunc mihi naufragio quid prodeſt dicere facto
Qua mea debuerit currere cimba via?

Auceps & Anguis. 31

EXIIT ad aucupium cum viſco quidam & arundinibus, ac turdum forte in alta arbore ſedentem conſpicatus, intendere atque cõſtruere calamos, & viſcum allinere cœpit, defixis in turdo oculis atque ſpe ſua. Inter hæc miſer anguem latentem in herba calcat, à quo iritato ictus, & letali accepto vulnere, iam moriens: Me miſerum, inquit, qui dum alteri inſidias ſtruo, ego circumuentus, & captus pereo.

Docet fabula, eos, qui aliis male conſulere ſtudeant,

ant, ſibi interdum primis malum accerſere, ſecundum hanc Heſiodeam ſententiam:

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Fiber. 32



FIBRVM eſſe quadrupedẽ animantem, qui fere in aquis degat, atque eius pudenda magnum in medicinis vſum habere, accepimus. Hic igitur, quoties vrgetur vi hominum, non ignarus, cuius rei gratia petatur, præmordet ipſe pudenda ſibi ſua, & contra inſequentes proiicit, atque ita ſæpenumero conſeruatur.

Significat fabula, ſimiliter & prudentes homines ſalutis ſuæ conſeruandæ gratia iacturam facultatum libenter facere. Ut & in poëticis fabulis legimus, non

fuiſſe cariora Hippomeni poma aurea, quàm vitam ſuam, quibus abiectis illam retinuerit.

Canis & cocus.



CANIS in culinam introgreſſus, occupato coco, neque animaduertente, corculum pecudis rapuit & aufugit. Quem his verbis cocus fertur eſſe proſecutus: Age, nũc hoc abſtuleris impune: Sic tamen habeto, te poſthac, vbicunque conſpectus ſis, cautiùs à me obſeruatum iri. Non enim cor abſtuliſti à me, ſed cor mihi attribuiſti.

Id fabula docet, quod apud Herodotum Crœſus loquitur, Rebus aduerſis intelligentiam excitari.

Canis & Lupus. 34



IACEBAT forte ad ſtabulũ dormiens canis, quẽ oppreſſum dilaniaturus lupus, mitigatur commoditate orationis,& blanditiis promiſſorum. Viden enim, inquit canis,quàm hoc tempore extabuerit macie corpus meum. Nam non diu eſt, cùm grauiſſimo morbo liberari cœpi. Et prope eſt tẽpus dictum nuptiis herilis filij, tum ego ſagina,nitorem priſtinum facile recuperauero, vt poſtea laute de me epulaturus eſſe videare. His verbis lupo perſuaſit, vt in præſentia ſe amitteret. Poſt dies aliquot reuerſus ad idem ſtabulum lupus, videt canem ſub tecto domus iacentem placidè acquieſcere, quẽ ad ſe deſcendere iubet,

bet,& facere promiſſa. At canis illum deridens: Ego tibi, inquit, lupe conſilium dare volo: Ne ſi poſthac vnquam me ante ſtabulum ſopitum depræhenderis, vllas magis nuptias expectes.

Indicat fabula, homines ſapiẽtes, ſi qua forte in re offenderint, aut periculum adierint, non committere vt ſe eidem iterum diſcrimini committant.

Canis & Gallus gallinaceus. 35



CANIS & gallus ſocietate inita vnà iter faciebant. Noctu in agro depræhenſi, cùm tenebræ viam obſcurarent, ſic acquieſcendum ſtatuêre, vt gallus in arboris ramis inſideret, inferius autem in cauum truncum irreperet canis. Cantante autem ſuo more gallo, excitata vulpecula accur-

rit,

rit, atque illum hortatur, vt deſcendat: cupere enim ſeſe complecti auem tam grata & ſuaui voce præditam. Cui reſpondit gallus: Ianitorem, qui fores pādat, prius ſuſcitandum eſſe, quàm ipſe deſcendere poſſit. Stulta vulpecula non prouiſa fraude ad arborem accedit propius, & ianitorem quāto poteſt altiſſimo gannitu ciet: ergo canis experrectus, ſubito in vulpeculam inſilit & correptam dilaniat.

Docet fabula, vim & iniurias inimicorum, quibus ipſi pares eſſe non valeamus, ad alios potentiores calliditate conſilij auertendas eſſe.

Leo & Rana. 36



Leo auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quàm maximos, pri-

mùm percelli animo valde cœpit, quòd crederet ingentem animantem eſſe autorem tanti clamoris. Animo tamen confirmato, circumſpicere, & contra illum clamatorem, quiſquis eſſet, ſeſe parare, & ad pugnam accingere. Cùm videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo, ſimul indignatione, ſimul etiam pudore affectus, pede illam conculcatam attriuit.

Docet fabula, non eſſe ad quemlibet ſtrepitum expaueſcendum, neque nos inexplorata re terreri oportere.

Leo, Aſinus, Vulpes. 37



AMICITIAM quodam tempore iunxere inter ſe leo, aſinus, vulpes, atque ita communiter venatũ exiere. Copioſa autem præda parta, iubet aſinum leo illam diuid

diuidere: Qui ſimpliciter in tres æquales partes diſtribuens, ſorte putabat decerni oportere, quam quiſque deberet ſumere. Ob hæc leo ira commotus, in aſinum irruit, & dilacerat atque deuorat miſerum. Tum Vulpem diuidere iubet. At illa in vnum aceruum congeſtis vniuerſis, ſibi exemit paruulam portiũculam, atq; hanc iuſtam diuiſionẽ eſſe dixit, vt leoni, cuius non ſolùm auſpiciis, ſed etiam laboribus omnia eſſent quæſita, plurima extra quidem ſortem cederent. Cui leo: Quis te, inquit, optima vulpecula, tam ſcite partiri docuit? Aſini, reſpondit vulpes, mi leo fortiſſime, aſini, ſocij noſtri caſus.

Docet fabula, ſolere aliorum calamitate & malis prudentiores reddi homines.

Leo & Vrſus. 38

CVM in hinnuleũ fortè fortuna vnum eodem tempore leo & vrſus incidiſſent, vterque illo potiri volẽs, acerrime ſecum conflictari cœperunt, atque ita vnus afflixit alterum, vt oborta vertigine, ambo in terra proſtrati iacerent. Vulpecula autem, quæ euentũ pugnæ expectaſſet, cùm videret illos eſſe viribus defectos, hinnuleum relictum in medio, ipſa illis ſemiapertis oculis intuẽtibus abſtraxit. Quod



cùm illi prohibere non poſſent: Infelices nos igitur, intercidẽtibus verbis, inquiũt, vulpeculæ cauſa dimicando perimus.

Sæpe de aliorum laboribus fructum alij percipiunt. Quid autem ſe it aliud Philippus rex Macedonum? quàm quòd relictam opulentiam terræ Græciæ, confectis mutuo Marte & viribus ſuis ciuitatibus, ipſe interueniens occupauit.

Diuinator. 39

DIVINATOR in foro reſpondebat conſulentibus, cùm ſubito nũcius illi aduenit, patere fores domus ipſius, neque intus quicquam reliquum, ſed omnem ſupellectilem eſſe direptam. Quo perculſus animo ille exiliit, & curriculo ad ædes ſuas contendit. Hunc conſpicatus feſtinantẽ quidam: Heus tu, inquit, cùm alie-



narum rerũ prædictiones profiterere, cur tuas negligebas?

Notantur hac fabula ij, qui cùm ipſi perperã viuant, aliena omnia curare & corrigere oratione ſua non dubitant. Simul & hoc Xenophonteũ innuitur, τοὺς μάντεις ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὸ μέλλον, ἑαυτοῖς δὲ μὴ προορᾶν τὸ ἐπιόν.

Formica & Columba. 40

FORMICA ſitiens in fonticulum ſe demiſerat, ſed vndis ablata veniebat iam in periculum ne ſuffocaretur, cùm non eſſet vbi conſiſteret. Hoc columba cernens, de arbore iuxta fontem enata, defractum ramum in aquas abiecit, cui adhæreſcens formica, mortem euaſit. Paulò poſt adfuit auceps, & arũdinibus diſpoſitis viſæ columbæ inſidiari cœpit. Cui metuens



tuens formica, ad aucupem inter opus arrepſit, & ita vehementer illum pupugit, vt arundines præ dolore abiiceret, atque harum ſtrepitu territa columba auolauit, ac periculum vitauit.

Docet fabula, erga benemeritos eſſe nos gratos debere.

Veſpertilio, Rubus, Hirundo. 41

VESPERTILIO, rubus, & hirũdo cõſociatis rebus ſuis mercaturam facere decreuerant. Tum veſpertilio alicunde pecuniam mutuò ſumptam pro ſua portione ad negocia cõmunia contulit. Rubus autem veſtem, at hirundo æs, atq; ita omnibus cõpoſitis nauem conſcenderunt. Prouectis verò in altum, tempeſtate frangitur nauis,



nauis, & vix ſua corpora & vitam, rebus omnibus amiſſis, ſeruare potuerunt. Sed ex eo tempore, hirundo littora frequentat, ſperans fore, vt expulſum æs fluctibus recuperet. At veſpertilio, metu creditorũ, interdiu latitat, & noctu volitat. Verùm rubus non ceſſat prætereuntium veſtes arripere, ſi fortè recipere ſuam poſſit.

Oſtendit fabula, earum rerum, quibus operam dederimus, cura nos ſemper teneri.

Lignator & Mercurius. 42

CAEDEBAT quidam ligna iuxta fluuium, cui cùm inter opus excidiſſet fortè ſecuris, in flumen delata & demerſa fuit. Tum ille inops conſilij, in ripa aſſidens deflere fortunas ſuas, & lamentari miſere.

Merc



Mercurius verò, qui fortè pręteriens querelas illius cognouiſſet, miſertus hominis, aquas ſubiit & attulit ſecurim, non eam quidem, quæ amiſſa fuerat, ſed auream, & an hæc eſſet quam perdidiſſet, interrogauit. Qui cùm ſuam illam eſſe negaret, extulit alteram argenteam: ſed ne eam quidem agnoſcente lignatore, poſtremò ferream attulit, quam lætus homo ſuam eſſe dixit. Hac probitate delectatus deus, vniuerſas illi ſecures donat. Iſta vt acciderant cùm poſteà narraret plurimis, vnus in ſimilis euentus ſpem vocatus, & ipſe in præterfluentem ſecurim ſuam abiicit, & propter eum mox aſſidens plorare atque lamentari. Huic, ita vt dudum alteri, Mercurius ſe obtulit, & cauſſa lacrymarũ audita,

dita, aureã protulit ſecurim, interrogãs, ea ne eſſet, quam delapſam in aquas quereretur. Qui cùm magno gaudio ſtatim agnoſcere ſe, & eam eſſe dixit. At Mercurius, mẽdacem & impudentem hominem auerſatus, & ſe à conſpectu illius, & auream ſecurim vna ſecum abſtulit, neque proiectam in fluuium retulit.

Fabula docet, non minus malis deos aduerſari, quàm prodeſſe bonis ſolere. Secundum hoc Sophocleum:

τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

Etenim probos
Amare dî ſolent, & odiſſe improbos.

Ægrotus & Medicus. 43



Aegrotvs quidam à medico ſuo interrogatus,

terrogatus quo pacto prçteritam noctem peregiſſet, reſpondit, ſe admodum ſudaſſe. Hoc, inquit medicus, bonum eſt. Poſtridie reuerſus, & ſimiliter percõtatus ęgrotantem, audiuit, horrore fuiſſe ipſum vehementi concuſſum. Hoc, medicus, bonum, inquit, & ipſum eſt. Tertiò ſciſcitatus, quomodo haberet, cognouit aquam intercutem effuſam affligere hominem. Sed & hoc bonũ eſſe dixit. Digreſſo medico, acceſſit ex amicis vnus ægrotum, & quid fit, inquit, & quo in loco ſunt res tuę? Optimo, inquit ægrotus. Nam multitudine bonorum extinguor.

Fabula indicat, non alijs homines magis ſuccenſere, quàm ijs, quos in ſuam gratiam mentiri, & à quibus aſſentationibus ſe falli animaduerterint.

Aſinus & Olitor. 44

SERVIENS apud olitorẽ aſinus, cùm perpetuis laboribus feſſo pabulum exiguum præberetur, precibus ſuis Iouem exorauit, vt illo domino liberatus, ad alterum perueniret. Ita venundatus, nactus eſt herum figulum. Quo in ſeruitio, cùm & luti & vaſorum oneribus grauaretur, minus ſibi viuendum putabat, & multo quàm prius maioribus precibus, vt liberaretur, Iouem fatigabat. Ioue igitur volente, tertiò venit, addictúſque fuit cerdoni.



doni. Apud quem cùm quæ gererentur videret: Heu mihi, cũ gemitu inquit, quãto priores ſeruitutes tolerabiliores erant. Nam ab hoc intelligo etiam pelli meæ periculum imminere.

Fabula oſtendit, tum maximè homines veterem fortunam requirere, cùm noxam experiri cœperint.

Auceps & Caſſita. 45

AVCEPS laqueos diſponebat, & ſtruebat inſidias auibus, cuius opera contemplans caſſita, quid rei gereretur admirãs, acceſſit propius, & ſciſcitatur de homine, quid ſtruat? Reſpondit ille, ſe vrbem condere. Atq; omnibus perfectis, occultat ſe intra ramos arborum. Caſſita ad nouam vrbem aſpiciendam celeriter aduolat, &

laqueo




laqueo implicita capitur. Cúmque accurriſſet auceps, triſtis hæc illi: Si tales vrbes condis, inquit, non facile multos incolas reperies.

Fabula monet, male coli atque habitari cùm oppida tum domus, in crudelitate & rapinis principum.

Viator. 46

ITINERE quidam longo fatigatus, votum fecit, dimidium eius, quod reperiſſet, ſe Mercurio conſecraturum: cùm autem incidiſſet in ſacculum, refertum palmis & amygdalis, illo ſublato, fructus quidem comedit, nucleos autem palmarum & amygdalorum teſtas in aram impoſuit, quòd ſe ſoluere votum diceret, atque inuēta cum Mercurio partiri, de quibus extima & intima illi offerret.

Caſtig



Caſtigantur hac fabula auari, qui etiam Deorum ipſorum reſpectum poſtponunt cupiditatibus ſuis.

Puer & Mater. 47

ITABAT in ludum literarium puer paruulus, atq; illic condiſcipulis ſuas tabellas negligentiùs aſſeruantibus, ſuffurari eas & afferre matri ſolebat. Ea pueri furtis delectabatur, tantum aberat vt ob delicta filium ſuum caſtigaret. Itaque ille, quod in pueritia facere aſſueuerat in paruis, grandior in magnis etiã exercere cœpit. Deprehenſus autem quodam tempore in manifeſto furto, & capite damnatus, ad ſupplicium cùm duceretur, valde obſecrauit carnificem, vt ſibi matris, quã ſequi cum lacrymis & eiulatu animaduerterat,

compellandæ poteſtatem faceret: Qua re facile impetrata, os ille, tanquam arcanam quandam orationem habiturus cum matre, ad aurem ipſius applicat: & mordicus hanc arripit. Quod factum non ſolùm matre, ſed tota etiam multitudine indignè ferente, neque ſolùm vt furi faciente conuicia, ſed etiam vt impio, docuit ille, matrem ſe vltũ vt poſſet, cauſſam ſibi exitij & ignominioſæ mortis. Si enim, cùm quondam, inquit, ad eam pueriles afferebã tabellas, me caſtigaſſet, non proceſſiſſem eo vſque audaciæ, qua nunc ad crucem adigor.

Fabula monet, neglecta delictorum ſupplicia in cauſſa eſſe ſolere, vt illa maiora fiant & cumulatiora.

Paſtor & Mare. 48

PASTOREM, qui gregem ſuum forte appuliſſet ad mare, cùm cerneret illud ſtare placidum & quietum, cupiditas inceſſit nauigandi, & mercaturas faciendi. Venditis igitur ouibus ſuis, mercatur palmas, & in nauem imponit, atq; ita in altum prouehitur. Orta autem tempeſtate, cùm periculum eſſet, ne nauis fluctibus deprimeretur, mercibus eiectis in vndas, ægrè vacua nauis fuit conſeruata. Poſt dies paucul os, cùm ad mare paſtor triſtis ſederet, præter



prætereunte quodam, & ſecum tranquillitatem maris, nam tempeſtas abierat, admirante: Ego, inquit paſtor, ſcio quid ſibi velit hæc maris tranquillitas, nam alias palmas profectò quærit, quas deuoret.

Docet fabula, malis acceptis homines cautiores in poſterum reddi ſolere.

Malus & Pirus. 49

CERTAMINE de formæ præſtantia inter pirum & malum orto, cùm illæ multis inter ſe verbis diſceptarent, rubus de propinqua ſepe: Finem tandem, exclamat, obſecro rixarum faciamus.

Fabula oſtendit, in diſſenſionibus potentum etiam infimos principatum quærere.

Talpa. 50

TALPA animal eſt oculis captum: Hoc ad matrem aliquando ſuam, morum video, dixit. Atque iterum, thuris odor compleuit nares meas. Tertio, ſonitus æris attigit aures, inquit, meas. Cui mater reſpondit, ſe intelligere de dictis, non modò ipſum lumine, ſed odoratu etiam atque auditu priuatum eſſe.

Fabula notat glorioſos & Thraſones iſtos, qui dum ſe mirificè oſtendunt & iactitant, in minimis ſæpe deprehenſi redarguuntur.

Veſpæ & Perdices. 51

LABORANTES ſiti veſpæ & perdices accedunt ad agricolam, & ab illo potum petunt. Neque ſe gratas ſolummodo futuras ob beneficium acceptum, ſed promerituras etiam eſſe aiunt: Opera quidem ſua perdices collocata in vinea fodienda, at veſpas aculeis ſuis circum hanc volitantes abigendo fures. His reſpondiſſe agricolam ferunt: Habere ſe boues duos, qui nihil promittentes faciant omnia, atq; illis aquam potius ſe præbiturum eſſe.

Narratur fabula in homines nocentes, qui ſermone adiumenta & vtilitatem oſtendunt, re autem tantummodo obeſſe conſueuere.

Pauo

Pauo & Monedula. 52

CVM haberent comitia volucres regi creando, petiit regnum pauo, quod ſe ob formam eximiam illo dignum præ cunctis eſſe diceret. Qui cùm omnium ſuffragia laturus videretur: Hic tàmen rex, inquit monedula, ſi forte ſit factus, & aquilam hoſtem habuerimus, quídnam opis auxiliíue poterit afferre?

Monet fabula, in principibus legendis non ſpeciem modò, ſed etiam virtutem & ſapientiam ſpectari oportere.

Aper & Vulpes. 53

VIDENS Vulpecula ad truncum roboris acuentem dentes aprum, interrogat illum quo conſilio faciat, cùm nulla vrgeat neceſſitas neque bellum inſtet. Cui aper reſpondit: ſibi periculum ſi forte adeundum ſit, non ocium tum futurum ad acuendos dentes, ergo ſe rectè, dum concedatur tempus, ad euentum pugnæ præparare.

Monet fabula, ad pericula vt nos preparemus.

Caſſita. 54

DVM eſcam appetit, irretita laqueo caſſita, deplorans fortunam ſuam: Me miſe-

ram & infelicem, inquit, volucrem, non ego aliis aurum ſubduxi, non argentum rapui, nihil inuaſi rei vllius pretioſæ, ſed paruulum tritici granum mortem mihi affert.

Illis fabula narratur, qui parui lucelli gratia maxima ſæpe diſcrimina non dubitant adire.

Hinnuleus. 55

HINNVLEVM cum ceruo ſic locutum aliquando ferunt: Mi pater, cùm multo ſis maior canibus, & pedum his celeritate præſtes; præterea cùm tibi ſint ardua cornua, quibus à te vim propulſare facile poſſis, qui fit, vt canes tantopere metuas? Ibi ceruus ridens: Mi nate, vera, inquit, memoras: Mihi tamen, neſcio quo pacto, ſemper accidit, vt audita canum voce, in fugam ſtatim conuertar.

Fabula docet, eos, qui natura formidoloſi ſint, nulla cohortatione confirmari poſſe.

Lepores & Ranæ. 56

LEPORES quodam in conuentu de miſeria & fortuna infelice vitæ ſuæ conqueſti, quòd & à beſtiis illa & ab hominibus impugnaretur, nã & canibus & aquilis, & omnibus propemodum feris carniuoris ſeſe direptioni & prædæ eſſe, tum ſibi



ſibi mortem vltro conſciſcere velle decreuerunt:ſtatuebant enim, multo eſſe ſatius ſemel interire,quàm ſempiterna formidine agitari. Itaque,re probata vniuerſis,ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebantur, vt in aquis demerſi ſuffocarentur. Ranæ autem,quæ forte in herbis iuxta paludem enatis incubabant, incurſione leporum territę,ſubitò omnes in paludem ſe fugiẽtes demiſere. Tum vnus inter lepores reliquis ſapientior:State,inquit,ſocij, neq; in vos ipſos grauius quicquam conſulite. Nam nos quoque, vt videtis, quædam animantes metuunt,quas ſcilicet eſſe miſeriores nobis oportet.

Fabula oſtendit, afflictis aliorum miſerias ſolario eſſe.

Aſinus & Equus. 57



VIDEBATVR aſino beatus eſſe equus, qui tam accuratè & copioſè paſceretur, cùm ſibi ne paleæ quidem poſt maximam defatigationem abundè præberentur. Forte autem bello exorto, cùm in prælium ab armato equus ageretur, & circumuentus ab hoſtibus, poſt multiplices labores pugnæ, tandem ſaucius collaberetur: Hæc igitur omnia conſpicatus aſinus, quàm paulo ante fortunatum eſſe equum cenſuerat, tam miſerum & infelicem tum eſſe iudicabat.

Docet fabula, non eſſe principatus & opes propter ſplendorem appetendas, ſed in conſideratione inuidiæ & diſcriminum, in quibus principes & opulenti verſantur, boni conſulendam tenuem fortu-

na

nam, & mediocritatem vitæ. Itaque & Plato Vlyſſis animam elegiſſe ait vitam hominis priuati, & non negotioſi, neglectis omnibus alijs, honoribus & opulentia, potentiaq́ præclaris.

Auarus. 58

AVARVS & pecuniæ magnus amator quidam agris domoq́; ſua & ſupellectili ac veſtimentis venundatis, aurum, quod de pretio illorum coëgerat, liquefactum in vnam maſſam refundit atq; redigit, & hanc obruit terra. Quo autē loco aurum, eodem & animum ac cor ſuum ſepeliit. Itaq; illò quotidie venire, & contemplari diuitias ſuas, & magnam capere intuitu voluptatem. Hoc animaduerſo, quidam qui prope operis neſcio quid facere conſueuerat, ratus, id quod erat, aurum defodiſſe illic hominem, cùm auarus, ſatiatus aſpectu terrę, qua tegeretur aurum, diſceſſiſſet, accurrit, & eruta terra aurum reperit atq; aufert. Mox auarus, vt ſolebat, reuertitur: cumq; vidiſſet quod interea factum fuerat, lamentari cœpit miſerabilem in modum, & tenuem vellere capillum, & deos atq; homines incuſare. Quem prætériens quidam cùm cerneret in mœrore eſſe maximo, quid acciderit interrogat, & re audita: Heus tu, inquit, ne plora, néue

tantopere affligе animum tuum : Nihil enim, vt videtur, damni feciſti, qui tum etiam, cùm haberes aurum, caruiſti auro. Quare nunc repone iſtum in locum ſaxum quodpiam, tibiq́; perſuade, ibi conditum eſſe aurum. Nam nihil prorſus interfuerit, neque alterum altero maiori tibi vſui eſſe poterit. Neque enim cùm adhuc aurum defoſſum iſtic eſſet, à te vſurpabatur.

Significat fabula, fruſtra poßideri ea, quibus non vtaris. Neque eſſe fructum diuitiarum, niſi in harum vſu.

Anſeres & Grues. 59



IN vno quodam prato paſcebantur anſeres & grues. Adueniente aucupe, grues leuitate

leuitate ſua adiuti facile auolant: at anſeres impediti grauitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe præhenduntur.

Oſtendit fabula, vrbe capta, cùm pauperes plerunque vim hoſtilem effugiant, diuites in poteſtatem hoſtium venire, & in ſeruitutem abduci.

Teſtudo & Aquila. 60



MAGNOPERE orabat aquilam teſtudo, volare ſeſe vt doceret. Aquila oſtendebat teſtudini, rem illã petere contrariam naturæ ipſius. Sed nihilo illa minus inſtare, & obſecrare aquilam, vt ſe volucrem facere vellet. Itaq; vngulis arreptam aquila ſuſtulit in ſublime, & laxatis illis teſtudinem demiſit, vt per aërem ferretur: quæ delata in rupes comminuta interiit.

Fabula

Fabula docet, multos cupiditatibus ſuis obcæcatos; conſilia prudentiorum reſpuere, & in exitium ruere ſtultitia ſua.

Pulex. 61

Cvm inſiliſſet pulex in pedem cuiuſdam, ille ad opprimendum hunc Herculē inuocauit. Sed cùm pulex ſe illinc mox ſaltu ſubduxiſſet, cum gemitu ille: Hercules, inquit, quid ego abs te opis in magnis periculis expectem, qui contra pulicem adeſſe mihi noluiſti?

Fabula monet, non eſſe in rebus paruis & futilibus potentium auxilia imploranda, ſed illud perfugium ſingularibus caſibus reſeruandum.

Ceruus. 62

Cervvs altero oculo captus iuxta mare paſci conſueuerat, ita vt integrū oculum in terram haberet verſum: nihil enim periculi videbatur à mari impēdere. Cùm autem forte nauis præterueheretur, qui in illa erant, directa in ceruum ſagitta, incautum confixere. At ille ictus, me miſerum, inquit, quantopere fallus fui, qui à terra metui, fretus vndis è quibus mihi mors immittitur.

Sæpe, ait fabula, quæ nocitura homines putauerint, ea lædere nō ſolere: contra, quæ profutura ſperarint, ab ijs maximū interdum damnū affici.

Ceruus & Leo. 63

CERVVS fugiens venatorem ſubiit antrum, quod forte in fuga conſpexerat. ibi incidit in leonem. à quo cùm dilaniaretur: Heu mihi, inquit, cur non potius in hominũ, quàm ſæuiſſimæ beſtiæ poteſtatem veni?

Significat fabula, homines interdum parua pericula declinantes, in maxima ſe conijcere.

Cerua & vitis. 64

CVM fugeret cerua inſequentes venatores, occuluit ſe ſub vite. Venatoribus autem paululum prætergreſſis, quòd putaret ſe cerua iam eſſe in tuto, ſecura animi carpere pampinos & mãdere cœpit. Quorum motus atque ſtrepitus venatores con uertit, atque illi, quod res erat, arbitrati ſub vite beſtiam aliquam latere, accurrũt. & viſam ceruam iaculis configunt. Quæ moriens, Merito, inquit, hoc mihi euenit, quæ violare non dubitarim ſeruatricem meam.

Docet fabula, vltionem numinis non effugere eos qui pro beneficijs maleficia rependunt.

Aſinus & Leo. 65

VERSABANTVR in eodẽ loco aſin⁹ &



& gallus gallinaceus. Irruente autem leone, exclamat gallus, ac leo (dicitur enim vocem galli non ferre) aufugit. Aſinus ſe metui putans, curſu fugientē leonē perſequitur. Progreſſus autem longius, cùm nō magis iam exaudiretur galli vox, leo ſubſtitit, & aſinum arreptum deuorauit. Qui cùm interficeretur: Me inſanum & dementem, inquit, qui nequaquam bellatore patre procreatus, ad pugnā me incitauerim.

Fabula ſignificat, ſæpe imbecilles per occaſionem adoriri territos inimicos, ſed eoſdem gerentes ſe improuidè & elatè, à confirmatis facile & celeriter opprimi.

Olitor & Canis. 66

DELAPSVM in puteum canem olitor ſeruare

ſeruare & retrahere cupiens, demiſit & eodem ſe ipſe. Canis veritus ne deſcendiſſet ſibi nocendi gratia, & vt ſuffocaret demerſum, dentibus illum petere, & morſu lacerare. Tum ſaucius olitor cum dolore: Iure mihi, inquit, hoc accidiſſe fateor. Cur enim autorem ipſum ſibi interitus ego ſeruare volui?

Hæc narratur fabula contra ſtultitiam & iniuſtitiam. Narratur & talis fabula: Agitaſſe quendam aſellum iuxta præcipitium quo idam, & aſellum ſemitam anguſtam atq; lubricam, quantumcunq; ille qui agebat conaretur retrahere, voluiſſe ingredi. Tum iratum hunc tandem detruſiſſe aſinum in rupes, cùm diceret, vt Horatius fecit:

Quis enim inuitum ſeruare laboret?

Sus & Canis. 67

MVTVA ſibi conuicia ſus & canis faciebant. Sus per Venerem iurare, ſe canẽ, niſi deſinat maledicere, dentibus ſuis conſciſſuram eſſe. Hanc irridens canis: Per Venerem, inquit, venuſtum eſt iuſiurandum tuum. Nam te valde delectari Deam appa ret, quippe cùm nolit in ſuum fanum admitti eos, qui guſtarint carnes tuas. Cui ſus, iam mitior, reſpõdit: enimuero illa me diligit, cùm occiſores meos & infeſtos mihi prorſus repelli iubet ab ſe. At tu fœtes tã

viuus

viuus quàm mortuus.

Monet fabula prudentes, vt inimicorum conuicia & probra facete ad laudem ſuam conuertant, & contra illos retorqueant.

Sus & Canis. 68

CERTAMEN erat inter ſuem & canẽ de pariẽdi facilitate atque fortuna. Canis quidem mirari ſe aiebat, ſi eſſet animans vlla, quæ hoc nomine contra ſe gloriari auderet. Tum ſus, memento tamen, inquit, tuos catulos cæcos te parere.

Docet fabula, non celeritate laudem ſed perfectione contineri.

Anguis & Cancer. 69

AMICITIAM iunxerant anguis & cancer, & vnà viuere in domeſtico quodã familiaritatis vſu ſtatuerant. Sed cancer, animal ſimplex & probum, cùm ſocij & neceſſarij ſui fraudulentia & calliditate admodum offẽderetur, ſæpe hortatus fuit anguem, vt mores illos ſuos veteratorios exueret. Anguis non modò non obtemperare rectè monenti ſocio, ſed fieri etiam indies deterior atque verſutior. Quodam igitur tempore cancer ſopitum inuadit, & forcipe ſua captum ſtrangulat: Qui cùm mortuus iaceret directus: Ita te, inquit cãcer,

cer, viuentem, rectum & ſimplicem eſſe oportebat, ſi ferri tuam conſuetudinem à bonis poſtulabas.

Indicat fabula, eos qui in amicitia fraudulẽtè verſentur, ipſos ſeſe vehementiſſimè lædere.

Paſtor & Lupus. 70

REPERTUM catulum lupi paruulũ ſuſtulit paſtor, & ablatum ſecum inter canes eduxit. Qui corroboratus, ſi forte lupus ouem rapuiſſet, inſequebatur cum canibus & ipſe. Cùm autem canes interdũ aſſequi lupum non valerent, ac ſe reciperent, hic perſequens dum ad illum perueniret, non magis ſe fugientem ſui generis animantem, particeps eſſe prædæ ſolebat. Poſtea à ſagina reuertebatur & ipſe. Quod ſi forte lupus externus oues rapere ceſſaret, ipſe clanculum iugulabat, & deuorabat cum canibus, donec his compertis paſtor eum ſuſpenſum de arbore necauit.

Fabula dicit: Naturæ prauitatem bonos mores non producere.

Leo & Lupus. 71

DECUMBEBAT in antro ſuo ſenio confectus leo, & inſuper morbo correptus. Ad quẽ viſendum omnes animantes



conuenerant, præter vulpem. Hac occaſio ne captata, lupus vulpem grauiſſimè accuſare, quæ tā ſuperbè deſpiceret regem ſuum, neque ad illum ægrotantem viſeret. Hæc illo declamitante aduenit vulpes, & de clauſula orationis, quàm vehementer accuſata eſſet, intelligens, & cernens leonem fremere ira, conſilium cepit callidū, & ſui defendendi, & vlciſcendi inimici: ac dicendi copia impetrata: Quænam igitur de cunctis animantibus, inquit, tanta cura ſolicitudineque afficitur de ſalute & vita Regis, quanta ego? Quæ omnia loca peragro, veſtigans medicinam qua ſanari poſſe videaris, ac nuper tandem inueni qui remedium demonſtraret, præſens quidem atque efficaciſſimū, vt videtur. Quod-

nam

nam?lætus nuntio inquit leo. Lupi,inquit vulpes,pellem modò detractam & adhuc calentem oportebit te circundare ventri & coſtis.Hoc audito, ita leone imperante, lupo miſero pellis deripitur,& leoni applicatur. Cui iacenti inſultans verbis vulpecula: Non iritare, inquit, te principis animũ,ſed mollire poti⁹ &flectere oportebat.

Fabula docet,qui alteri ſtruat malum,eum ſibi laqueos quibus capiatur nectere.

Mulier & Maritus ebrioſus. 72

VIXERAT aliquot annis mulier cum viro ebrioſo,& illius moleſtias atque tractationem malam pertulerat.Tandem verò ſtatuit experiri, an vlla ratione tãto malo vir ſuus liberari poſſet. Ergo cum temulentum & obrutum vino accuratè con ſopit,ac mox oppreſſum profundiſſimo ſomno,neque magis ſentientem quàm mortui ſolẽt, humeris ſuis ſublatum deportat in ſepulcrum vetus, & in illo deponit atque abit.Paulo poſt de præteriti temporis notatione, cùm coniiceret, crapulam & ebrietatem edormiſſe hominem, reuertitur, & monumento pulſato, ſi quis intus ſit,progredi eum iubet. Vir qui adhuc ſane eſſet ſomniculoſus quid velit interro-

gat. At illa, cibum, ait, ſe mortuis circumferre. Tum ebrioſus vir: Ne tu mihi, quiſquis es, cibũ, ſed potum afferto. Eſt enim hoc mihi contrarium, te cibi ac nõ etiam potus mentionem facere. Hîc mulier triſtitia affecta, & manibus pectus plangens ſuum: Nulla, inquit, arte meliorem te fieri poſſe vir intelligo, ita conſuetudine confirmatum, & in naturam abiiſſe morbum video.

Fabula monet, non eſſe aſſueſcendum vitioſis actionibus, quòd ea, quæ ſæpe multumq́; fiant, etiam nolentes proſequantur.

Olor. 73

PECVNIOSVS quidam, qui anſeres haberet domi, emit & olorē, & inter illos aluit. Audierat enim ſuauiſſimum eſſe cãtum olorinum. Cùm autem vellet ad epulas iugulare nocte quadam anſerem, ideo enim alebantur, forte cepit olorem, quòd tenebræ diſcrimen inter hunc & illos fieri nullum ſinerent: At olor carmen dulciſſimum, quod aiunt illos facere ſolere vbi inſtare mortem ſentiant, accinit, atque ita cognitus ſeruatur.

Commendat fabula doctrinam, & inprimis muſica ſtudia, quibus etiam mors ipſa ſæpe auertatur.

Æthi

Æthiops. 74



EMPTVM æthiopem quidam putabat ita in negligentia prioris domini decoloratum fuiſſe. Itaque ad ſe deductum, ſumma cum cura lauare, & deſtringere, & omni ratione anniti, vt ſordes illas, quemad modum rebatur, abſtergere poſſet. Verũ mutare illum colorem non valuit, æthiops autem afflictus cura in morbum incidit.

Significat fabula, nullo pacto mutari ingenia & naturas, ſed retinere inſitas ſemper proprietates, & quaſi perſonas attributas ſibi. Recte igitur dicitur, & hoc apud Ariſtophanem. Non poteris rectum cancris inducere greſſum, Nec leues horrẽtis echini reddere ſentis.

Hirundo & Cornix. 75

De formæ præſtantia certamine orto inter hirundinem & cornicem, cûm diu multûmque certatum verbis eſſet, cornix tandem: Quicquid, inquit, formoſitatis in te ſit, vernum hoc ſolummodo tamen eſt, at ego etiam hieme duro.

Monet fabula, firmitatem corporis, forma potiorē habendam.

Merula. 76

Svspensa ante feneſtram in cauea merula noctu cantabat, ad quam aduolãs veſpertilio, rogat, cur non die potius canat, & noctu acquieſcat? Quia enim, inquit illa, interdiu cantitans prodita & capta fuit, itaq; nunc malo edocta die taceo. Tum veſpertilio: Sed tu enim, inquit, ſerò caues, quam priuſquam aprehendereris tacere oportuit.

Docet fabula, poſt euentum, & cùm iam malum acceptum ſit, ſeram eſſe pœnitentiam & cautiones.

Cocleæ. 77

Torrebat puer ruſticus cocleas, quibus ad prunas ſtridentibus: Sceleratæ, inquit, animantes, poteſtis canere, cùm vrantur domus veſtræ?

Fabula monet, quæcunq; non fiant ſuo tempore, ea eſſe reprehendenda.

Mulier

Mulier & Ancillæ. 78



MVLIER vidua, quæ texendo vitam ſuſtentabat, ſolebat ad opus excitare de nocte ancillas ſuas, cùm quidē gallorum cantus auditi eſſent. At illæ diuturno labore defatigatæ, ſtatuerũt gallum domeſticum interficere, quòd huius cantu de ſomno dominam ſuſcitari dicerent. Quo facto, deteriore cōditione quàm prius eſſe cœperunt; Nam de hora & tēpore incerta domina & dubitans, prima ſæpe nocte famulas poſtea excitabat.

Indicat fabula, ſæpenumero bonæ ſpei conſilia habere exitum infelicem.

Saga. 79



SAGA quædam & mulier diuinatrix, auertere ſe deorum iras, & placare infeſta numina poſſe, profitebatur. Quam ream quidã fecere, poſtulantes impietatis: cauſſáque iudicibus probata, cùm ad ſupplicium illa damnata abduceretur, de turba quidam irridens: Heus tu, inquit, quæ policebare aliis diuinæ iræ procurationem, non potuiſti humanam ſententiam mitigare?

Fabula narratur in magnarum rerum profeſſores, qui minimarum ſint imperiti.

Felis. 80

IRREPSERAT in officinam excuſoris

ſoris felis, ibiq; repertam limam lingere cœpit, cumq; ſauciata de lingua cruor manaret, gaudens illa euentu, quòd crederet ferrum à ſe lacerari, non fecit lingendi finem, donec tota lingua abſumeretur.

Fabula dicetur contra eos, qui cupiditatibus & pertinacia ſua ſeipſos damnis afficiunt.

Agricola. 81

QVI terram colebat, cùm agrum foderet, aurum fortè reperit. Memor igitur beneficij, vt à terra in ſe collati, & gratus, hanc quotidie ſertis redimire ſolebat. Ergo fortuna aliquando accedens ad illum: Cur acceptum refers, inquit, terræ, quod tibi ego tribui, cùm ſtatuiſſem te diuitiis augere? Nam ſorte, ſi ita cadat, mutata, & auro delato ad alios, ſatis ſcio, te nõ terram, ſed fortunam accuſaturum eſſe.

Fabula monet, autores beneficiorum agnoſcẽdos, & illis memoriam atq; gratiam perſoluendam eſſe.

Viatores. 82

DVO vnà iter faciebant. Horum vnus repertam bipennem ſuſtulit. Tum alter hortari, ne ſic loqueretur, vt diceret, ego bipennem inueni, ſed ſic: Nos inuenimus. Hoc ei, qui ſuſtulerat bipennem,

non perſuadebatur. Mox viſis quibuſdam, qui ſe inſequerentur cum clamore & cõcitato curſu, eſſe eos qui amiſiſſent bipẽnem, coniiciens, periimus inquit. At alter: Perij, inquit, dices, nunc quoque, non periimus, quippe cùm inuenimus nolueris dicere, ſed inueni.

Indicat fabula, eos, qui non fiant participes cõmodorum, neq; in malis etiam fideles eſſe ſocios.

Ranæ. 83

RANAE duæ vicina loca incolebant, altera paludem profundam, altera lacunulam iuxta viam, in qua modicum aquæ ſubſtiterat. Tum illa paludis inhabitatrix hortari alteram, ad ſe vt commigraret, vbi multò tutiorem vitã degere liceret. Hæc verò negare ſe poſſe auelli à conſueto domicilio atque loco. Paulò pòſt, nihil metuentem plauſtri rotæ, quod illà ducebatur, contriuerunt.

Significat fabula, homines in vſu rerum futilium prius ferè ſubuerti, quàm ad meliora vel aſpirare velint, vel peruenire poſſint.

Mellarius. 84

CVM fortè abeſſet apium dominus, ingreſſus apiarium fur, execuit fauos &

alue

alucaria compilauit, reuerſus mellarius, & aluearibus inanibus repertis,ad illa cōſtitit,& dolens damno ſuo,& quærens ſecum quid ageret.Interea redeunt apiculæ de paſtu,& in illum infeſtæ inuolant,pungentesq́; aculeis ſuis peſſimè accipiūt hominem. Qui iratus:Sceleratæ,inquit,animantes,furem dimiſiſtis intactum,me verò curatorem veſtrum affligitis.

Indicat fabula, quòd quidam per ignorantiam, aut etiam vecordiam, inimicos non caueant, amicos verò auerſentur, aut repellant, tanquam aduerſarios ſuos.

Alcedo. 85

ALCEDO auis eſt amans ſolitudinis, & in alto degit,ac ferunt, inſidias hominum vitantem in rupibus marinis nidificare, & excludere pullos. Hæc quodam tempore oua paritura, nidum affixit ſcopulo, & fœtum in eo reliquit, ac euolauit ad paſtum:interea vento commotum mare, & procellis elatum, fluctibus nidum obruit, atque oua diſſipauit.Reuerſa mater,& cognito damno ſuo: Infelicem me, inquit,quæ terram vt inſidioſam fugiens, contuli me in mare multò infeſtius mihi atque nocentius.

Hæc fabula docet,quòd nōnulli mortales metuentes,

tes ab inimicis, non vitent ſæpe cõcurſum amicorum opinione ſua, à quibus maioribus detrimẽtis afficiantur, quàm quæ dari ab inimicis potuiſſent.

Piſcator. 86

IN fluuio quidam retibus expoſitis captabat piſces. Tum ad fuſtem lapide alligato aquas feriens, & limum turbans, quod pellucidum erat illis adimebat, vt temerè fugientes piſces retibus implicarẽtur. Hoc alius, qui propter eum fluuium habitabat, fieri, & puras aquas inquinari, moleſtè ferebat. Tum piſcator: Niſi, inquit, aquæ commotæ turbidæ reddantur, mihi fame pereundum ſit.

Fabula oſtendit, principes ſæpe ciuitatum, ſuis commodis ſtudentes, excitare ſeditiones conſueuiſſe. Et turbulentos homines, cùm in pace nihil bonæ ſpei inueniant, ad commouendos ſtatus & tranquillitatem publicam incumbere. Quo nomine & Cleon apud Ariſtophanem reprehenditur, hoc modo:

Namq; id quod iis, anguillas qui captãt, vſu tibi venit
Ut unda ſi ſtabilis ſiet nil quicquam capere poſſint,
Sin ſurſq; deq; concitauerint lutum in palude,
Captura præſto eſt, vt lucrum tibi mota ciuitate.

Simius & Delphinus. 87

SOLEBANT quondam mercatores in longinquis nauigationibus aſſumere catellas Melitæas, aut ſimiolos, quorum

luſibus tædium nauigãdi leuaretur. Quodam igitur Atticam cum ſimiolo prætervecto, non longè à Sunio promontorio regionis illius, vehementiſſima oritur tẽpeſtas, & inhorreſcit mare, atque fluctus tanta vi concitantur, vt nauis euerteretur. Diſiectis igitur atq; fluitantibus omnibus & rebus & hominibus, nabat in vndis & ſimius. Hunc conſpicatus Delphinus, miſertus illius, quòd eſſe hominem arbitraretur (ſingularis autem amor eſt erga genus humanum Delphinorum) adnatat ad ſimium, & ſuſceptum euehere ad terram incipit. Iamq; in conſpectu erat Piræus, ibidemq; nauale Athenienſiũ, cùm interrogat Delphinus ſimiũ: An eſſet & ciuis Atheniẽſis? Qui cùm reſpõdiſſet, ſe & eſſe ciuem Athenienſem, & in ea vrbe nobilibus parentibus procreatum: Amplius ille, an noſcitare poſſet Piræum, rogat. Tum ſimius: Optimum ne illum amicũ & ſummum, ac imprimis familiarẽ, inquit, meũ, ratus de homine Delphinum loqui. Quo tam impudente mẽdacio offenſus Delphinus, in mare ſe demerſit, & vanum ſimiolum in aquis ſuffocandum reliquit.

Cõtra vanitatẽ & mẽdacia hæc fabula narratur, quæ ſæpenumero glorioſulis non ſolùm detrimento atq; probro, ſed etiam exitio fuiſſe compertum eſt.

Muſcæ.

Muſcæ. 88

AD mel profuſum in cella quadam aduolantes muſcæ, illius dulciſſimo ſucco iucundiſſimè paſcebantur. Sed iam ſaturæ, cùm auolare vellent, pedibus in tenace liquore hęrentibus, nitentes etiam alas implicuerunt quaſi viſco quodam mellis. Itaque morituræ: O miſeræ, inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit?

Fabula reprehendit voluptuarios & liguritores, qui lenocinio dulcedinis in magna ſæpe mala incurrere, ſæpe etiam interire ſoleant.

Mercurius & Statuarius. 89

AVEBAT cognoſcere Mercurius, quãtopere ab hominibus coleretur. Venit igitur in officinam ſtatuarij, ſpecie emptoris, & primum Iouis ſimulacro conſpecto, quanti indicaret, interrogat. Cumq; audiſſet æſtimari denario, ſubridens: At Iunonis hoc quanti? inquit. Aliquantulo pluris, inquit ſtatuarius, hoc vẽdo. Quam magno igitur? inquit Mercurius: faciamus enim precium. Nummis ſeſtertiis, inquit ille, habeto, nouem. Contemplans verò reliqua, vidit & Mercuriale ſignum, quod & ipſum licitatur. Sperabat autem cariùs multò æſtimatum illud iri, quippe

Merc

Mercurij quòd eſſet, nuntij & interpretis Deorum, cuius numen in ſpe lucri omnes mortales inuocarent. Tum ſtatuarius: Si tibi, inquit, emptis ſignis opus eſt, dabuntur illa duo, de quorum precio percontatus es, ſeſquidenario, & hoc in cumulum accedet.

Contra gloriæ cupidos fabula dicitur, qui tamen ab alijs non magni fieri conſueuerint.

Mercurius & Tireſias. 90

MERCVRIVS periculũ facturus diuinationis Tireſiæ, formam hominis ſibi accommodat, & abactis bobus illius qui in agro paſcerentur ſub vrbe, ad Tireſiam venit quaſi ſua aliqua de re illum conſulturus. Interea & de amiſſis bobus huic nũtium affertur. Quo damno motus Tireſias aſſumpto Mercurio in locum editum & patentem proficiſcitur, de auium indicio furem vt cognoſceret. Iubet igitur dicere Mercuriũ, num auem aliquam cernat. Ille, aquilam ſe videre ait, quæ volatu à læua ad dexteram ferretur. Nihil hæc ad nos, inquit Tireſias: obſeruemus igitur aliam. Paulò pòſt Mercurius, cornicem conſpicatus in proximæ arboris ramo inſidentem, quæ nunc roſtrum in cœlum attolleret, nunc terram verſus

demit

demitteret, id ipſum ſignificat vati. Qui geſtu cornicis intellecto: Hæc, inquit, cœlum & terrã cornix teſtatur, recepturum me boues meos, ſi quidem tu volueris.

Hac fabula aduerſus fures vti poſſumus.

Canes. 91

CVI erant canes duo, is horũ alterum ad venationes aſſuefecit, alterum ad cuſtodiam domus. Si quid autem prædæ partum labore venatici allatum fortè eſſet, particeps fiebat illius & domeſticus. Ferebat id moleſtè venaticus, & conuitia ignauiæ & deſidiæ faciebat domeſtico, querebaturq; de ſuis illum defatigationibus & ſudore bene victitare. Cui domeſticus reſpondit, non ſe accuſandum eſſe, ſed dominũ, à quo non labores, ſed aliorũ labore quæſita abſumere, edoctus eſſet.

Indicat fabula, imperitæ adoleſcentiæ ſuſtinere parentes culpam, qui non curarint rectè illos educãdos.

Pater & Materfamilias. 92

ERAT nupta cum quodã mulier iracunda, & moroſitate intolerabilis toti familiæ. Hic cognoſcendi cupidus, vtrum ſuáne tãtummodo, an etiam paterna domus ferre illam nequiret, bona cum gratia,

tia, quaſi magna res agatur, ad patrem eam remittit. Poſt dies non multos reuocatam interrogat, quàm rectè ſibi cum familia paterna conueniſſet? Bubulci, inquit illa, & paſtores mihi viſi ſunt offendi mea præſentia. Ibi vir, mulier, exclamãs inquit, ſi grauis & inuiſa iis fuiſti qui prima luce domo egrediuntur & eadem poſtrema reuertuntur, quid de aliis ſuſpicandum cum quibus totos dies verſata es?

Intelligendum, ſæpenumero magna de paruis reſciſci, & incerta de certis explorari ſolere.

Hœdus & Lupus. 93

HOEDVS à grege aberrauerat, hunc lupus viſum inſequi cœpit. Qui cùm intelligeret ſe viribus ſuis malum effugere non poſſe, callidum conſilium init, & ad lupum cõuerſus, mi lupe, inquit, video me futurum eſſe cibum tuum: Tu tamen ne grauere parua in re benignè mihi facere, & quo iucundius finiam vitam, prius carmen aliquod accinito ad quod ſaltãdo exhilarer. Ita etiam caruncula mea ſuauior erit. Statuit morem gerere lupus hœdo, & alta voce edit vlulatum, quo audito canes accurrunt, tum relicto lupus hœdo fugam facere, Sed enim iure, inquit, hoc mihi euenit: Me enim qui cocus eſſe debueram,

ram, cantorem agere non oportuit.

Fabula docet nunquam feliciter naturam propriam exui & indui alienam.

Cancer & Vulpes. 94

EGRESSVS quondam de aquis cancer in ripa paſcebatur: hunc famelica vulpes corripuit, cumq; illum deuorare vellet: Cur igitur, inquit, ego qui fluuiatilis eſſem terreſtris fieri volui?

Indicat fabula, ſua ſtudia deſerentes, & incumbentes in aliena, merito fortunam experiri aduerſam.

Fidicen. 95

SOLEBAT quidam fidibus canendo exercere ſe ſub teſtudine cui inductum pauloante tectorium fuerat, vbi cùm vox reſonaret, valde huic illa canora videri, itaque elatus animo decreuit & in certamen publicum theatri procedere. Vbi cùm deterrimè cantaret, ſibilis exactus & plagis inſuper affectus, pœnas dedit ſtolidæ audaciæ.

Fabula hoc indicat, quoſdam in ſcholis & apud ſuos quātiuis pretij ſibi videri, & opinione præclara efferri vt ad rempublicam etiam accedere audeāt, in qua gerenda ſæpe turpiſſime ſe dare conſueuerint.

Fures. 96

FVRES qui ſe per ruinoſum parietē in ædes

ædes quaſdam inſinuaſſent, cùm quod auferre poſſent nihil reperirent, gallum fortè ſtrepentem & cantantem comprehendunt & ſecum aſportant. Quem iugulaturi orantur ab eo ſibi vt parcant: ſuum enim cãtum vtilem hominibus eſſe quos excitet de ſomno ad opera & laborem. Tum fures, Eo libentiùs, inquiunt te occiderimus, qui eos ſuſcites quorum vigilantia obſtet conatibus noſtris.

Fabula ſignificat, malis ea maxime aduerſari quæ bonis proſint. Monet & hoc, imprudentes ea ſæpe defenſione vti, quã magis aduerſariorum adiuuetur cauſſa quàm ſua.

Cornix & Coruus. 97

CORNIX inuidens coruo famam augurij, conſpicata viatores ſubuolat in arborem, & quàm poteſt altiſſima voce crocitat, quibus conuerſis & territis ad ſonum illius, vnus tandem, Pergamus, inquit, comites; iſta enim cornicis vox eſt, neque in auguriis obſeruatur.

Fabula docet, eos qui cum potioribus de dignitate contendant, non ſolùm non exæquari illis, ſed etiam riſui ſeſe exponere.

Cornix & Canis. 98

CVM rem diuinam faceret cornix pe-

cude Mineruæ mactata, ad cœnam inuitat canem. Quid tu verò Deam, canis, inquit, fruſtra, ſolicitas, & ſine cauſſa ſumptus facis? Ita enim illa te vehementer odit, vt ex omnibus tui generis animantibus vni tibi fidem augurij detraxerit. Ideo igitur cornix, huic inquit, ſacra fero, vt mecum placata in gratiam redeat.

Docet fabula, eſſe multos qui lucri ſpe inimicos colere & munerari non dubitent.

Coruus & Serpens. 99



CVM fame coruus periret, neq; eſcam vſpiam inueniret, fortè conſpectum anguem conuolutum & apricantem rapit, quo replicato & ſauciante coruum, ictus ille, ô me miſerum inquit, cui eiuſmodi oblat

oblatum fuerit commodum à quo mihi interitus immitteretur.

Caſtigat fabula auaros quibus lucri cupiditas ſæpe exitioſa eſſe comperiatur.

Monedula & Columbæ. 100

MONEDVLA animaduertens victum abundantem columbarum, cetuſſa obliuit nigrorem ſuum & adiungit ſe columbis. Hæ ſecum illam cibum capere donec tacuit, facilè paſſæ; poſtquam crocitantem audiuere, irruunt in eam & abigunt de columbari. Tum reuertitur ad monedulas quæ albatam hanc vt alienam auem & ipſæ excludunt. Ita quæ non contenta ſua ſorte meliorem ſecuta fuerat, vtriuſque vitæ commoda amiſit.

Monet nos fabula, vt fortunam quiſque ſuam amplectatur, vtq; cogitemus, cupiditates præterquam quòd nihil vtilitatis afferant, ſæpe etiam damnoſas eſſe.

Monedula. 101

CAPTAM quidam monedulam alligatam filo deuincto ad pedem illius donat filiolo ſuo cum qua luderet. Illa impatiens humanæ conſuetudinis occaſionem nacta in ſiluas auolat: implicitaq; autem filo arboris ramis, cùm iam fame ſibi mo-

riendum intelligeret:Me miſeram,inquit, & ſtolidam auem, quæ hominum ſeruitutem fugiens in mortem & exitium me coniecerim.

Fabula indicat quòd homines declinantes mediocria mala in maxima interdum incurrant.

Opifices. 102

IVPPITER Mercurium iuſſit opificibus omnibus dare potionem medicatam vanitate. Ille oblitus vnius generis neſcio cuius, miſcuit æqualiter mendacium vniuerſis:cùm autem recordaretur poſtea horum, quicquid relictum fuerat, id totum ebibendũ prius præteritis prębuit.Ideóq; cùm omnes opifices multum mentiantur,aliqui tamen putantur eſſe vaniſſimi.

Narratur fabula mendacibus opifisibus.

Iuppiter. 103

FVERAT Iuppiter creatis hominibus oblitus verecundiam quoque attribuere, cùm reliquos omnes affectus attribuiſſet. Ergo dubius animi non inueniens viam qua & hanc illis inſereret, iubet vt ipſa in turbam & multitudinẽ ſeſe inferat. Quod cùm facere admodum grauaretur, Iuppiter autem vt faceret valde inſtaret,conſenſiſſe tandem hac conditione dicitur,ne libido

bido eodem quo ipſa accederet. Huius enim coniunctionem vel potius conſpectum ſe tolerare non poſſe. Ex eo fit vt omnes impuri & libidinoſi, etiam ſint inuerecundi.

Narratur fabula, contra impudicos & ſeruientes turpitudini cupiditatum.

Iuppiter. 104

CVM Iuppiter duxiſſet Iunonem, inuitaſſe ad nuptiale conuiuium vniuerſas animantes traditur. Quæ cùm tempeſtiuè aduenifſent, ſola ceſſauit teſtudo, de qua cùm cauſſam moræ ſciſcitaretur, reſpondit illa, Suam cuiq; domum gratiſſimam eſſe. Itaque iratus Iuppiter hac eam pœna affecit, vt affixam perpetuò ſibi domum ſuam geſtare cogeretur, vnde & hoc eſt in obſcura & veteri illa deſcriptione huius animantis, terrigena, tardigrada, domiporta, ſanguine caſſa.

Fabula de ijs narratur, qui ſuarum rerum tenuitatem præferunt aliorum ſplendori & copiæ. Monet etiam inferiores, primùm vt caueant ne ad iram prouocent potentiores contatione ſua; nam fames & mora, vt ait Plautinus Soſia, ſi tamen Plautina illa ſunt, bilem in naſum conciunt. Deindè vt offenſos clementer reſpondendò placare potiùs quàm verborum inſolentia contra ſe irritare velint.

Lupus & Ouis. 105

QVI euaſerat canes ſaucius lupus cùm iaceret in terra ſine viribus, à prętereunte oue petiit de præterfluente ſibi potum vt afferret, nam ego facile, inquit, tum cibum inuenero. Ouis fraude intellecta, ſi ego potum attulero, inquit, me ſcilicet pro cibo vſurus ſis.

Fabula dicitur in veteratores & fraudulentos inſidiatores.

Lepores. 106

LEPORES ſuſcepto bello aduerſus aquilas, auxilium vulpium implorarunt. Qui reſponderunt, non ſe fuiſſe illis defuturos, niſi ſcirent & qui ipſi eſſent, & quibus cum bellum gererent.

Docet fabula, eos negligere ſalutem ſuam qui cum potentioribus inimicitias exerceant.

Formica. 107

QVAM animantem formicam nominamus, eam fuiſſe quondam mortalem humani generis accepimus. Exercuiſſe autem agriculturam, in cuius aſſiduo ſtudio & ſumma cupiditate, vicinis & res & frumenta ſubtrahere clanculum ſoleret. Qui cùm, vt fit, furi multa quotidie mala

imprecarentur, motus tandem Iuppiter communi execratione, in animãtem, quæ, vt diximus, formica nominatur, conuertit furacem agricolam. Non tamen vna cum ſpecie mores quoque mutati fuere: nam formica nunc quoque rura frequentat & alienos labores ipſa percipit atque recondit.

Fabula oſtendit, naturas prauas immutatas manere in omni forma varietate.

Veſpertilio & Felis. 108

VESPERTILIO delapſa in ſolum comprehenſa fuit à fele. Quæ cùm hanc dilaniatura eſſe videretur, petiit illa ſuppliciter vitam ſibi vt concederet. At enim felis hoc facere poſſe negabat, quæ eſſet capitalis hoſtis omnium auium. Tum veſpertilio ſe non auem, ſed murem eſſe dixit, Itaq; dimiſſa fuit. Paulo poſt capta ab alia fele, ſimiliter petiit ſibi miſeræ vitam relinqui. Ibi felis ſibi hoc factu perdifficile eſſe ait, quæ cum omnibus muribus bellum gereret: veſpertilio verò, ſe murem nequaquam eſſe affirmare, ſed volucrem. Quare iterum periculum euaſit, & nomine mutato bis ſeruata fuit.

Inſtruit homines fabula ad prudentiam, vt pro tẽpore & loco mutare conſilia diſcant, omnibus enim

propoſita conſeruatione ſalutis cum dignitate coniunctæ, non idem ſemper dici, ſed idem ſpectari oportet. Alludunt ad fabulam hanc ea, quæ referuntur à Nonio ex Agathone Varronis: Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque in muribus plane neque in volucribus ſum.

Viatores. 109

VIATORES quidam in littore conſtiterant, quod longè in mari fluitantia ſarmenta nauem eſſe arbitrarentur, quæ ad littus appelleretur. His verò propioribus factis, ſperabant lembum eſſe, mox vento & fluctibus eiecta ſarmenta cùm cognouiſſent, ſtulti ſcilicet, inquiunt, nos hîc fruſtra nauigia expectauimus.

Fabula docet, quoſdam ignotos formidine alijs eſſe opinione ſua, cum quibus ſi quis propius congrediatur ſtatim apparere futilitatē & ignauiam illorum.

Aſinus ſilueſtris. 110

SILVESTRIS aſinus proſtratum in ſole manſuetum aſinum cernens, beatum illum iudicabat animo ſuo, qui & cute nitida & bene habito corpore eſſet. Mox videns eundem & onera ferre & ab agitatore fuſtibus cædi, non ego te, inquit, magis beatum eſſe duco, intelligo enim cum quanta calamitate tua bona confuſa ſint.

Fabula

Fabula docet, commoditates coniunctas cum miſeria non eſſe appetendas. Et ait in tragœdia Medea.

μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος
μηδ' ὄλβος ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα.

Ne ſit moleſta, beata vita mihi quoq;
Neq; copiæ mentem meam quæ mordeant.

Aſini. 111

ASINI perpetuam ponderum & agitationum defatigationem intolerabilem rati, ad Iouem legatos quodam tempore miſere, oratum vt ſibi ille ſuccurreret, tantiſque à malis liberaret animalia innocentia. Quibus Iuppiter volens oſtendere id quod peterent fieri non poſſe, reſpondit, deſituros onera baiulare aſinos, cùm mingendo fluuium effeciſſent. Quo audito, quòd ex animo & ſimpliciter hæc Iouẽ locutum fuiſſe crederent, decreuerũt, vbicunque aſinus minxiſſe alterum animaduertiſſet, ibidẽ & ipſe vti mingeret, quod & ab illis obſeruari ad hunc vſque diem aiunt.

Vult demõſtrare fabula, fatis deſtinata non tolli.

Aſinus & Vulpes. 112

ASINVS indutus leonis pelle, ſuperbè obambulabat & reliquas beſtias territabat. Huic obuiam facta vulpecula, quæ

forte

forte illius vocem audierat, etiam te ego, inquit, metuerē, niſi te rudere ſolere ſcirē.

Fabula docet quoſdam indoctos alienis ſæpe eſſe admirabiles priuſquam ipſi ſtultitiam ſuam verbis indicent.

Aſinus & Ranæ. 113

ASINVS ligna portans lacúmq; tranſiens & in lubrico titubans collabitur, cūque onere grauaretur neq; reſurgere poſſet, eiulare & lamentari cœpit. Cuius querimoniam audientes incolæ lacus illius ranæ, Heus tu, inquiunt, quid faceres ſi tanto tempore in his aquis iacuiſſes, quanto nos in ipſis verſamur, cùm vix hîc conciderís & omnia miſerabili queſtu cōpleas.

Hanc poſsit fabulam vir fortis & patiens laborum narrare ignauo & ocioſo, qui in minimis defatigetur & doleat.

Aſinus & Coruus. 114

ASINVS paſcebatur quodam in prato, huius in exulceratum dorſum inuolat coruus & tundit roſtro ſauciam cutem. Tū aſinus igitur rudere & ſubſilire, at agitator ridere: præteriens autem forte lupus & hæc cernens, O noſtrum infortunatum genus, inquit, quos omnes ad primum conſpe

conſpectum clamoribus & armis inſe-ctantur, iſti autem, coruum ſignificans, impune licet aſini pellem pectere, atque inſuper etiam arridetur.

Oſtendit fabula, improbos & damnoſos ſtatim eſſe manifeſtos cùm primum apparuerint.

Aſinus & Vulpes. 115

INIIT amicitiam cum aſino vulpes, atque ita communiter exiere venatum. Cùm autem leonem conſpexiſſet vulpecula; verita vt euadere curſu poſſet; calliditate periculum vitare tentat, & ad leonem accedens paciſcitur vitam ſuam pro aſini proditione. Leo tum quidem vulpi vitam promittit: Illa verò in laqueum inducit aſinum, in quo captus cùm hæreret neque aufugere poſſet, capit prius vulpem leo, atq; ita ad deuorandum ocioſe aſinũ accedit.

Fabula indicat, quòd ſociorum ſuorum proditores ſibi etiam ipſi plerunq; exitium accerſant.

Gallina & Hirundo. 116

GALLINA reperta oua ſerpentis, cœpit ſtudioſe incubando fouere vt pullos excluderet. Hoc agentem conſpicata hirundo, ſtulta, inquit, cur in hoc fœtu educãdo operam ponis, qui eductus in te primum omnium iniurioſus eſt futurus.

Fabula docet, prauitatem non manſueſcere, quan tumuis benignè tractetur.

Camelus. 117



Cvm homines primum camelum aſpexiſſent, territi granditate beſtiæ refuge re ab hac perculſis animis. Mox intellecta manſuetudine illius acceſſere propius, intuitiq; fuere confidentiùs. Tandem cùm comperiſſent felle carere, eo vſque deſpexerunt vt & frenos iniicerent illi, & pueris agitandam traderent.

Fabula docet terribiles caſus conſuetudine ita mitigari vt ſæpe etiam contemnantur.

Anguis. 118

Angvis cùm à plurimis premeretur, ad Iouem ſupplex confugit querens iniurias



iurias & vim hominum. Cui Iuppiter, ſi is qui te primus preſſit fuiſſet à te percuſſus, reliqui à te abſtinuiſſent pedes ſuos.

Fabula indicat eos qui primis oppugnatoribus reſiſtant alijs terrori ſolere eſſe.

Columba. 119

SITI enecta columba cùm vidiſſet in tabula pictum cratera, rata aquam ineſſe, concitatóque impetu ad illum lata, inflictam alam in aſſeres fregit, itaque delapſa in terram à pueris capta fuit.

Fabula monet, vt caueamus ne imprudenter aggrediamur vllas res, obſequẽtes cupiditatibus noſtris, quòd hæ multos in maxima damna impulerint.

Columba & Cornix. 120

COLVMBA quę in columbari nutriebatur,

batur, iactitabat fœcunditatem ſuam: audiens hoc cornix, at tu, inquit, necquicquã ea re ſuperbis, de qua tibi plurimum doloris & luctus colligitur. Quantum enim tibi pullorum tantum triſtitiæ paritur.

Fabula docet in ſeruitute, miſeriam augeri fœcunditate.

Diues. 121

Cvm eſſent diuiti cuidam filiæ duæ, déque his altera mortem obiiſſet, conduxit ille mulieres quæ in funeris pompa deflerent mortuam, quas Latini præficas dixere. Quarum miſerabiles planctus conſpicata ſuperſtes ſoror: Quãta eſt hæc, inquit, infelicitas, id facere poſſe alienas vt tam vehementer plorent atque eiulent, cùm id nos quarum luctus, eſt proprius nequeamus? Cui mater. Deſine, inquit, mirari filia mea, tantopere iſtas mœrere. Hoc enim pecunia accepta faciunt.

Fabula oſtendit inueniri quoſdam tam auaros qui non vereantur quæſtui habere alienas calamitates.

Paſtor. 122

Egerat paſtor oues in quercetum, ibi ſtrato ſub arbore veſtimento ſuo, conſcendit illam & decutere cœpit glandes,

ad



ad quas accurrentes oues dum illas mandunt, etiam veſtem paſtoris dilacerãt. Qui cùm de arbore poſtea deſcendiſſet, & cognouiſſet damnum quod interea fecerat: Improbiſſimæ, inquit, animantes, vos aliis ad veſtitum lanam ſuppeditatis, mihi verò qui vos paſco meam veſtem diripuiſtis.

Oſtendit fabula, multos mortales alienis inſcientes bene, & ſuis male facere.

Piſcator & Smaris. 123

SMARIDEM aiũt eſſe piſciculum paruum in cibo gratum. Huius generis captam vnam perpuſillam oràſſe piſcatorẽ, qui ceperat, ferunt, vt illo ſe tempore amitteret



teret ac ſineret grandeſcere, tum enim illum ſe maiore cum commodo ſuo facile eſſe recepturum. At ego, inquit piſcator, deſipiam; ſi ſpe futuri boni vel maximi, præſens è manibus dimittam quamuis modicum.

Docet fabula, incogitantes eſſe qui malint magna ſperare bona potius quàm mediocribus frui.

Equus & Aſinus. 124

AGITABAT quidam equum & aſinum onuſtos ſarcinis. Deficiente autem in itinere aſino & petente ab equo vt aliqua parte oneris ſe leuaret, ſi ſe viuum aſpicere vellet, repudiauit equus preces illius. Paulo igitur poſt fatigatione & labore cõſumptus aſinus in via corruit & efflauit animã. Tum agitator omnes ſarcinas quas aſinus



aſinus portauerat, atque inſuper etiam detractam pellem aſino, in equum impoſuit. Ibi ille deplorans fortunam ſuam, cùm ſerò iam faſtidij pœniteret: Me miſerum, inquit, qui paruulum onus in me ſuſcipere grauatus fuerim, cùm nũc cogartãtũ ferre, accedente etiã pelle comitis mei, cuius preces tam ſuperbè contempſeram.

Docet fabula, ſi ſuperiores cum inferioribus operas ſuas communicent, hoc ſolere vtriſque ſalutare eſſe. Plutarchus ὑγιεινῶν παραγγελμάτων, *ita:* ὁ βοῦς πρὸς τὴν ὁμόδουλον ἔλεγε κάμηλον, ἐπικουφίσαι τοῦ φορτίου μὴ βουλομένην, ἀλλὰ κάμε, καὶ ταῦτα πάντα μετὰ μικρὸν οἴσεις, ὃ καὶ συνέβη τελευτήσαντος αὐτοῦ.

De Fauno & Viatore. 125

SATYROS & Silenos vocant Græci



ruris & ſiluarum numina, qui Latinis ſunt Fauni & Siluani. Ex his vnus quondam viatorem hiemis frigore afflictum deduxiſſe perhibetur in ſpecum ſuum miſertus hominis. Cumq; videret crebro eum manus ori admouere & illis inhalare, rogat quid ſibi ea res velit, reſpondit viator, calefieri ita ſpiritu manus contractas gelu. Tũ Satyrus, ne quid humanitatis erga hoſpitem prætermitteret, affert in phiala vinum calidum & adhuc ferúens, illoq; ſuũ fouere guttur & ſtomachum iubet. In hoc & ipſum inſpirare viator, quod diceret admirauti & cauſam requirenti Satyro, refrigerari potum anhelitu. Ibi Satyrus eum auerſatus: At tu inquit, citò te aufer à me & egredere de ſpecu, nihil enim cum

tua

tua peruerſitate commercij habere volo, qui eodem ex ore efflas calidum & frigidum.

Fabula ſignificat fugiendas amicitias dubias & mutabiles hominum inconſtantium & leuium.

Vulpes & Lignator. 126



AGITATA vulpes à canibus lõgo ſpacio fuga confecto, deuenit tandem ad caſulam antè quam lignator findebat ſtipitem quernum: ad eum ſupplex confugit orans vt ſibi latebras aliquas demonſtraret, in quibus dum venatores præterirẽt, occultaretur. Ille miſericordia motus ſuam caſulam iubet ſubire, ibi ſperare ſe illam in tuto futuram. Poſteà recordatus animantem illam eſſe nocẽtem, & tamen

manifeſtè prodere ſupplicem non auſus, inſecutis venatoribus & num vulpem vidiſſet percontantibus, vidiſſe quidem ille verbis negabat, ſed manu oculiſque caſulam ſuam indicabat, vbi volebat intelligi latere vulpeculam. Sed venatores, non animaduerſo indicio, & attendentes orationi, celeriter diſcedunt. Vulpes, quæ & audierat & viderat omnia, progreſſa mox de caſula, abire inſalutato lignatore. Quod cùm ille ægrè ferret, & tanquam cum ingrata expoſtularet: Etenim ſalutem tu mihi debes, inquit, tuam, & meo beneficio vitam retines. Tum vulpes, Age rem, inquit, gratias ego tibi, ſi cum oratio ne tua manus & oculi cõſentirent. Quòd ſi dicendum aliquid eſt, ego quidem linguæ bene precor, ſed manus præciſas & oculos tuos effoſſos velim.

Fabula contra eos narratur, qui verbis bene policentur, re autem malefaciunt.

Homo & Statua. 127

QVIDAM domi ſuæ conſecrata diui neſcio cuius lignea ſtatua, colere hanc & ſertis ornare aſſiduè ſolebat, & petere ab hac diuitias & opes. Sed hoc cùm fruſtra longo tempore feciſſet: non modò enim non augebatur res ipſius, ſed etiam diminuebatur, iratus tandẽ apprehenſum pedi

bus




bus ſimulacrum terræ inflixit. Illiſo autem fortè in ſaxum capite, effractoq; magna vis auri effunditur, quod in eo fuerat incluſum. Hoc colligens ille; Magna eſt, inquit, peruerſitas tua diue, qui venerantem te neglexeris, & affligētem ditaueris.

Significat fabula, prauos non cultu, ſed vi & aduerſando placari.

Canis & Cocus. 128

IN domo quadam ingens conuiuium apparabatur. Inuitat igitur canis domeſticus externum, ſecum vt epuletur. Deductus externus in culinam, videt omnium rerum ad victum neceſſariarũ ſummam adeſſe copiam, magnas etiam vbique lauticias animaduertit. Itaque gaudio ple-



nus: Papę, quàm opipare, inquit, hîc nunc conuiuabor? tanto ſcilicet me cibo ingurgitare potero, vt ſaturitas poſtridie etiam duratura eſſe videatur. Hæc ille ſecum lætus murmurãs, caudam quaſi adulans coco quaſſat, ille vt ab externo metuens, arreptum de feneſtra eum proiicit in viam: Qui cum clamore maximo aufugiens, habuit obuium ſibi notum alterum canem. Hic igitur, qui fuiſſe eum inuitatum foras ſciret, quomodo acceptus eſſet, interrogat. Cui alter; Ita, inquit, multum potaui, vt ebrius vnde exierim ignorem.

Fabula docet, fidem non habendam ijs, qui de aliorum facultatibus beneficos ſe futuros eſſe polliceantur.

Piſc

Piſcator. 129

PISCATOR artis non admodum peritus venit cum tibiis ad aquas, & carmen accinere cœpit, ſperans futurum, vt ad vocis ſuauitatem piſces exilirent. Sed falſus ſpe ſua, arripuit rete, & proiicit in aquas, magnamq; copiam piſcium extrahit. Quibus in ripa expoſitis, & laſciuientibus: Nũc ſaltatis improbi, inquit, dudum autem me tibiam inflante quieſcebatis.

Fabula dicitur de iis, quæ temerè vel non ſuo loco atque tempore fiunt. Eandem iratus Cyrus apud Herodotum κλειοῖ, narrat Aeolenſibus, qui pacem à victore peterẽt, quem ſocietatem quondam ipſorum flagitantem repuliſſent.

Bubulcus. 130

BVBVLCVS amiſerat vitulum de armento, quod cuſtodire debebat. Tum ille ſyluas & ſolitudines omnes obire, & requirere vitulum. Sed multa opera & labore magno nequicquam abſumpto, votum Ioui fecit, ſe hœdum illi cæſurum, ſi eſſet ſibi fur oſtenſus, qui vitulum rapuiſſet. Ibi fortè delatus in ſaltum, videt leonem, à quo mandebatur vitulus. Ad cuius conſpectum ingenti formidine percitus bubulcus: Magne, inquit, Iuppiter, reper-

to vituli fure hœdum me tibi ex voto debere confiteor,ſed nunc opimum bouem à me accipe, & ex illius vi atque vnguibus me eripe.

Fabula monet, eſſe quoſdam leuis animi homines, optantes temere quæ forte concupiuerint, eaq; conſecuti cùm ſint, tum animis angi, & quærere, quomodo amittere poſſint. Itaque Plato cenſebat, nihil à Dijs nominatim, ſed ea quæ profutura illi nobis ſcirent, petenda eſſe.

Coruus. 131



CORVVS graui morbo laborans: Mater, inquit, Deos interpella pro ſalute mea, & à lacrymis tempera. Cui reſpondit mater: Vereor vt meas preces vllum numen exauditurum ſit; Nullius enim tu

tu victimis vnquam pepercisti.

Fabula docet, quibus ſecundis rebus plurimi fuerint inimici, eos non facilè amicos in aduerſis reperire.

Aquila. 132

AQVILAM de rupe leporem quem caperet deſpectantem, interea quidam ſagitta confixit. Cuius ferrum cùm intra corpus abiiſſet, pennæ autem arundinis exterius apparerent, illas contemplans aquila: Hoc demum, inquit, magnũ eſt malum, quòd meis ego pennis interimor.

Innuit fabula, miſerabile eſſe, ſi noſtra nobis facultates & res periculum creare videantur. Hoc prouerbio vſus ſcelerate Iulianus fuit, cùm cauſſam redderet edicti, quo Chriſtianis adimeretur lectio autorum Græcæ linguæ, & prohiberentur ſtudia bonarum artium.

Cicada & Formicæ. 133

FORMICAE humectatas in hyeme ſiccabant fruges; ad has adit cicada eſuriens, & orat paululum cibi vt ſibi impertiant. Cui illæ: Æſtate, inquiunt, quærere te oportuit. Non vacabat, inquit cicada. Quid faciebas igitur? inquiunt illæ. Cantationibus operam dabam, inquit. Tum illæ: Si cecinisti æſtate, inquiunt, hyeme ſaltato.



Monet fabula, ne vlla in neceſſaria re ceſſemus, ne poſteà egentes fruſtra præteritum tempus requiramus, aut aliorum opem imploremus.

Vermiculus & Vulpes. 134

EMERSVS de ſterquilinio vermis, cœpit profiteri apud animantes ſe eſſe medicum ſummum, neque cedere Pęoni Deorũ medico, vſu & experientia artis. Quem rugis deformem & nutantem intuita vulpes: Medice, inquit, teipſum curare prius atque ita profiteri artem debueras.

Docet fabula, turpiter ea oſtentari verbis, quæ re ipſa conuincantur mendacij. Et eſt prouerbio tritus huius ſententiæ ſenarius Græcus, qui irridet medicum aliorum, ipſum ſcatentem vlceribus. Narratur fabula & de rana prorſus eodem ſenſu.

Galli

Gallina auripara. 135



HABEBAT gallinam quidam, quæ ouum quotidie pariebat aureum. Hic ſperans auri maſſam intra illam eſſe abſconditam, occidit gallinam, & in diſſecta nihil aliud reperit, quàm quod in reliquis eſſe gallinis conſueuit. Itaque ingentibus ille diuitiis inhians, etiam mediocres perdidit.

Monet fabula, vt immodicas cupiditates & auidos diuitiarum animos cõpeſcamus, & vt ſua quiſq; fortuna contentus viuat.

Leo & Vulpes. 136

LEO ſenio confectus, cùm vires non ſuppeterent ad victum parandum, callidum cepit conſilium ſuſtentandi vitam. Itaque

Itaque in antro, quaſi periculoſo morbo correptus, decumbens, quòd ad ipſum viſendum paſſim animantes reliquæ aduenirent, præhenſas illas deuorabat. Atque ita magna beſtiarum multitudine à leone abſumpta, accedit tandem & vulpecula ad antrum, & ante illud ſubſiſtit, hæſitans atque circumſpectans. Tum leo, quid ceſſet, cur non adeat ad ſe rogat. At illa, id quod Horatius verſibus retulit, reſpondiſſe fertur:

Quia me veſtigia terrent,
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Fabula docet, prudentes ante pericula cauere ſibi, & ea ſigna, quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

Lupus & Mulier. 137

ESVRIENS lupus omnia loca circumiens cibum quærebat, tandem audit intra caſam ruſticam, plorantem puerum, & interminantem matrem, ni deſinat, lupis eum ſe velle proiicere. Lupus eo dicto in ſpem vocatus, habiturum ſe cibum, totam diem aſtitit opperiens, dum puerum mater proiiciat, ſed veſperi hæc reconciliata puero, eidem abblandiens, & aſſentans: Mi pupule, inquit, bono animo ſis, lupum ſi venerit obtrūcabimus. Tum lupus

pus triſtis & deceptus abiens : In iſta, inquit, domo aliter loquũtur, aliter ſentiunt.

Fabula dicitur in eos, quorum dictis non reſpondent facta.

Hœdus & Lupus. 138



SVPRA tectum domus ſtans hœdulus lupum prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat. Cui lupus, non tu, inquit, ſed tectum mihi maledicit.

Sæpe locus & tẽpus fortes facit homines timidos, vt inſultare etiã præſtantiſſimis non vereantur. Babrias exponente Suida fabulam de agno narrauit : Λύκ⊙ παρήει τριγχὸν, ἔνθεν ἐκκύψας Ἀρνειὸς αὐτὸν ἔλεγε πολλὰ βλασφήμως.

Mulus. 139

OPIMVS paſtu hordei factus mulus, incit

incitare ſe ad curſum, & gloriari de materna origine, quã celeritate referret. Matrem, inquit, equam habeo, pręſtanti celeritate, qua ego nõ ſum inferior. Mox quodam tempore currendi neceſſitate illi impoſita defatigatus, cœpit paterni generis, & ſe eſſe aſino procreatum, recordari.

Fabula monet, non ſuperbiendum, ſi quem fortuna extulerit altiùs, neque prioris conditionis obliuiſcendum, Nam inſtabilem eſſe vitam hominum. Monet & hoc, prouectos ad honores & dignitatem, humilitatis aut dedecoris parentum conſcientia perturbari animis, vt Euripides Phædram loquentem introducit:

Animos virorum fortium quoq; deijcit,
Si patris aut matris meminerint dedecus.

Anguis & Agricola. 140



IN

In veſtibulo agricolæ cauerna erat, quam incolebat anguis: hic puerum illius paruum, à quo nō prouiſus calcatus eſſet, ictum veneno ſuſtulit, atq; conſcientia facinoris in cauernā ſtatim ſerpendo ſe recepit. Pater dolore maximo ob mortē filij affectus, bipennem arripit, & ante fauces cauernę aſſiſtit, obtruncaturus proſerpentem anguem. Hic verò, cui in memoria hæreret perpetratum facinus, egredi cautè, & prius circumſpicere omnia. Sed agricola vindictę cupiditate feſtinans, plagam in anguem vix dum apparēte capite ſumma vi infert. At hic celeriter illud reducit, & mortem ſubterfugit, & bipennis in ſaxum impacta ſignum impreſſit iræ & indignationis agricolæ. Paulo poſt hortante vxore illius cum angue vt reconcilietur, apponit ante cauernam panem & ſalem, & euocat anguem ad componendam pacem. Cui anguis: Nulla, inquit, firma pax fieri poterit, donec & buſtum filij tui, & iſtud ſignum tam violentæ plagæ in ſaxo apparuerit.

Significat fabula, non obliuiſci homines, neq; deponere odia ac cupiditatem vindictæ, quamdiu veſtigia extent malorum, quibus affecti fuerint.

Tubicen. 141

Tubicen cantu ſuo concitatis acie-



bus, & prælio commiſſo captus: Ne me, ne, inquit, vos interficite, nemo enim veſtrum à me eſt occiſus, quippe qui inermis nihil niſi tubam hanc, vt videtis, habeam. At hoſtes: Ideo te, inquiunt, cupidius interimemus, quòd pugnandi imperitus, alios ad pugnas & dimicationes incitare ſoleas.

Fabula docet, nocentioros eſſe eos, qui potentes inſtigent & irritent ad malefaciendum alijs, quàm priuatos viros, qui ipſi malefici ſint.

Arundo & Olea. 142

DISCEPTABANT de fortitudine, robore, & conſtantia olea, ſeu quercus, nihil enim refert, & arundo. Cùm autẽ olea ſiue quercus arundini exprobraret mobilitatem,



litatem,& quòd ad quamuis illa exiguam auram tremeret, tacuit arundo. Non ita diu poſt, ingruentibus ventis, & reſiſtente flatibus ipſorum vel olea vel quercu, ab horum illa vi eruta & diſſipata fuit, arundo autem ſubmiſſione ſua integritatem conſeruauit.

Fabula oſtendit, laudandos eos magis eſſe, qui tempori ſeruire ſciant, & ſe non opponant valentioribus, quàm eos qui cum præſtantioribus ſe & potentioribus rixentur atque contendant.

Significatur & hoc, quod Herodotus ſcripſit: Numinis hunc eſſe morem, vt ardua conuellat.

Lupus & Grus. 143

INHAESERAT os in faucibus lupi, mercede igitur conducit gruem, qui inſerto roſtro in rictum ſuum os de fauci-



bus extrahat. Hoc longitudine colli facilè grus effecit. Cùm autem mercedem poſtularet, ſubridens lupus, & dentibus infrendens: An tibi, inquit, merces parua videtur, quòd caput incolume retuleris de lupi faucibus?

Fabula in eos dicitur, qui ſeruati de malis, erga ſalutis ſua autores ingrati reperiuntur.

Galli gallinacei. 144

Dvo galli acriter inter ſe pro gallina dimicabant, ita vt ambo ſauciarentur, ſed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore & dolore affectus, latebras quæſiuit, victor autem in altum parietem euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis ſtrepere cœpit. Hunc de improuiſo aquila præteruolans rapuit. Ita alter, qui ſe dudum

dum abdiderat, poſtea ſine æmulo gallinarum conſuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipſum ſuperbis aduerſari, mite autem apud illum in gratia eſſe.

Culex & Leo. 145

AGGRESSVS culex ad leonē: Non ego, inquit, te tantam beſtiam formido, neque tu me præſtantior es. Vel dic ipſe, qua maximè laude excellas? Num quia vnguibus laceras, & dentibus diſcerpis miſeras beſtiolas? At idem facit fœmina, ſi quando cum viro pugnat. Me verò te etiam robuſtiorem eſſe vt intelligas, age committamus prælium. Atq; ita ſe Martio illo canore, Fractos ſonitus imitante tubarum, in leonem incitans, intra nares illius inhæſit. Leo verò inſaniens ira, ſuum ipſe os propriis vnguibus dilanians, ſeſe miſerè affligebat. Tum culex cum exultatione auolans & cantu, tanquam victor, araneæ tela irretitur, à qua cùm comprehenderetur, iam moriens: Quæ hæc eſt, inquit, infelicitas, me leonis victorem ab araneola interimi?

Fabula narratur contra eos, qui in eximia præſtantia, leui aliquo caſu euertuntur.

FINIS.

HIc finis eſt earum fabularum, quæ Græca lingua editæ, paſſim in manibus diſcentium bonas literas habentur. Nunc ad eas accedam, quas diuerſarum gentium, & etiam earundem, diſſimili tamen oratione perſcriptas, nos collegimus, atque ſimplici & inexquiſito, puro tamen, ſi poſſemus, ſermone exponere ſtuduimus. Quod, quamuis videatur factu non difficile, neque laborem habere, aut induſtriam requirere, nos tamen in experiundo ſenſimus, hanc operam nonnullo nobis ſudoreq́ conſtitiſſe, dicerem etiam, non contemnendam neque illaudabilem diligentiam & ſtudiumq́ non vulgare adhibitum fuiſſe, ſi melius de euentu ſperarem. Sed de hoc opere qualecunque eſt, neque initio putauimus, neque nunc alieniore, vt opinor, in loco, diſſerere nos oportere exiſtimamus. Hoc tamen videmur affirmare poſſe, inter has deſcriptiones, nos comperiſſe, eum qui Æſopicam fabulam mediocri orationis elegantia & perſpicuitate, nec non ſententiarum conuenientia narrare potuerit, bonam ſpem de omni reliqua eruditione concipere debere. Id vſque adeò verum eſt, vt etiam doctiſſimi viri in hac parte neque dubitent ſe frequenter exercere, & ſæpe ipſi ſibi minime ſatisfaciant; vt quamuis hæc ſint quædam eloquentiæ exordia, tamen ad illa ipſa perfectio huius recurrat atque reuoluatur. Sed ad propoſitam expoſitionem fabularum reuertamur.

*

De

De Homine & Leone lapideo. 146



Orta inter hominem & leonem contentione de robore, cùm ſe huic ille anteferret, & omnibus modis vellet probare eſſe validiorem, deduxit leonem ad effigiem hominis de ſaxo expreſſam, à qua leo item ſaxeus pedibus calcabatur. Tum leo: Si noſtrum, inquit, genus fingere etiam didiciſſet, ego quoque tibi, vt opinor, ſaxeos homines, qui à leonibus premerentur, poſſem oſtendere.

Coercet fabula oſtentationem virtutis propriæ.

De Leone ſopito & Mure. 147

Per leonis dormientis iubas decurrit muſculus. Itaque ille excitatus de ſomno,

conuertit iter, neque quo cœperat pergere voluit. Hunc irridebat vt timidum vulpecula. Cui ille: Non ego quidem timidus ſum, ſed hoc tamen iter mutabitur.

Docet fabula, ne minimos quidem caſus negligendos aut contemnendos eſſe.

Leo, Aper, Vultures. 148

GAVDEBANT vultures, cùm cernerent leonem pugnantem cum apro, & ſe victum atq; occiſum depaſturos eſſe ſperabant. Cùm autem vidiſſent, illos omiſſo certamine pacem & fœdus facere, falſi ſpe deplorabant vanam expectationem ſuam.

Fabula monet, non eſſe lætandum ob mala aliena.

De Caprea & furioſo Leone. 149

CONSPECTO leone furente: O miſeram & infelicem conditionem beſtiarum, inquit caprea. Siquidem etiam furioſos habituræ ſumus leones, quorum mentis & rationis compotum ſæuitiam intolerabilem eſſe experimur.

Fabula deterret eos, qui in principatu ſunt, & rerum potiuntur, ne in iram facilè delabantur, néue è poteſtate exeant.

De Aſino geſtante ſimulacrum. 150

GESTABAT impoſitum ſibi aſinus, neſcio

neſcio cuius diui, ſimulacrum; hoc cùm adoraretur à prætereuntibus, ille animo elatus, quòd ſe adorari putaret, quærere de aſtantibus quis nam eſſet, neque enim ſe aſinũ eſſe arbitrari. Tum vnus de illis: Tu quidem, inquit, aſinus idem es, qui ſemper fuiſti, ſed nunc diui ſimulacrum geris.

Inſtruit principes & potentes fabula ad moderationem, & vt ſe, ſimiliter ac reliquos homines eſſe mortales meminerint: Quòd autem imperium habeant in alios, hoc eſſe non ipſorum proprium, ſed diuinum bonum, vt ait Homerus: οἵτε θέμιςας ἐκ Διὸς εἰρύαται, id eſt, qui regnum acceperint à Deo.

De Puero qui viſcera comederat. 151

INGVRGITARAT ſe puer viſceribus feſto die quodam: Quæ, cùm nõ poſſet concoquere aluus, fruſta horum ille euomebat. Tum: O mea mater, territus exclamat, viſcera euomo. Cui illa: Rectè, inquit, mi fili, non enim tua, ſed aliena iſta bubula vomis.

Non oportere, ait fabula, grauari nos, ſi aliena reddenda ſint.

De Culice & Tauro. 152

CVLEX in cornu tauri reſidens, illum interrogabat, nunquid auolare ſe vellet. Cui reſpondit taurus, nihil intereſſe ſua,

vtrum maneret an auolaret. Vt enim non ſenſi acceſſionem, inquit, tuam, ita ne deceſſionem quidem ſenſero.

Contra eos fabula narratur, qui ſibi videntur eſſe ſapientes, aut honorati, in ſtultitia ſua, & aliorum deriſione.

De Puero & Scorpio. 153

LOCVSTAS puer captans, in ſcorpium incidit. Huic ille: Ne, inquit, attigeris me: Nam niſi à me abſtinueris manum, locuſtas etiam, quas venatus es, cum dolore & gemitu proiicies.

Fabula monet, vitandos eſſe congreſſus improborũ.

De Sue & Mure. 154

ESVRIENS ſus murem compræhenderat, quo famem ſedaret. Hoc conſpicati fabri, alter oſtendens alteri ridebant. Tum mus ſemianimis: Rideris, inquit, qui non poteſtis vnum ſuem enutrire.

Multi ſua errata non cernentes, aliena acriter animaduertunt: atq; contra hos fabula dicitur.

De Aſino induto leonina pelle. 155

PELLE leonina indutus aſinus territabat homines & beſtias, tanquã leo eſſet. Fortè autẽ conſpectæ aures eminentes, & longæ,

lõgæ, indicarunt ſtolidè ſuperbientem aſinum: ita in piſtrinum abactus, pœnas dedit temeritatis & petulantiæ ſuæ.

Fabula innuit, honores indignis collatos, ad ignominiam plerunq; recidere. Diciturq; contra ſimulationem ſtultorum & glorioſorum.

De Hirco & Vite. 156

ARRODENTEM pampinos hircum increpat vitis: Cur enim tu mea, inquit, folia carpis, quaſi nihil prœterea ſit frondiũ. Cùm autem non faceret depaſcendi illos finem hircus: Quantum potes, inquit, noceto mihi, ego tamen vini tantùm tulero, quantum te mactato ad libandum dis ſatis fuerit.

Indicat fabula, ſæpe prodeſſe alteri eum, qui lædere voluerit. Et extat græcum epigramma hac de re, de quo expreſſi ſunt latini verſus:

Rode caper vitem, tamen hinc cùm ſtabis ad aras
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.

De Homine & Fele. 157

HABEBAT in delitiis felem adoleſcẽs: eam vt in puellam conuerteret, cùm Venerẽ exoraſſet lætus nuptias celebrat. Aderat & Venus conuiuio: Hæc volens periculum facere, cum forma ne etiam animum priorem exuiſſet, emittit in medium murem. At hunc intuita ſponſa, quæ



intèr virgines exornata aſſederat, commoueri quidem admodum, ſed ſe tamen reprehendere & continere. Tum Venus alterum muſculum emiſit. Quo viſo illa non magis apud ſe, exilire & oblita omnium, muſculum inſequi cœpit. Ex eo intellectum, difficulter, vel potius nullo pacto naturam mutari poſſe.

Fabula docet, ingenitos mores & inſitam mentem nulla arte poſſe transformari.

Caprea. 158

A D fonticulum conſtiterat fortè caprea, quæ in aquis contemplans imaginem ſuam, gràcilia & exilia crura ſua vituperabat, commendabat autem cornua. Mox audita voce venatoris & canum, aufugiens,



fugiens, & inter dumeta cornibus adhæreſcens, cùm celeritate pedum periculum euadere potuiſſet: O me deſipientem dudum, inquit, cui placerent ſaluti contraria cornua, crura verò diſplicerent, quorum beneficio retineri illa poſſet.

Docet fabula, ſæpe peruerſo iudicio homines, nocentibus delectari, & vtilia ſpernere.

De Vulpe & Vua. 159

VVLPES ſublimem vuam dependentem de vite conſpicata, ad illam ſubſiliit iterum atque iterum, omnes vires corporis adhibens, ſi forte attingere poſſet. Tãdem defatigata inani labore, diſcedens ipſa ſeſe quaſi conſolans: At enim acerbæ nunc etiam, inquit, vuæ ſunt, & iſta inprimis

mis auſtera, neque ſi in via reperiatur, videtur tollenda eſſe.

De ijs fabula dicitur, qui neceſsitati obſequuntur. & libenter abſtinet ab ijs, quæ obtinere non poſſint.

De Coruo & Vulpe. 160



SVSTVLERAT coruus alicunde caſeum, & cum illo in altam arborem ſubuolarat. Vulpecula, quæ caſeum concupiiſſet, ita illum adorta callidè fertur, cùm primũ formam & nitorem pennarum, & laudes augurij collaudaſſet: Plane, inquit, te ſummi Iouis volucrem eſſe dicam, ſi audiero etiam vocem & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Coruus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximũ poſſet. Ita de aperto roſtro delapſo caſeo potita

potita vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deeſt corue, præter cor.

Fabula docet, aſſentationes & deridendos & comedendos alijs, vt Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur.

De Ranis & Sole. 161

LAETABANTVR ranæ, cùm nunciatum fuiſſet, ſolem vxorem duxiſſe. Tum vna vetula: O ſtulta ſoboles, inquit, nos vnius ſolis æſtus & flammas metuimus: quid igitur fiet, ſi liberis ab hoc procreatis feruor multiplicetur?

Fabula indicat, multos eſſe ita amentes vt malis proprijs gaudeant.

De Aſtrologo & Viatore. 162

CONTEMPLANS quidā noctu cœlum & ſtellas, in foſſam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alius eadem iter faciens, cùm de gemitu illius ac oratione, quod acciderat, cognouiſſet: Optime, inquit, tu qui os in cœlum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula oſtendit, reperiri quoſdam, qui futura prædicere non dubitent, cùm quæ ante pedes ſunt, nō videant. Irridetur Thales à Threſſa ancilla ſimiliter apud Platonem, quæmuis in laudem hoc Philoſophi à

Platone

Platone conuertatur: Sed ſic res ſe habet, vt ille ait:
Crede mihi ſapere eſt non nimium ſapere.

De Equo & Ceruo. 163



TENVERAT equus pratum aliquantiſper ſolus: poſtea cum in illud & ceruus ventitaret, & pabulum conſumeret, cupidus ille vindictæ, quærit ab homine, vtrũ ope ipſius adiutus, iniurias cerui vlciſci poſſit? Cui reſpondit homo, poſſe, frenum ſi recipiat equus, & ſe conſcendi patiatur ab armato. Annuente autem equo, tantum abfuit, vt de ceruo ſperatas pœnas ſumere liceret, vt etiam ipſe in ſeruitute deinceps viuere cogeretur.

Fabula monet, ne cum vllo tam graues inimicitias exerceamus, vt lædendi illius cupiditate malum etiam

etiam nobis non dubitemus accerſere. Horatius ita explicat:

Qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atq;
Seruiet æternum qui paruo neſciet vti.

De Sene & Concubinis illius. 164



SENEX, cuius caput reſperſum iam erat canis, habebat concubinas duas, moribus & ætate diſſimiles. Nam altera iuuencula & laſciuior, altera ætate prouecta & ſeuerior erat. Vt igitur ad harum alteram forte acceſſerat, ita crines non ſimiles ſuis dormienti vellebantur. Carpebat enim iuuencula albos, ſenior verò nigros. Tandem ille caluo capite omnibus riſui fuit.

Fabula narratur ijs, qui ſe cōtrarijs & pugnantibus negotijs occupant.

De Aquila & Monedula. 165



AQVILAM rapientem agnum conſpicata monedula, idem de ariete facere conatur, ſed in villis pecudis cùm vngulæ implicitæ eſſent, capta à paſtore, & dono data filio fuit, qui illa in ludo pro monedula poſtea, quæ ſua opinione aquilæ par fuerat, vſus eſt.

Deterret fabula ab affectandis ijs rebus, quæ rei maiores ſint, quàm vt nos aſſequi poſſe videamur.

De Cornice ſuperbiente aliarum auium pennis. 166

CORNICVLA collectas pennas de reliquis auibus ſibi accommodauerat, & ſuperba

ſuperba varietate illa, reliquas omnes præ ſe auiculas contemnebat. Cùm forte hirundo, notata ſua penna, aduolans illam aufert, quo facto & reliquæ poſtea aues quæque ſuam ademere cornici, ita illa riſum mouit omnibus, furtiuis nudata coloribus, vt ait Horatius.

Significat fabula, commendicatam ſpeciem neque diu durare, & perleui momento diſſolui.

Struthocamelus. 167

STRVTHOCAMELVS, quẽ Latini paſſerem marinum dixere, auis in Aphrica eſt, pene beſtia, bipes quidẽ illa, ſed vngulis ſimilibus ceruorum. Eadem alas habet, ſed ſupra terram nõ eleuatur. Quodã igitur tempore, cùm bellum grauiſſimum eſſet inter volucres & beſtias, capta hæc à beſtiis, vt auis pro hoſte habebatur: At illa pedes oſtendens, num auis illis videretur, interrogabat. Itaque deceptis beſtiis, tanquam ciuis, tuta apud illas fuit. Paulopoſt in prælio capta ab auibus, auẽ ſe eſſe, alis & roſtro probauit. ita & his impoſuit.

Fabula notat eos, qui diuerſis inſeruiunt quaſi dominis, & tam hos quàm illos fruſtrantur.

De Hirundine. 168

IN foro, vbi iudicia fieri ſolebant, affi-

rat nidulum ſuum hirundo: huius pullos anguis læſit. Tum illa: O conditionem miſeram, inquit, cùm eo loco, vbi alij ius ſuum obtinent, mihi potiſſimum vis & iniuria allata fuit.

Fabula de ijs dicitur, quibus ſpecie bonitatis & honeſtatis nocetur.

Boues & Leo. 169

PASCEBANTVR vna tres boues opimi in maxima concordia, itaque facile ab omni incurſione ferarum tuti erant, ac ne leones quidem aggredi illos audebāt. Tandem diſſidio inter illos nato, & ſoluta amicitia, ſinguli validioribus beſtijs direptioni & prædæ fuere.

Fabula docet, tantum ineſſe mali in diſſenſione, quantum boni in concordia reperiatur.

De Agricola & Ciconia. 170

INTER grues cepit agricola & ciconiam. Hæc deprecata ab illo vitam, non ſolùm innocentem, ſed etiam piam ſe, & hominibus prodeſſe commemorat. Nam & noſtrum genus, inquit, venenatas beſtias venatur ac deuorat, & effœtos ſenecta parentes geſtat atque ſubleuat. Huic reſpondit agricola: Credere ſe vera eſſe omnia, quæ recenſuerit, ſed inter nocentes captā,

candem

eandem oportere pœnam ſufferre quàm illos.

Fabula ſignificat, ſimilem queuq; haberi ijs, cũ quibus conſociatus, & inter quos deprehenſus fuerit.

De Cane & Fruſto carnis. 171



FERRIBAT canis ſecundũ flumen decurrens raptum alicunde carnis fruſtum: cuius imago cùm in aquis appareret, canis auidus, illam, quaſi alterũ fruſtum vndis innatans, appetit: ſed dum pandit rictum, vt aſſumat, id quod tenuerat amittit.

Fabula docet, auaritiam & infinitas cupiditates detrimentoſas eſſe.

Aſinus ſale onuſtus. 172

ASINVS cum ſale in vrbem agitari

 ſolitus,

ſolitus, cùm fluuius in via tranſeundus eſſet, in illum fortè quodam tempore decidit, & cùm ſurgeret, ſenſit ſe nonnihil onere leuatum, quòd in aqua ſales deliquiſſent. Itaque poſtea ſemper in illo loco collabi, donec agitator, fraude intellecta, ſpongias aſino impoſuit, quibus madefactis, cùm ſentiret eſſe pondus grauius, multò deinde quàm antea vnquam celerius fluuium tranſiit, diligenter cauens, ne onus humectaretur.

Fabula docet, ſæpe ſperatum commodum in detrimentũ verti. Docet & hoc, fraudulentos fraude circumueniẽdos. Narrat fabulam Plutarchus & Thaletem illud inuentum ſpongiarum ſubieciſſe ſcribit.

Camelus. 173

CAMELVS repanda à Ioue petebat vt cornibus armaretur. Cuius ille ſtolidis precibus irriſis, etiam aures mutilauit, vt non ſolùm inermis, ſed etiam deformis de cætero eſſet.

Monet fabula, ineptis precibus Deos non eſſe fatigandos.

Lupus & Agnus. 174

STABAT ſupra agnum in ripa fluminis lupus, qui cùm vellet, ſi deuoraſſet illũ, hoc iure feciſſe videri: Cur tu, inquit



toruo vultu & minacibus verbis, ſceleſte, puras vndas inquinas, vt ad me defluant turbidæ? Egóne? inquit timens & trepidans agnus, qui infra te aſtiti, & à quo ad me illæ deferuntur. At enim maledicis, inquit lupus, neque recordare, quam pœnam ob petulantiam linguæ pater tuus perſoluerit, antè menſes ſeptem. Non ego tum, inquit agnus, procreatus fui. Scin' verò, lupus inquit, quàm vaſtum reliqueris nuper campũ omnibus herbis nudatum? Nunquam hoc, inquit agnus, factum reperies, neque ego omnino, cùm dentibus caream, facere potui. Tandem lupus, Tu quidẽ, inquit, ſatis dicaculus es & diſertus, ego tamen lautè cœnare decreui, atq; ita correptum agnum deuorauit.

Fabula narratur de impudentia facinoroſorum.

Venator & Paſtor. 175

TIMIDVS venator dicit paſtori, cupere ſe veſtigium reperire leonis, & petit, ſi quod animaduerterit, demonſtret ſibi. Huic paſtor: En tibi, inquit, hic prope adeſt. Rectè, inquit territus venator, nihil quæro amplius.

Aduerſus homines dicitur fabula, verbis audaces, re ipſa formidoloſos:

De Ruſtico & Equite. 176

POSTVLABAT à ruſtico eques leporem, quem portantem illum videbat, & quanti venderet rogabat. Cùm autem accepiſſet quaſi inſpiciendum, adhibitis calcaribus equo, vna cum lepore auehebatur. Tum ruſticus: Quid feſtinatione opus eſt, inquit, nam ego hunc portabam dono tibi.

Docet fabula, aliorum improbitati multa ſæpe neceſſariò condonari.

Lupus & Aſinus. 177

CONSPECTVM in paſcuis aſinum deuoraturus lupus, exoratur ab illo, vt prius ſpinam extrahat defixam in calce pedis poſterioris. Sed dum lupus poſt aſi-



num abit, percuſſus, & vertigine oborta humi ſtratus, facultatem dedit aſino aufugiẽdi. Poſtea reuerſus ad ſe: Cocus, inquit, qui eſſem, cur medicinam faciebam?

Fabula oſtendit, vix ſine damno fieri, vt omiſſa arte quam quiſque nouit atque didicit, ad aliam iactitandam aggrediatur. Huius fortaſſe verſus Suidas retulit. vbi interpretatur κυνηκίαν lupũ, iſtos.
ὁ δ᾽ ἐκλυθεὶς πόνων τε καινῆς πάτης, τὸν κυνηκίαν χάσκοντα λακτίσας φεύγει.

Taurus & Hircus. 178

CVM vrgeret taurum inſequens leo, cõfugit ille ad hirci caulam, ſed hircus in foribus reſiſtere, neque taurum intro admittere. Tum taurus: Niſi vtroq; noſtrum robuſtior premeret me, facile poteram tibi

bi oſtendere, quanto præſtent tauri vires, viribus hircinis.

Docet fabula, interdum iniurias & contumeliam debiliorum ferri neceſſe eſſe, propter metum validiorum.

Agricola & Anguis. 179

REPERTVM anguem frigore penè mortuum agricola miſericordiæ motus, fouere ſinu, & ſubter alas recondere. Anguis recreatus calore vires recepit, ac cõfirmatus agricolæ pro merito ipſius ſummo letale vulnus inflixit.

Fabula demonſtrat eam mercedem, quam rependere pro beneficijs mali conſueuere.

Hirundo & Luſcinia. 180

HIRVNDO quodam tempore in ſylvas longè euolauit, vbi reperit in ſolis locis ſuauiſſimè cantantẽ luſciniam, in ſempiterno mœrore atq; luctu, ob Ityn filium ſuum, qui eſſet tam crudeliter puerili in ætate occiſus. Hanc compellans hirundo: Mea cariſſima, inquit, tu ſalue: quam ego hodie primum poſt Thracicam cõſuetudinem intueor oculis meis. Sed age, cõfer te ad homines, & nemora atque ſiluas deſere. Ibi enim mecum multo commodiùs habitare poteris, vbi non feræ beſtiæ, ſed homines auſcultent carmina tua.

Reſpon

Reſpondit huic luſcinia: Sine, mea ſoror, me hîc in ſolitudine vitam degere. Nam ædificia & hominum vſus memoriam veterum calamitatum mihi renouarent.

Fabula docet, præſtare ſorti & in ſolitudine viuere quietè, quàm in urbibus & frequentia hominum cum moleſtia.

Rex & ſubditus. 181

INNOCENTI ſubiecto poteſtati ſuę infeſtus rex, vt cũ cauſſa illum poſſet plectere, imperat aſinum vt literas doceat. Hic ſe obedientem iuſſo futurum ait, & omnem diligentiam operæ adhibiturum, ſed eſſe tempore longo opus ad eam rem perficiendam. Peteret quantum vellet, cõcedente rege, ille decenniũ poſtulat. Quo impetrato, amici hominem admonuere, fieri non poſſe, vt aſinum literis erudiret. At vos, inquit, bono animo eſtote: nã intra tam multos annos aut morietur animal, aut rex, aut ego. Quodcunque autem horum acciderit, ego onere ſuſcepto liberatus fuero.

Docet fabula, difficilibus in negotijs & periculoſis ſæpe eſſe ſalutarem procraſtinationem. Et ſcripſit Halicarnaſſeus hoc quoque præclarè libro VIII. χρήσιμον πρᾶγμα ἐν πολλοῖς καὶ ἥκιστα σφαλερὸν ἀναβολή. *Cùm contra aliquando mora noceat & proſit celeritas, nimirum paratis & inſtructis.*

Rex & Subditus. 182

SVBIECTVM quendam ditioni ſuæ opulentum & pecunioſum, cupiens expilare rex, ne vim feciſſe videretur, adduci hominem imperat, & à ſubornatis coram ſe poſtulari crimine perduellionis, quòd receptaret hoſtes ſuos, & cum illis cõſilia nefaria contra patriã iniret. Homini quieto, & cui nihil eſſet pace neq; vtilius neq; optatius, mira videri accuſatio & res illa. Tum vnus de accuſatoribus: Etiam nunc, inquit, domi iſtius hoſtes regios occuli exiſtimo. Ibi intelligens reus, qui eſſent hoſtes, quos abducere à ſe rex cuperet: Ita, inquit, eſt: cogor enim fateri verum. Sed mitte mecum, ô rex, quibus illi ſtatim tradantur. Rex ſatellites cũ illo miſit, quibus omnem ſuam pecuniam & numos cùm daret deferendos ad regem: Hi quidem ſunt hoſtes, inquit, etiam mei. Pene enim me perdiderant.

Docet fabula, prudentes parua libenter amittere, vt maiora retinere poſſint. Scitum eſt neq, ab hac doctrina abhorrens, quod de Sigiſmundo Imperatore narratur. Huic enim quodam tempore ſatis grandi pecunia allata, noctu magnam ille partem peruigilando conſumpſiſſe fertur, inter cogitationes de pecunia ea. Mittit igitur qui ſtatim accerſant proceres & amicos. Quibus ſolicitè alieno tempore ad- uent

uentantibus, & percontantibus quid accidiſſet: Inſidiæ mihi ſunt, inquit Sigiſmundus, ab hoſtibus infeſtis capiti meo. Ad quem ſermonem commotis vehementer omnibus, iubet ipſe arcam aperiri & aureos nummos oſtendens: Iſti, inquit, hoſtes ſunt qui me ſomnum non patiuntur capere: horum vos quæſo metu me liberate. & ita pecuniam auferendam, interq́ ſe diuidendam eis tradidit.

Iuuenis ſomniculoſus. 183

DORMIENTEM quendam in medios ſemper dies, obiurgabãt ſui, & quidnam faceret in lecto tamdiu, quærebant. Quidnam igitur cenſetis, ille inquit? Dicere iuſſus: Quoties, inquit, mane euigilo, adſunt ad lectulum meum puellę duę, quarum altera ad ſurgendum, & operis aliquid faciendum me hortatur, & oſtendit, quàm turpe ſit iuueni optimum diei tempus in lectulo cõterere, atq; interdum Græcum verſiculum accinit ſemiſomnii, cuius, vt opinor, ſentẽtia eſt: Auroram tertiam partem operis perficere. Ibi tum altera, nugari hanc, ait, & turbatricem eſſe quietis, qua nihil ſit neq; melius neq; dulcius, & qua vita hominũ carere nequeat. Satis celeriter fieri ea quæ diligẽter fiant. Bonum ſi adipiſcẽdum ſit, quouis tempore rectè ſurgi. Malum ſi impendeat, nimis citò ſurrexeris, inquit, quamuis ſerò reliquis

queris lectum. Hæc ego, inquit adoleſcẽs, inter conuicia mutua & altercationes grauiſſimas diſceptantes has audiẽs, cùm dubitem vtri aſſentiar, diutius ſoleo in lectulo commorari.

Proponit hæc fabula imaginem nobis induſtriæ atq; ſocordiæ, inter quas id eſt certamen, quod memorauit adoleſcens.

Crines alieni. 184

CALVVS quidam alienos ſibi crines ſumpſerat, Græci φενάκην vocant. Orto autem vehementiore vento, deturbati illi in viam, caluitium reliquere manifeſtum: quod irridentes qui præteribant, ille intuitus: Quid rideris, inquit, à me ablatum eſſe, quòd meum non erat?

Fabula docet, homines prudentes æquo animo ferre iniuſtum caſum rerum, quas in ſe fortuna contulerit.

Aſinus vulgi. 185

SENEX pater comitatus filio adoleſcentulo, aſinum agebat ad mercatũ, vendicurus illum, ſi poſſet. Hos conſpicati in agro mercenarij: O homines ſtultos, inquiunt, qui vacuum aſinum præ ſe agant potius, quam vt alter ipſorum vehatur, cùm hic ætate ſenecta, hic puerili ſit imbecil

becillior. Senex verũ illos dicere ſenties, filium ſuum in aſinum imponit, neq; multum viæ progreſſi, habent obuios notos ſibi homines, qui beneuolẽtia, vt videbatur, erga ſenem moti, repræhendere, quòd ipſe potius decurſa ætate & annis grauis defatigaretur, quàm ad laborẽ adoleſcentulum filium aſſuefaceret. Quos & ipſos rectè monere arbitratus, mutato conſilio, ipſe aſinum conſcendit, & adoleſcẽtulum filium ſuum præire iubet. Non multum itineris confecerant, cùm audit & hoc culpantes quoſdã, quòd tenellos pedes pueri exerceret itinere, ipſe ſuis callosis parceret. Ergo aſſidere poſt ſe filiũ iubet. Cùm autem incidiſſent in quoſdam viatores, ſalutato illi ſene, & de quibuſdã aliis locuti, mox, ipſius ne eſſet aſellus, an vteretur cõducto, interrogãt. Hic enim vero ſuum eſſe dicebat, & ſe agere ad mercatum. Bene ſcilicet, inquiunt illi, venditurus es exanimatum tanto pondere vtriúſq; veſtrum. Senex dicere & hos aliquid exiſtimãs, pedibus alligatis aſini ſuſpenſum de pertica ipſe & filius portare. Ibi verò hoc videntium maxima reprehenſio & vituperatio extitit: aliis vt delirum ridentibus ſenem, aliis vt captũ mente miſerãtibus. Tum ille tãdẽ perturbatus ſimul animo, ſimul indi-

gnatione percitus, vt prope fluuium fortè aſtiterat, aſinum in aquas præcipitem dedit. Ita dum ſermonibus hominum mouetur, aſinum miſer perdidit.

Docet fabula, non oportere ſapientes hoc agere. ſuas actiones vt vulgo probent, ſed in conſiliorum honeſtate illius beluæ multorum capitum notationes contemnere.

De Glorioſo in ignauia bellatore. 186

CVM ad vrbem quandam exercitus eſſet hoſtium, præmiſſis paucis cohortibus, legiones & equitatus ciuiũ aduerſus illos proficiſcebatur. Inter equites vnus præ cæteris feſtinabat, & reliquorũ ſegniciem incuſabat, atq; ante aciem, quaſi qui mox confligere cuperet, procurrebat: cùm obuiam habuit ſaucios quoſdam, qui de leui prælio commiſſo referebantur in vrbem. Tum ille multo quàm ante lentiore gradu vti. Mox audito etiã fremitu & tumultu pugnantium, prorſus ſubſiſtere. De quo cùm quidã, quid accidiſſet, & vbi illa gloria vetus eſſet, quæreret: Quid tu, inquit, me ſolum hoſtiũ vim ſuſtinere poſſe credebas?

Inſectatur fabula illos, quibus nihil eſt verbis fortius, neq; audacius, dũ periculũ abeſt: re autẽ ipſa & in diſcriminibus nihil ignauius neque meticuloſius.

Ruſtic

Ruſticus. 187

QVI in arborem aſcenderat ruſticus, de illa delapſus, grauiter femur dextrum læſit. Huic alius fortè præteriens ſe conſilium daturum dixit, quo vſus nunquam de arbore caderet. Vtinam, inquit ille, ante caſum meum dediſſes, ſed profuerit tamen etiam in poſterum, dic igitur. Tum ille alter: Caue inquit, ne velociùs terram repetas, vnde aſcendiſti, quàm in arborem ipſam euaſeris.

Fabula docet, ſæpe cunctationem & moram eſſe laudabilem, maximè ijs in rebus, in quibus feſtinatio damnoſa eſſe poſſet.

Gallus repertor vnionis. 188



Gallvs gallinaceus in ſterquilinio, dum ſimetum eruit, vnionẽ reperit. Quo conſpecto: Quid mihi inquit, tam pretioſa re inuenta opus eſt: Me tritici granum oblatum magis iuuaret. Nulli enim vſui mihi eſſe potes. Neque item ego te tollere, & honorem ac ornamentum tibi conciliare ſcio. Ita in neutro alter vtilitatem aliquam reperit.

Fabula dicitur ijs, quibus indignis ſæpe fortuna ſplendorem & bona offert, quæ & ipſi ſuſtinere nequeant, & ſæpe etiam infamare ſoleant.

Canis & Ouis. 189



Postvlabat in iudicio canis ouẽ debiti, quòd repeteret mutuũ modiorum trium frumenti: teſtimonium dicebant, lupus,

lupus, miluius, accipiter. Victa ouis & condemnata, ſola enim erat, & planum fecerat teſtibus, deberi ſibi frumentum canis, quamuis non deberet, coacta iudicatum ſoluere, ante tempus tonſuræ vendidiſſe lanas dicitur, quorum pretio frumentum mercaretur, & cani ſatisfaceret.

Fabula docet, à malitia potentiorum nullius innocentiam tutam eſſe.

Leo, Iuuenca, Capra, Ouis. 190

SOCIETATEM iunxerant leo, iuuenca, capra, ouis. Parta autem præda, in portiones æquales quatuor diuiſa, leo, prima, ait, mea erit. Debetur enim hæc præſtantiæ meæ. Tollam & ſecundam, quam meretur robur. Tertiam vendicat ſibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui ſuam eſſe voluerit, is ſciat ſe habiturum me inimicum. Quid facerent imbelles beſtiæ, aut quis refragari leoni, vel illum infeſtum habere ſibi vellet? Vniuerſam igitur ipſe prædam ſolus tenuit.

Hac fabula docemur, ijs qui potentum conſuetudini implicentur, & inſolentiam horum ferendam eſſe.

Fœta Canis. 191

CANIS grauida, cùm partus inſtare

tempus ſentiret, impetrauit ab altera cane, ſibi vt paulisper, dum onere catulorum liberaretur, concederet tuguriolo ſuo. Poſtea cùm catuli iam valentes facti eſſent, repetere habitationem illa ſuam, quòd eius vſu ſatis longo tempore ſe caruiſſe diceret: Et niſi bona gratia ſuum obtineret, omnia eſſe experturam ſe aiebat, vt recuperaret domicilium ſuum. Cui hæc: Quíd minare inquit, quin potius hinc nos eiicis? vt potiatur tuguriolo, qui viribus præſtiterit.

Fabula ſignificat, ſæpe circumueniri blanditijs homines, vt contra ſe arment & augeant inimicos ſuos. Atque hoc etiam monet, fere eſſe in cauſſa meliore eum, cuius poteſtas plus poſſit.

Aper & Aſinus. 192

OBVIAM factus apro aſinus, crebros cachinnos erudens, etiam familiariter illum compellare non dubitauit: Salue mi fratercule, inquit, ſalue. Quamdiu eſt, quod te his in locis non aſpicimus? Vbi nam gentium moratus? & percontari deinde, nunquid afferret noui? Quid narraret? Poſtremò etiam ſuam operam illi deferre, & rogare nunquid vellet? Aper cùm irritaretur ineptiis ſtolidi aſelli, iratus caput quaſſans: Non tamen ego, inquit fatui



tui iſtius ſanguine contaminabo fauces meas,& præteriit,relinquens ignauum & vecors animal.

Fabula duo monet, alterum, vt potentiores veniam interdum dare ſtultitiæ diſcant: alterum, ne contra præſtantes ſe ſtolide humiliores inferant.

Muliebris luctus. 193

MVLIER,quę paulo ante virum ſuum extulerat,quotidie ad ſepulcrum illius vẽtitare, & plorare conſueuerat. Hanc conſpicatus arator, captus amore illius, aſſedit & ipſe lacrymans ad ſepulcrum, ac interrogatus cur fleret? Quidni fleam, inquit, cùm amiſerim formoſiſſimam vxorem, quam nuper ſæuiſſima mors ademit mihi? Neque ego dolorem, quem illa mihi reliquit, aliter quàm plorando leuare

 poſſum.

poſſum. Idem, cum gemitu & eiulatu inquit illa, & mihi vſu venit miſeræ. Sed ſi fortuna eadem, inquit arator, vtriuſque eſt, cur non potius quàm lacrymis conficiamur, corpora noſtra cõiungimus? Nam ego te non minus caram habiturus ſum, quàm vir prior habuit, & te eandem beneuolentiam præſtituram mihi confido, quàm mortua vxor mea quondam mihi præſtitit. His verbis, ſibi vt nuberet, mulieri perſuaſit. Atq; re confecta reuertens in aruum, vbi ad aratrum boues reliquerat, nuſquam illos reperit: Nam fur interea, qui inueniſſet ſine cuſtode, illos abegerat. Plorare igitur ille & lamentari. Tum mulier accurrens, conſolari eum, iubereq; indubitanter ſibi non minorem à ſe beneuolentiam policeri, quàm in priore vxore eſſet expertus, & blandius etiam complecti. Cui ille: Priores quidem lacrymas reſtinguere facilè fuit, ſed hæ, nam de animo profluunt, tam citò non poterunt areſcere.

Docet fabula, & luctum muliebrem eſſe conſolabilem, & fraudulentos ſæpe in fraudem incidere, & dolorem non fictum difficulter eripi.


Simiæ. 194

RIFERREBATVR quodam in conuentu

uentu ſimiarum,de condenda vrbe,quam ſimiarum genus teneret atque incoleret, placebatq; plæriſq; etiam hac in parte hominum imitari induſtriam. Sed hoc ætate aliis prouectior ſimia magnopere diſſuadebat,contraq; innumera commoda, quæ audierat à multitudine commemorari, vnum aiebat malum ineſſe in re, quod opponi poſſet,quia intra mœnia,quaſi cauea incluſæ, omnibus validioribus beſtiis præda futuræ eſſent.

Monet fabula, non ſolùm videndum quid in aliqua re boni, ſed etiam quid mali inſit. Item hoc: Perperam conſulta & deliberata, finem habere infelicitatem.

Duo Mures. 195



Olim mus ruri genitus & educatus, vrbis alterum murem incolam & habitatorem ad ſe inuitauit, eumq́; deductum in nequaquam ſplendidum cauum ſuum, quamuis eſſet ætate & cura ad rem attentior, accipit tamen liberaliter, neq; in ſua paupertate quæſitis parcit, ſed omnia promit benignè & libenter. Apponit hoſpiti igitur cicer, quod pridem ad feſtos dies celebrandos & lautiores epulas ſepoſuerat. Subſternit illi auenam, vuarumq́; plæroſque, ſed & alios quoſdam acinos aridos profert. Tum etiam fruſtula ſuccidiæ. Cupiebat enim omni ratione opiparam cœnam dare hoſpiti, & varietate vincere ſingulorum faſtidium. Atque hic ſuperbè & contemptim arrodere dapes, cùm paterfamilias ipſe in recenti palea accumbens, farre & lolio paſceretur, & cibos vnctiores magiſq́; delicatos relinqueret hoſpiti. Qui tamē, neq; ſtudium neq; voluntatem illius boni conſulens: Quæ, inquit, ſtulte demētia eſt, vt hæc ſola loca ſiluarum atq; montium incolere in omniū rerum penuria libeat? An non venit in mentem tibi, mortalem vitam omnibus animantibus naturam eſſe largitam? In qua, dum durat, ſi tibi bene facias, tamē eſſe hoc haud longinquum. Si verò occaſionem iſtam amiſeris,

ſeris, nunquam in morte poſtea eandem oblatum iri. Quod ſi te fortè miſeriæ & famis, atq; huiuſce cultus & victus aſperi pœnitet, age in vrbem te mecum & ad homines confer, vbi in ſumma copia degere, & maximis voluptatibus perfrui poſſis. Mouere iſta animũ ruſtici muris, & mox: Imus igitur, inquit. Profecti igitur, cùm ſtrenuè reptaſſent, venere tandẽ ad vrbem.

Iamq́, fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat, fuſiq́, vrbis per mœnia cuncti
Conticuere, ſopor feſſos complectitur artus:

Cùm domum ſubeunt hominis diuitis, & omnium rerum copia abundantis, in qua manebat vrbanus muſculus. Atq; ibi inductus ruſticus in triclinium, collocatur ſuper auratos eburatosq; lectulos, qui purpuratis & conchiliatis veſtibus eſſent inſtrati. Ipſe de reliquiis, quæ erant variæ & multiplices, agitati pridie illius diei conuiuij, afferre ſedulò belliſſima quæque, & miniſtrare ſtudiosè hoſpiti, vtq; hilare veſcatur iis, quę maximè placeant, hortatur. Ruſticus inter hæc beatum ſe putare, & in ſumma lætitia lautiſſimis cibis ſeſe replet, eamq; vitam expetendam, ſuam miſeram prædicat: cùm ſubitò fores ſtrepũt, & cardines ſonãt, hominumq; & canũ voces exaudiuntur. Ibi conuiuæ muſculi diſ-

currere & trepidare, imprimis autem ruſticus, cui, vt externo, omnia eſſent inſueta & ignota. Tandem reddito ſilentio, & turba ſedata, tremens toto corpore & ſubſiliente corde ruſticus: Nō mihi placet hæc vita, & vale, & inquit, amice. Ego intra ſiluas & montes ad tenuem victum & eruilias meas reuertor. Malo enim in ſecuritate pauper, quàm in opulentia maxima, ſolicitus ſemper & anxius viuere.

Docet fabula, optimum eſſe, vt quiſque ſua ſorte contentus viuat, neq; ſplendore fortunæ ad curas & anxietates occultas inuitari ſe patiatur. Hanc Horatius fabulam copioſè verſibus deſcripſit, lib. II. Satyra VI. Quem locum nos quaſi reddere ſtuduimus expoſitione noſtra. Extant & verſus duo Babriæ apud Suidam de clauſula huius fabulæ: ἐγὼ τὸ λιτῆς οὐκ ἀφέξομαι βώλου, ὑφ' ἥνγε κρῖμνα μὴ φοβούμενος τρώγω. *Et initium expoſitum verſibus heroicis apud eundem his:*

θέντο μέτ' ἀλλήλοισιν ἑταιρείην μύες δοιὼ,
οἳ καθ' ὁμὰ ζώοντες, ὁ μὲν κατὰ νειὸν ἐρήμην
ἐτρέφεθ' ὃς δὲ δόμοισιν ἐν ἀφνειῶν τρέφετ'
ἀνδρῶν.

Aquila & Cornix. 196

FEREBAT vngulis teſtudinem aquila, quam roſtro ſæpe fruſtra tundebat, perfringere enim nō poterat. Huic occurrens cornix: Conſilio, inquit, opus eſt hera: non enim



enim vires omnia conficere poſſunt. Puto enim & te audiſſe quod fertur:

Conſilium eſt melius quàm vis, cùm ligna ſecantur.
Conſilium incolumem ſaua inter flamina nauem
Ventorum, motis pelagiq́ gubernat in vndis.
Conſilio celeres ſuperantur in æquore currus.

Conſilio igitur & ratione tu quoq; potiêre eſca intra teſtã abdita, non vi. Quid igitur ſuades vt faciam? inquit aquila. In altiſſimas cœli plagas ſubuolabis, inquit cornix, atq; inde demittes in hanc rupem teſtudinem: ita afflicta ad ſaxum rumpetur teſta, & caro nudabitur. Paruit aquila, & ita vt cenſuerat cornix fecit: ac teſtudo quidem comminuta, ſed cibo aquila fraudata fuit. Nam priuſquam illa deuolare poſſet, cornix deuorauerat omnia.

Docet fabula, calliditate conſiliorum munitiſſima quoq; expugnari.

Leo Senex. 197



LEO confectus ſenio, vix debilia membra trahens, amiſſis viribus, ab animantibus reliquis non modò contemptus, ſed vltro etiam appetitus fuit, vſque adeò, vt aſellus quoque inertiſſima beſtia, calce ferire miſerum non reformidaret. Tum fortunam ille deplorare ſuam, & meminiſſe, quanto olim robuſtiſſimis quoque beluis terrori fuiſſet, qui nunc ea contumelia, cōſumpto robore, afficeretur.

Fabula potentes & honores atq; magiſtratus conſecutos hortatur, vt ita ſe in illis gerendis teneant, ne cùm vel fortuna mutata, vel hi depoſiti fuerint, alijs ipſi ludibrio ſint.

Aſinus

Aſinus & Catulus. 198



VIDEBAT aſinus amanter complectipatremfamilias catulum, qui inſiluerat in gremium illius. Idem & ipſe igitur ſperans, ſi pariter aſſultaret domino, euenturum ſibi, in illũ ſe infert, &, vt rebatur, abblanditur hero. Sed hic ineptias & peruerſum ſtudium repulit, & fuſtibus correxit ſtultitiam illius.

Docet fabula, ne affectemus ea, quæ natura negauit, neue obtrudamus inuitis officia noſtra. Narrauit fabulam iſtam verboſe Galenus, in diſputatione ſua qua refellit Iulianum, ita quemadmodum ſubiecimus:
Ἰουλιανὸς δὲ ὁμοιότατός ἐστι τῷ κατὰ τὸν αἰσώπου λόγον ὄνῳ, ὃς θεασάμενος ἐν τῶν μελιταίων κυνίδιον ἀριστοσίτῳ δεσπότῃ συγκατακείμενον, ἀλλόμενόν τε περὶ αὐτὸν καὶ σκιρτῶν,

καὶ

καὶ σεῖον τὴν οὐρὰν, καί τι καὶ φώνημα τερπνὸν ὑποφθεγγόμενον, ἐφ᾽ οἷς ἥδοντό τε καὶ κατεφί λουν αὐτὸ πάντες οἱ σύνδειπνοι, μηδὲν μελλή σας ἀλλ᾽ εὐθὺς ἀναπηδήσας ἐπὶ τὴν κλίνην ὀγ κᾶται, καὶ κατ᾽ αὐτῶν ἥλατο σείων τὴν οὐράν.

Hæc ita ſumus interpretati: Iulianus ſimi limus eſt fabulæ Æſopicæ Aſino, qui cōſpi catus vnam ex Melitæis catellis accūbentē lautè epulanti hero, & circum illum ſa lientem, geſtuſq; edentē, & caudam quaſſantem, & ſoni quoque aliquid iucūdi pro ferentem, ob quæ delectabantur, & eum exoſculabantur conuiuę cuncti: Nihil mo ratus ſtatim proſiliit ad lectulum rudénſque in conuiuas irruit, quaſſans caudam.

Leo & Muſculus. 199

LASCIVE diſcurrentes circum leonem dormientem muſculi, vnum ita agitauêre incurſione ſua, vt in dorſum beſtiæ deferretur. Qui à leone captus, deprecari vitam ſuam, & excuſare imprudentiam facti. Leo, & ſi erat commotus, ignouit tamen muſculo, & tam contemptum animalculum inuiolatum dimiſit. Paulo poſt incautiùs prædam veſtigans, in laqueos incidit, quibus aſtrictus, rugitum maximum edidit, ad quem procurrens muſculus,



lus, cernénsque in vinculis eum, qui ſibi dudum vitam petenti conceſſiſſet, gratiam pro beneficio relaturus, accedit ad laqueos, & illis corroſis leonem omni periculo liberat.

Docet fabula, & nullius exiguitatem atque impotentiam ſpernendam, & gratiam beneficijs referendam eſſe.

Hirundo & Auiculæ. 200

CVM linum ſereretur, monuit reliquas auiculas hirundo, ſecum vt eruerent ſemina, de quibus relictis exoritura eſſet herba nocentiſſima auium generi. Sed hoc illis cùm non probaret, rurſum enatam primum & teneram herbam vt euellerent hortatur. Cùm verò neque hoc facere



cere vellent, ipſa de ſiluis & ſolitudinibus, ad hominum conſuetudinē, & in oppida ſe contulit. Paulo pòſt maturum linū carpitur, & retia nectuntur, & capiuntur auiculæ, ſerò deplorantes neglectionem ſalutaris conſilij.

Fabula oſtendit, verum eſſe quod dici ſolet: Qui conſilium bonum reſpuat, eum accerſere perniciem ſibi.

De Ranis & Ioue. 201

PETIISSE quodam tempore à Ioue ranæ dicuntur, ſibi vt regem præficeret. Exoratus Iuppiter trabem ingentem in lacū deiecit. Quo ſonitu turbatæ ranæ, refugere primùm, mox tamen ſpeculari, quid accidiſſet. Cúmque trabem aſpicerent natantem



tantem in aquis, ſubito in illam inuaſere, cum magno contemptu, & per riſum ſalutant appellantes regio nomine. Tum Iuppiter immiſit illis anguem aquaticum, Hydrum vocant: A quo cùm capti manderentur, ſerò ſtulti voti dementes ranunculos pœnituit.

Fabula monet, ne, cui fortuna libertatis vſum cõceſſit, is ſeruitutis iugum induat.

Miluius & Columbæ. 202

MILVII metu accipitrem aſciſcunt columbæ à quo defenderentur. Accipiter admiſſus, quaſi contumaces caſtigãs, plus ſtragis vno die in columbari edidit, quàm longo tempore euolantibus dare miluius potuiſſet.

Indicat



indicat fabula, malorum & crudelium patrocinia eſſe cruenta.

Fur & Canis. 203.



FVR allatranti cani offerebat panem. Cui

Cui canis: At nunc ego, inquit, ſatiatus; cùm tu domũ noſtram compilaueris, me ſilente, vnde mihi mox cibum petam, aut quomodo ſedabitur fames mea?

Fabula docet, cauendas fraudes fallacium, neque facta illorum, ſed conſilia ſpectanda eſſe. Referri & ad illud poteſt, quod à Iuriſconſultis memoratur: Tolle voluntatem, nec erit diſcrimen in actis.

Quæ ſententia in conuiuio Platonis elegantiſsime memoratur. Expoſita & à Gellio, libro XVII. *capite* XX.

Scrofa & Lupus. 204



ACCEDENS ad ſcrofam parturientem lupus, obſtetricis ſe munere functuram policetur. Cui ſcrofa, metuens ſuculis ſuis, ſi ederentur lupo præſente: Imo

tu obſtetricem,inquit,adducito.Nam pudore prohibeor, quo minus in tali re virili miniſterio vtar. Atque ita ablegato lupo, eniſa numeroſum fœtum,in tuto hunc collocat, & paulo poſt reuerſum lupum deridet.

Fallacium iniurias ſæpe fallacijs repelli, docetur.

Mons parturiens. 205



MONS tumens & ingemiſcens, quaſi partus inſtaret, maximos metus & terrores incuſſerat humano generi, cùm ſubitò mus prodiit. Itaque anxietas hominũ in riſus euaſit.

Indicat fabula, expectationem ſingularem ad maximas ſæpe nugas recidere. De qua re & prouerbio

dici

dici Horatianus verſus ſolet:

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Lupus & Hœdus. 206

EXIENS in paſcua capra imperat hœdo, ne cui caulæ fores ante veſperam pandat. Vix fuerat profecta, cùm aduenit lupus, & in quantam exilitatem poterat deducit vocem, vt capræ ſimilis videatur, & aperiri ſibi poſtulat. Cui hœdus fraude intellecta: Imberbes, inquit, animantes admitti mater vetuit.

Docet fabula, ſalutem conſeruari iuuentutis, obſequio & obedientia parentum & magiſtrorum.

De Ceruo & Oue. 207



PETEBAT ab oue debitum frumentum

tum ceruus, idque teſte lupo. Ouis territa, fatebatur à ſe deberi illi frumentum, & præfiniri diem paſſa eſt, qua perſolueret. Ea cùm aduenisſet, inſtanti ceruo, vt frumentum curaret ſibi afferendũ: Quære, inquit ouis, mi cerue, in granariis diuitũ, nam mihi nullũ eſt conditum domi meæ. Promiſiſtin', inquit ceruus, te hoc die redditurum mihi frumentum, confeſſa deberi? Ita factum, inquit ouis, quia tum pelli metuebam meæ.

Fabula docet, quod vi geſtum contractumq́; ſit, ratum haberi non oportere.

Muſca & Caluus. 208

PVNGEBAT ſæpe caluum muſca, nota eſt enim huius improbitas, itaque ille palmam caluæ infligere, vt illam opprimeret, quæ ſubinde fuga elapſa deridere ſenem. Cui ille: Rideas, inquit, licet: me tamen iſta pulſatio non admodum lædit, tibi autem inflicta vna plaga contritæ interitum afferet.

Contra leuitatem narratur & petulantiam impotentium & humilium.

Vulpes & Ciconia. 209

VVLPES ciconiam cùm inuitaſſet, apponit illi iuſculum in catillo: hanc ipſa



ipſa liguriẽs, hortatur per iocũ ciconiam, ipſa quoque vt veſcatur, & boni conſulat, quod appoſitum ſit, præſentiq; copia fruatur. Quid faceret ciconia, quæ ſe fraudari cibo, deriderią; cerneret? Nihil igitur, inquit, requiro, & curata omnia ſunt lautè & abundè. Sed vt gratia tibi referatur, venies ad me quoque cœnatum perendie. Quid opus eſt, inquit ludificans vulpecula? Nolo te mea cauſſa ſumptus facere. Cur, inquit illa, tam grauate? promitte verò. Fiat, inquit vulpes, etſi aliò vocata eſt opera. Abit ciconia, & vaſculum ſibi parat vitreum, oblongum, & collo anguſtiore, in quod opiparas & delicatiſſimas eſcas incidit, & vulpi, quæ ad cœnæ tempus affuerat, proponit. Tum ipſa glutire belliſſi-

ceat, tuos facile, mi crabuncule, impetus pertulero.

Contra vanitatem humilium narratur fabula, qui cùm nocere non poſsint, ab interminationibus tamen nequeant abſtinere.

Muſca & Formica. 211

PRAEFERENS ſe formicæ muſca, illam abiicere verbis,& ſe extollere. Vide enim,inquit,quanta ſit humilitas tua:Caua loca terrarum incolis,& perpetuò humi reptas, magno cum labore tenuem victum quærens. At me alæ in ſublime ferunt, & accipiunt menſæ regiæ, auro & argento ego eadem bibo, delicatiſſimis cibis veſcor,purpurę incubo.Quin etiam molliſſimas ſæpe genas formoſarum deoſculor.Faſtidioſæ & inflatæ opinione felicitatis reſpõdit formica: Etiã hoc adde, improbitatem tuam inuiſam & odioſam eſſe omnibus,contra te flabella & venena parari. Itémque hoc, modica anni parte durare hanc beatam vitam tuam,dum ſol feruet, hieme & frigoribus ſtatim occidere. At ego æſtate medioeri labore exerceor, vt hieme quietam & ſecuram vitam poſſim degere.

Fabula hoc ait: Qui qua vult dicit, ea quæ non vult audit. Et hoc: Non eſſe in paruis commodis,

ſed ſine magnis incommodis vitam beatam.

Lupus & Vulpes. 212

SVMPSERANT arbitrum de lite quadam lupus & vulpes, ſimium. Coram quo, cùm grauiſſimè alter alterum accuſaret, & mutua ſibi conuicia atque probra ingererent, neque criminandi facerent finem, tum iudex, ſilentio imperato, Te, inquit, ô lupe, ſcio nullam rapaciorem, & te, ô vulpes, non aliam magis fraudulentam eſſe beſtiam. Inter vos igitur de cætero amicitia & pax, ſed reliquorum animantum, tam humani, quàm beluini generis, maximum erga vos odium eſto. Hæc mea ſententia eſt.

Docet fabula, non moueri nos diſſenſione & rixis improborum oportere, ſed omni tempore illos, & arbitrari arctiſſimo vinculo prauitatis coniunctos eſſe, & auerſari atque odiſſe.

Muſtela & Paterſamilias. 213

CAPTA muſtela petebat amitti ſe, quæ ipſa familiæ vtilis eſſe, & mures præhendere ſoleret. Ita eſt vt dicis, inquit illam qui ceperat: ſed hæc opera non mihi datur, neque meis ſeruit: ſed primùm tui ventris gratia muribus inſidiaris, deinde infeſta illis es, qui arrodendo reliquias vi-

ctus mei, tibi diminuãt paſtum. Quæ igitur non debetur tibi venia, eam ne petas.

Dicitur fabula contra illiberalitatem eorum, qui ſolent, vt Comicus ait, cùm nihil promereant, poſtulare id gratia apponi ſibi.

Rana crepans. 214



CONSPICATA bouem opimum rana, etiam ſe poſſe exæquare magnitudinem illam, ſi contractam & rugoſam pellem explicuiſſet, ſperabat. Cùm igitur ſe inflaret, rogat ſuos ranunculos, quàm longè à bouis mole abeſſe videatur? Per, inquiunt illi, noſtra matercula, permultum. Tum inflare ſe illa vehementiùs, & quæ videatur? rogare iterum. Ibi vnus, vt Horatius loquentem fecit, de pullis: Non

ſi te

ſi te ruperis, inquit, par eris.

Stultitia reprehenditur eorum, qui aſpirant ad non ſperandam excellentiam.

Veſpertilio transfuga. 215



BELLVM gerebant beſtiæ cum volucribus, cumq́; videretur victoria ad has ſeſe inclinare, veſpertilio, quæ euentum expectârat, neque alterutri parti adhuc ſeſe applicauerat, cum beſtiis coniungitur. Mox fortuna mutata, vt hæc eſt belli varia, vincẽtibus virtute aquilæ volucribus, ad aues illa reuolat. A quibus, vt transfuga, nudata pennis, ab auium conuictu excluſa, & ad nocturnos volatus damnata, pœnas dedit perfidiæ.

Contra

Contra mendaces: & ſubdolos ac perfidos, hæc fabula compoſita eſt.

Accipiter & Luſcinia. 216

INVOLARAT in arborem accipiter, auras vt captaret. Ibi fortè reperto nido luſciniæ, cùm præhenderet iam pullos, ſuperuenit mater, & vt ſuis parcat illum obteſtatur, per omnia diuina & humana, cũ fletu miſerabili. Quid fletu opus eſt, inquit accipiter, aut precibus? precio me citiùs moueris. Quodnam eſſet, rogantem, ipſa quòd perſoluere poſſet: carmen accinere iubet vt delectetur. Hoc mœſtiſſima mater ſummo ſtudio, de animo quidem triſtiſſimo, ſed ab intimis præcordiis promit. Cúmque ceſſaſſet: Non mihi placuit, inquit accipiter, cantus tuus, neque bellum carmen fuit, & arreptos pullos in conſpectu matris deuorauit. Mox ab aucupe, quem in illa inſolentia & ſuperbia inſidiantem ſibi non animaduerterat, captus, non mediocre gaudium prębuit miſeræ auiculæ, quæ planè diuinitus vindicari iniuriam ſuam cerneret.

Fabula docet, ſæuitiam potentum, inferiorum dolores ludibrio habere, neque cogitare,

Vltorem poſt caput eſſe Deum.

Lupus



COPIOSAM prædã lupus in antrum congeſſerat:accurrit vulpes,& blandè illũ compellat,& gratulatur aduentu proſpero illius. Diu enim,inquit,à nobis abſuiſti , & ſolicitos habuiſti mora reuerſionis tuæ. Lupus vulpeculam aſſentatione ſua aliquid de prȩda ſibi quærere intelligens, Bene,inquit, habet:tibi tamen partem afferre non potui. Falſa ſpe ſua vulpes , & ad iram & vindictæ cupiditatem conuerſa,accedit ad paſtorē,&,heus tu,quid mihi dare vis, inquit , ſi nunc tradidero in manum tuam ſempiternum hoſtem gregis tui? Omnia quæ vellet promittente paſtore, paucos caſeolos paciſcitur, & illum ad

ſpecum

ſpecum lupi armatum deducit, qui facile hunc interemit. Poſtea vulpem veniẽtem petitum mercedem proditionis, accerſitis ad tempus deſtinatũ venatoribus obiicit. Itaque illa ſibi interitũ imminere videns: Hoc, inquit, diuinum certè eſt iudicium, vt ego, quæ alterum fraude perdidi, fraude circumuenta interеam.

Fabula narratur contra inuidiam, & docet, malos male perire.

Luporum & Ouium pax. 218.

Hæc antea quoque expoſita fabula, nunc paulò aliter commemorabitur.

CVM lupis bellum gerebant oues: atque illis, adiutæ auxilio canum, ſemper pares, ſæpe etiam ſuperiores erant. Lupi, victoria deſperata, ad oues legatos mittunt, qui pacem petant. Conditiones ferebantur, canes lupis vt obſides darentur ab ouibus, ipſæ catulos luporum acciperent. Cùm de omnibus conueniſſet, pax iuriſiurãdi religione firmatur. Paulo poſt ſecuris ouibus, cùm forte vlularent catuli luporum, illi in miſeras & deſtitutas omni ope, quaſi violatores pacis, qui iniuria obſides acceptos affeciſſent, irruunt, & ita vt prius impune illas rapiunt atque vorant.

*Monet fabula, vt eos, à quibus defendi nos ſcia-
mus, diligenter colere velimus.*

Securis & Ligna. 219

LIOTECA NAZ ROMA VITTORIO.EMANUE



Factae ſecuri petiit à ſilua manubrium lignator, ſilua ad eum vſum dedit ſtipitem oleaſtri. Tum inſtructa ad cædendum ſecuri, ſiluam lignator populari, & arbores truncare. Ibi fertur fraxino dixiſſe quercus: Feramus æquo animo, ſoror, malũ, quod ipſæ nobis accerſiuimus.

Fabula monet, ne armemus contra nos hoſtes noſtros.

Canis & Lupus. 220

Admirans lupus nitorem corpulenti canis: Quanta, inquit, frater felicitas



citas eſt vitæ tuæ ? Licet igitur, inquit canis, mecum in vrbem venias, & eadem fruare felicitate. Dum vnà pergunt, animaduertit lupus in canis collo attritos pilos. Tum : Iugum ne etiam ſuſtinendum tibi eſt ? inquit. Ceruix enim hoc glabra indicat, vt videtur. Dic, inquit canis, alligor, vt noctu ſim acrior & vigilantior, atque hæc veſtigia ſunt collaris, quod circundari ſolet ceruici. Hoc audito lupus: Vale, inquit amice, iam nihil moror ſeruilem felicitatem tuam.

Oſtendit fabula, nihil eſſe libertate melius neque, præſtantius.

Simius & Vulpes. 221

MEA vulpecula, inquit ſimius, da mihi

de cauda tua tam grandi & oneroſa tibi portiunculam, qua tegam patentes nates. Quam grandi? inquit vulpes. Quòd ſi illam eſſet neceſſe plauſtro poſt me ſubuehi, tu tamen nunquam vno huius pilo veſtitior fieres.

Fabula hæc malignitatem locupletum notat.

Aſini pellis. 222

AVFER me mors, inquit afflictus oneribus & verberibus aſinus, & eripe miſeriis. Exaudiit inuocantem illa ſe, & præſto fuit. Moritur aſinus, at pellis ipſius in tympana intenditur & exanimis etiã tunditur.

Dicitur fabula de pertinacia & aſsiduitate infortunij.

Ceruus & Boues. 223

EXAGITATVS à canibus ad boues confugit ceruus, orans vt ſe tegere velint, & apud ſe deliteſcere patiantur. Non repudiant preces illius boues, ſed monent, vt de tutioribus latebris ſibi proſpicere velit, aiuntq; vereri ſe, ne in ſtabulo depræhendatur. Omne ſe periculum ſubiturum affirmantem, recipiunt, & fœno atq; ſtramine obruunt. Aduenit paulò poſt villicus, & negligẽter ad boues reſpicit, atq; abit.



BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMAN

abit. Lętus ceruus ſe omne diſcrimen euitaſſe ſperat, ſed cognoſcit à bobus, mox affuturum ipſum villæ & agrorum dominum, cuius diligentiam & inſpectionem ſi euaſerit, tum ſibi certo ſalutem poſſe polliceri. Venit igitur paterfamilias, & ob malè curatos boues indignatur, & quoquidq; conditum ac repoſitum loco ſit, cognoſcit & aſpicit, ad plæraque etiam manus ipſe admouet. Inter hanc curam & attentionem, apparent cornua cerui, & ipſe latens intra ſtramenta, & à gaudente patrefamilias cæditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiant, ſi ſeruentur, ſingulari hoc fortunæ beneficio fieri, itaq; malum haud ferè euadere. Decet etiã, diligentem curam & conſiderationem rerum ſuarum vnicuiq; eſſe fructuoſam, & niſi aſpectu heri domus illuſtretur, omnia eſſe

in caligine & tenebris, ſecundum hanc Aeſchyli ſententiam: Eſt domus oculus, aſſidua heri in domo præſentia. Et præclarè Plinius hoc ſcripſit: Ita eſt profectò, opera non impenſa cu'tura conſtat. Et ideo maiores; fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt, eademq; ſententia ex Ariſtotele citatur.

Leo & Simius. 224

INGRESSVS in regnum leo, quo maiore eſſet in gratia apud beſtias, ſtatuit corporibus illarum parcere. In hoc propoſito cùm aliquantiſper perſeueraſſet, mox illius pœnitere eum cœpit, & tamen non apertè corripere auſus beſtias, ſingilatim quaſdam ſeducens, fœteret ne os ſuum, ab illis quærit. Quarum alias ſimpliciter reſpondentes, ſanè anhelitum eſſe grauem, vt cõtumelioſas erga ſe, alias benè olere affirmantes, vt mendaces & irridentes ſe, alias etiam prorſus tacentes, vt ſuperbas & contemptrices, diſcerpere & vorare omnes. Tandem ſimius interrogatus: Cinamomum & vnguentum nardinum olere ait, & thus ac flores vernos: & longa oratione leoni ita mirificè aſſentatur, vt pudore tum prohiberetur, quo minus ſimium dilaniaret, & tamen ſtatuit parcere huic nolle. Simulat igitur morbum, tum medici accerſiti venam tentant, & ſigna morbi veſtigant, ſed cùm nihil periculi

periculi videretur, bono eſſe regem animo iubent: non enim eſſe morbum qui medicamenta requirat, ſed languorem, qui facilè victu exquiſito curari poſſit: Diceret igitur, quo cibo ſe potiſſimum delectatum iri conſideret. Simiorum, inquit leo, carnes nunquam guſtaui, & comeſſe velim nunc, ſi ſalubres ſint. Attrahitur ergo ſtatim miſellus ſimiolus, & obiicitur famelico leoni, à quo diſcerpitur & deuoratur.

Fabula docet, contra prauitatem & crudelitatem potentiorum, nullam interdum neque innocentiam neque prudentiam valere.

Pauo. 225

CONQVESTVM grauiter apud Iunonem, auem illius propriam, pauonem accepimus, quòd in tãta formoſitate & ſplendore pennarũ vocis ſuauitate deficeretur, cùm luſcinia tam nihili volucris illa abundaret. Cui Iuno: Rectè, inquit: non enim omnia in vnum bona conferri oportuit.

Fabula nos admonet ſententia Homerica: Non datur vt rebus præcellat in omnibus vnus.

Panthera. 226

IN foſſam delapſa panthera, accurrentibus ruſticis ſupplicat, ne ſe innocentem, & quæ nulli ipſorum vnquam damnum de-

derit, affligant. Hoc alij fieri oportere cenſent, alij inſuper miſerati illam, cibum offerunt. Neque defuere tamen, qui fuſtibus & ſaxis malè illam multarent, & pro mortua ſemianimem relinquerēt. Noctu panthera cùm vires ſuas recollegiſſet, ſaltu è foſſa euaſit, & in ſiluas ſe recepit. Poſtea in illius loci ruſticos hoſtiliter graſſabatur, ac metuentibus iratæ impetum vniuerſis: Ego ſcio & noui, inquit, quibus meus caſus dolori fuerit, qui mihi cibos proiecerint, ſed neq; illi à me ignorantur, à quibus pulſata & icta vulnerataq; ſum.

Fabula monet, vt miſeris & in mala præcipitatis parcere velimus, ne fortuna inſtaurata, accepta damna & contumelias vlciſcantur.

Verueces & Lanius. 227

VERVECES, cùm lanius accederet ad ipſos, facilè paſſi ſunt, etiam æquo animo tulere, vnum atq; alterum arripi de numero ſuo, & mactari. Quiſque enim alterius malum negligebat, & ſe præteritum eſſe gaudebat. Tandem cæſis vniuerſis, relictus vnus, cùm & ipſe inuaderetur: O ſtultos nos, inquit, & infelices, qui ſingilatim perpeti vim & cædem, quàm communiter propulſare maluimus?

Fabula oſtendit, neglectionem communis ſalutis

etiam

etiam priuatam & ſingulorum ſalutem labefactare.

Auceps lippus. 228

DVM arundines conſtruit, & ſpargit eſcam auceps lippientibus & ſtillantibus oculis, auiculæ, ita illum erga ſe animum gerere clementem & manſuetum, ratæ, aduolant propius, & aliquæ viſco inhærentes capiuntur. Quas videntes reliquæ aucupis morſu præfocari,& in ſportellam coniici, auolantes: Heu quàm fallaces lacrymæ ſunt iſtæ, inquiunt, quæ mortem attulere ſociis noſtris.

Fabula monet, vt caueamus, ne compoſita ſpecie & ficta bonitate decipiamur.

Simiorum regnum. 229

VANVS & verax,vnà iter facientes,in ſimiorum regnum venere. Capti ſtatim adducuntur ad regem:ille vt in ſolio conſederat, aſtantibus vndique purpuratis ſimiolis: Quis ego tibi, conuerſus ad vanum inquit,videor? Cui ille: Rex videre mihi eſſe,inquit.Qui verò hi,à quibus ſtipatur ſolium meum? Proceres,inquit ille, regni tui. Delectatus ſimius aſſentatione hominis, benè eum accipi & præmiis affici imperat. Tum & alterum interrogat, quem ſe,& quos eos,qui circumſtent,eſſe

putet. Ille ſperans ob veritatem maiora etiam præmia, quàm mendacem eſſe conſecutum videbat: Simius profectò & tu, inquit, es, & iſti tui populares ſunt omnes. Offenſus hac libertate ille regius ſimius, vnguibus & dentibus ſuorum conſcindi hominem & abigi iubet.

Imago proponitur peruerſitatis aulicæ, & prauitatis malorum principum.

Vultur. 230



VVLTVR inuitatis auiculis ad conuiuium, quod illis daturus eſſet die natali ſuo, poſtquam hæ affuere ad tempus, clauſis foribus domus, carpere & occidere ſingilatim omnes, & de inuitatis epulas ſibi inſtruere cœpit.

Fabula

Fabula monet, voluptatũ ſectatores non prouiſum in exitium incidere ſolere.

Aſina febricitans. 231

FEBRI correptam & grauiter laborantem aſinam, cùm morbus ſæuus eſſet, inuiſit lupus, & tangens æſtuans corpus illius, vbi doleret potiſſimum interrogat: Ibi inquit aſina, vel tantum vel maximè dolet, vbi tu me contingis.

Refutat fabula ſimulata improborum officia, & odioſas interpellationes maleuolorum.

Hirci. 232

TRES hirci, vnum grandem, qui leonem fugeret, procul conſpicati, eum irridere & formidinem exprobrare. Cui ille: Si quem fugio vos ſciatis, & idem adeatis periculum, non reprehenderitis fugam meam.

Fabula narratur contra temerariam oſtentationem audaciæ.

Gladius & Viator. 233

REPERTVM enſem in via interrogat, qui repererat, cui excidiſſet? &, quiſnam te perdidit, inquit? Huic gladius: Vnus quidem qui proximè geſtauit me perdidit, ſed ego permultos.

Fabula docet, facinoroſos interdum ad interitum per exitia multorum peruenire.

Vulpes & Gallus. 234

CONSPECTVM prope villam gallum gallinaceum adoritur callidè vulpecula: Et tuum, inquit, patrem noueram, atque illius ſuauiſſima voce ſæpe admodum ſum delectata, neq; te inferiorem eo eſſe video, niſi fortè vox deterior ſit. Gallus probaturus, & illam parem vel maiorem in ſe eſſe, clauſis oculis altiſſimè exclamare cœpit. Irruit igitur in hunc ſubitò vulpes, & comprenſum aſportat. Re cognita villicus cum fuſte inſectatur vulpem, & familiam aduocat, clamans ſuum gallum à vulpe aſportari. Tum Gallus: Audin' tu hunc, inquit, quàm loquitur de tua præda contumelioſè: Quin igitur refellis ſuperbum mendacium illius. Vulpes inflata ſermone galli: Mentire, inquit, & addere volebat, tuum eſſe gallum quem ego cepi: At laxatis dentibus amiſſus gallus, in arborem ſubuolat, & irridet vulpem, quam captus decepiſſet.

Docet fabula, loquacitatem ſemper eſſe detrimentoſam.

Mulus & Lupus. 235

DEVORATVRVS mulum lupus, quis vocaris

vocaris tu? inquit. Ego ne? inquit mulus. Ita aio, inquit lupus. At enim, inquit mulus, neſcio, nam oppido puſillus parentes amiſi meos: audiſſe tamen quaſi per nebulam memini, de matre, inſculptum nomen meum eſſe in poſterioris pedis dextri vngula. Si videtur igitur leges, & ad lupum poſteriores pedes conuertit. Cui, quaſi inſpecturo ſcripturam nominis, ictu vehemẽte caput affligit, & effracto vngulam illiſit in oſſa cerebro. Ille humi ſternitur: at vulpes quæ omnia fieri cognouerat, irridet iacentem, ac: Heus tu literate, iſtic nunc ludum aperies ſcilicet, inquit, & mulorum nomina recognoſces?

Narratur fabula contra arrogantiam indoctorum.

Verres & Lupus. 236

VERRES ægrè ferebat ſe non metui à ſuo genere, itaque deſerere hoc ſtatuit, & concedere ad oues. Vbi, cùm agnos admodum terreri grunnitu & iactatione capitis ſui cerneret, ibi ſe facile honorem & dignitatem conſecuturum ſperans, remanſit. Paulo poſt deprehenſus extra caulam, & comprehenſus à lupo: Me miſerum, inquit quanto ſalutem quàm dignitatẽ quære re ſatius fuiſſet.

Oſtendit

Oſtendit fabula, æquabilitatem vitæ, reſpuendam non eſſe.

Serpens vinctus. 237

SERPENTES in aquis degunt, qui hydri vocantur, & alicubi traduntur maximi eſſe, vicenóſque cubitos æquare longitudine. Huius generis vnum quondam detulerãt exundantes aquæ longè extra alueum fluuij, in quo degebat, & poſtea ſubſidẽtes reliquerant in arenis, vbi ſole & æſtu cùm torreretur, prætereuntem agaſonem cum equuleo orat, vt impoſitum ſe in iumentum reuehat ad cauernam ſuam, & pro illo officio ſummam gratiam repromittit. Agaſo motus commoda ſerpentis oratione, alligat ſpiras illius, & in equum ſuum vinctũ imponit, & reducit ad fluuiũ: ibi demptis vinculis, cùm expectaret promiſſam gratiam, & ſperaret amplam mercedem, aggredi ad ſe infeſtis oculis & hoſtili vi ſerpentem videt. Tum ille exclamans: Hæccine igitur gratia referetur maximo beneficio meo? Vulpes autem, quæ non longè aberat, clamore audito accurrit, & rem totam ſciſcitata de agaſone cognoſcit, qui conquereretur inſuper apud vulpem ſceleratam iniuriam, quam ſibi allatum iret ſerpens. Hic tamen, ne opinionem

ſionem tam iniuſti facinoris ſuſtineret: Iure ſe ait illam adhibere ſæuitiam ad agaſonem, à quo vehementiſſimè conſtrictus fuiſſet. At fuiſſe hoc faciendum, agaſo aiebat, ſiquidem auehere vellet de loco. Non laudo, inquit vulpes, cupiens periculo hominem liberare, quòd hunc colligaſti: cognoſcere tamen velim, quàm arctè colligaueris. Licet, inquit ſerpens: ac agaſonem ſimiliter, vt dudum feciſſet, vincula nectere iubet. Hic verò cùm feciſſet, ita'ne tandem vincierat? interrogat vulpes. Immo multo, multo arctiùs & duriùs, inquit ſerpens. Iubet igitur vires maiores adhibere agaſonem vulpes. Ille valens & robuſtus ita aſtrinxit funes, vt ſerpens pene ſtrangularetur, atque ſic quidem, improbus iſte, inquit, & tam vehementer colligauerat me prius quoque. Tum vulpes: Heus tu nunc, inquit, ita colligatum reuehe eum in locum ſerpentem, vnde ſuſtuliſti, & ibi depoſitum relinque. Paruit ſẽtentiæ agaſo, & periculum euaſit.

Docet fabula, ingratos, atq; eos maximè, qui mala pro bonis rependant, ipſos quoque tandem ſimilem mercedem recipere.

Ictis & Vulpes. 238

ICTIS eſt è muſtelarum genere ſilueſtris

ſtris

ſtris quadrupes, cuius pelle obduci quondam galeas ſolitas tradunt. Quodam tempore cum vulpe igitur ictis iter per patentem campũ faciebat. Eam vulpes interrogabat: Quid rerum aut artium didiciſſet? Illa, nihil quidem ſe tenere reſpondit, præter mediocrem ſaltandi rationem. At ego, inquit vulpes, cẽtũ artibus inſtructa ſum, quarum quæuis, & ad neceſſaria victui paranda, & ad vim atque contraria omnia propulſanda, ſatis eſſe poſſit. Ictis igitur venerari, & beatam prædicare vulpem: ſe verò futilem & vita indignam animantẽ perhibere. Inter hos ſermones exaudiri canum latratus, itaque adeſſe venatorem ictis coniiciens: In fugam, inquit, nos demus, audio enim hoſtium noſtrorum vocem. Placidè, inquit vulpes: Nondũ enim neceſſe eſt accelerare fugam. Cùm autem clarior fieret latratus, Fugiamus igitur, inquit vulpes. Cui ictis: Neque mihi, confirmatæ verbis tuis, nimis feſtinandum videtur, ſed iam conſpectis canibus, fugiamus ſane, ait. Atque ipſa in proceram ſtatim arborem ſaltu euaſit: Vulpes verò in aperto campo facile à canibus depræhenſa fuit. Quam ille irridens, vt vnam promat hortatur, de centum ſalutaribus artibus ſuis, nunc enim neceſſe eſſe. Ita

miſera

miſera vulpecula & deriſa & dilacerata fuit.

Fabula narratur contra gloriatores vanos, & oſtentatores mendaces.

Lupus & Hircus. 239

HIRCVS euaſerat lupum inſequentem in rupem, in quam peruenire ille non poſſet. Vbi aliquantiſper lupus cùm obſediſſet eum, tandem fame depulſus, ſitienti tum hirco ad fluuium vicinum deſcendendi facultatem dedit. In fluuio autẽ cornua procera, & crura leuia, contemplatus hircus, placere ſibi, & ſe incuſare, qui lupũ fugiſſet. Lupus ſtultum immorãtem in fluuio, & aſpectantem imaginem ſuam, clanculum adortus compræhendit, & iam fruſtra deplorantem ſuam vanitatem aſportat atque deuorat.

Contra ſtultitiam ſuperborum fabula narratur.

Aſinus & Lupus. 240

CONSPICATVS aſinum lupus, in eum irruit, ac: Nunc tu famelicum, inquit, ventrem ſaturabis meum. Cupio, inquit aſinus, nam ſæpe mortem exoptaui, quippe qui ſempiternis laboribus conficiar, oneribus ferendis & plagis patiendis: ego enim

enim de lacu muſta, ex area frumentum, ex ſilua ligna, de montibus ſaxa, de granariis triticum ad piſtrinum deportare cognor. Sed ſi videtur, de via me deductum in iſtam vallem, mactato, ac vinctum quidem. Aſſentitur lupus, itaque reſte connectũtur. Tum aſinus iter verſus villam, vbi ſeruiebat, facere, & lupum, admodum quidem renitentem, ad conſpectum hominũ attrahere, quibus ferramentis eum petentibus, cùm vnus incerto ictu reſtim, qua illi inter ſe alligati fuerant, diſſecuiſſet, male mulctatus lupus in ſiluam fuga euaſit. Aſinus autem gaudio & lætitia exultare, & clarum rudere. Quo audito: Quantum vis, inquit lupus, clamoris ede, nunquã tamen efficies, vt ad te iterum annectar.

Docet fabula, conſilijs inimicorum & maleuolorum non eſſe parendum. Et, ſapere ſtultos damno accepto.

Canis in præſepi. 241

FRENDENS canis dentibus, & allatrans nonnunquam in præſepi iacebat, à quo boues terrebantur, neque admittebãtur ad pabula. Cui vnus: Quanta iſta inquit, inuidia eſt, non pati te, vt eo cibo veſcamur, quẽ tu capere nec velis, nec poſſis.



Fabula de prouerbio compoſita eſt, quo notatur inuidentiæ malignitas.

De Mendace Puero. 242



PVER cuſtos ouium crebrò per luſum
s magnis

magnis clamoribus opem ruſticorum im-
plorabat, contra incurſiones luporum. Sæpe autem fruſtratus eos, qui auxilium illi laturi aduenerant, tandem lupo irruente cum lacrymis clamare, & orare miſerabili voce, vt ſubueniretur ſibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum pariter vt ante, arbitrati, neglexerunt preces & implorationem vani pueri: ita liberè in oues graſſatus lupus fuit.

Fabula docet, hoc conſequi mendaces, vt verum etiam dicentibus nemo credat. Hanc de nugatore & plano, qui ſe crus ſimularet fregiſſe, Horatius expoſuit.

Apicula & Iuppiter. 243



QVOD ſuos labores ab hominibus cõ-
pilari

pilari apicula ægre ferret, elegantiſſimè conſtructos fauos Ioui obtulit, & ab illo petiit, letiferam vt aculeo ſuo vim adderet. Iuppiter immanitate beſtiolæ offenſus: Immo potius vitalem vim tribuam, inquit, vt vna cum illo tibi vita relinquenda ſit.

Fabula ad ſententiam Herodoti eſt compoſita: Immodicas pœnas dijs non probari.

Pulex captus. 244

QVID, tu, inquit, es animantis? qui pulicem noctu ceperat. Qui ſe reſpondit eum eſſe, qui, vt à natura ad exugendum de humano corpore ſanguinem procreatus ſit, ita noceat nemini, præterquam quòd cutem leuiter pungat. Quare non debere illum inſontis cæde polluere manus. Interrogatus autem, Boni ne aliquid facere poſſet? Neque boni neque mali ferè quicquam, reſpondit. Moriere igitur, inquit ille, quippe qui moleſtus mihi fueris, cùm nec lædere magnopere, neq; prodeſſe omnino poſſis.

Docet fabula, praui, quanquam non magna damna poſſint dare, tamen melius eſſe vt remoueantur.

Cancri. 245

MINATI, grandior cancer paruulo

 dicebat,

dicebat,quin recta via incedis,neque obliquos intorques greſſus? Faciam, inquit ille,mi pappule, ſi te idem facietem prius videro.

Docet fabula, adoleſcentiam domeſticũ malũ exẽplorum maximè corrumpi.

Canis mordax. 246

CANI mordaci, vt omnes cauere illum poſſent, paterfamilias iuſſerat tintinabulum appendi ex ære paruulum. Hoc ille,quaſi præmio virtutis ſuæ, admodum ſuperbire, & alios canes præ ſe contemnere. Cui vnus ſenior:Heus tu, inquit,an neſcis indicari prauitatem morum tuorũ tinnitu iſto,non ornari ære corpus?

Cohercet fabula ſtultitiam vulgi, quod ſæpe placet ſibi notis & inſignibus flagitiorum ſuorum.

Vrſi præceptum. 247

MAGNVS erat inter duos familiaritatis & neceſſitudinis vſus, vt in ſumma coniunctione voluntatum atque ſtudiorum viuere viderentur, operaſque darent inter ſe mutuas, & alter alteri gratificaretur. Accidit, iter vt quodam tempore communiter ambobus faciendum eſſet:cúmque tranſirent quaſdam ſolitudines,in vrſum ingentẽ inciderunt, quo viſo vnus celeriter



leriter in arborem euaſit, alter ab vrſo oppreſſus, cùm audiſſet, illam feram cadauera non attingere, in terram ſe proſtrauit, & attractam animam, quàm potuit vehementiſſimè continuit, vt veſtigium nullum vitæ appareret. Vrſus omnibus partibus corporis pertentatis, & ore ſuo crebrò ad illius os auréſque admoto, cùm pro mortuo reliquiſſet, abiit. Tum metu ambo liberati, proſequũtur incœptum iter. Inter eundum autem interrogat is, qui arborem conſcenderat, alterum, quidnam in aurem vrſus iacenti immurmuraſſet? Multa, inquit ille, quæ nunc memorare nihil attinet, ſed imprimis hoc præceptum dedit: Ne amicum eſſe quẽquam mihi vnquã perſuadeam, cuius fidem ad-

uerſo tempore meo non fuerim expertus.

Docemur verum eſſe quod Cicero ſcripſit præclare, vt omnia, Peto: Non facile dijudicatur amor verus & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit, cætera ſunt ſigna communia.

Olla natans. 248



LEBETEM aheneum & ollam fictilem vndæ vis abſtulerat. Tum olla magnopere vitare concurſum aheni, & formidare ac tremere. Cui lebes: Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Reſpondit olla, in tali iactatione ſe non poſſe ſecuro eſſe animo, cui non ſuſpecta ipſius voluntas erga ſe, ſed fortuitus concurſus timori eſſet.

Docet

Docet fabula, periculoſas omnibus modis eſſe coniunctiones potentum & impotentum.

Simia. 249

CONVOCATIS vniuerſis animantibus cognoſcere Iuppiter volebat, cuiuſnam omnium formoſiſſima eſſet ſoboles. Tum ſimia ſimiolum paruulum præferens, & Ioui oſtendens: Quid quæris Iuppiter? inquit, nullum hoc formoſo formoſiorē inuenies. Cui Iuppiter: Ideo nudas, inquit, nates ſcilicet habet.

Docet fabula, de illius ore, qui ſeipſum aut ſua prædicet, laudes & ſordidus & ridiculas fieri.

Grus & Pauo. 250

PAVO contra gruem aſſiſtens, explicatis pennis ſuis: Quanta eſt, inquit, formoſitas mea & deformitas tua? At grus ſubuolans: Quanta eſt, inquit, leuitas mea & tua tarditas?

Monet fabula, non eſſe ob aliquod bonum naturale ſuperbiendum, neque contemnendum alterum, cui fortaſſe multo maiora collata ſint.

Abies & Dumeta. 251

CONTEMNEBAT propinquos dumos abies alta. Cui illi: Quanto tu nobis es præſtantior, tanto tua eſt conditio de-

terior, quòd magis omnis generis iniuriis expoſita ſis,& tibi à diis& hominibus pericula impendeant.

Docet fabula, non oportere excellentes virorum humilitatem deſpicere. Nam multos, vt ille ait, fortuna tollit in altum, Ut lapſu grauiore ruant.

Inuidus. 252

VOLENS explorare ſenſus hominum Iuppiter, miſit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognoſceret. Hic primùm incidit in auarum vnum,& alterum inuidum. Quibus cũ collocutus, copiam illis facit petendi quod vellent. Id enim quod vterque petiiſſet, ratũ ſe habiturum, ſed ea lege, vt quod ſibi alter petiiſſet, alteri præſtaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus, quicquam ſibi vt peteret: at inuidus erui vnum oculum ſibi petiit, vt auarus ambos amitteret.

Deſcribitur hac fabula auaritiæ & inuidiæ peſſimum & teterrimum vitium.

Puer fallax. 253

PLORABAT ad puteum reſidens & quiritabatur puer, ad quem accedens auarus, interrogat, quid acciderit ei? Me miſerum, inquit puer, cum multo largioribus

bus lacrymis : ô miſerum me. Cur miſerum ſe prædicaret, interroganti auaro, reſpondet : Auream ſitulam ſibi in puteum modò delapſam. Ille cupiditate cæcus, neque vnde puer auream ſitulam afferre potuiſſet, neque haud veriſimile hunc dicere cogitãs, poſitis veſtibus ſe in puteum demittit, quibus puer interea, dum ille reuertitur, ſublatis, in ſiluas aufugit.

Qui aliena appetunt, eos ſua etiam amittere ſæpe ſolere, fabula docet.

Capra & Lupus. 254

CONSPICATVS in alta rupe ſtantem capram : Quin tu, inquit vel leo, vel lupus, huc in herbidos campos, & ad lętas frondes deſcendis, & iſta ſterilia & nuda loca relinquis? Cui reſpondit capra, ſenſerat enim fraudulẽtè locutũ : Non eſſe in animo ſibi, dulcia præponere ſalutaribus.

Fabula docet, voluptatum ſtudium interdum eſſe exitiale.

Cornix. 255

SITIENS cornix reperit in vrna grãdiuſcula aquæ non multum. Quam cùm attingere arido roſtro non poſſet, lapillos quamplurimos in vrnam deijcit, quibus fundum occupãtibus, ab labrũ vrnæ aqua

ſubiit,& potandam ſe cornici præbuit.

Docet fabula, multas res arte obtineri, quas nullæ vires aſſequi potuiſſent.

Simia. 256



MAGNVM eſſe amorem erga natos ſimiarum accepimus, ſed duobus partu editis, alterum mirificè diligere matrem, & geſtare manibus, & frequenti complexu ſæpenumero necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino fœtu, cariorem manibus compræhenſum, alterum de ceruice pẽdentem geſtabat. Curſu autem fatigatæ, laſſatis è manibus elapſus ſimiolus, cùm vrgente vi canum tolli non poſſet periit: alter, qui collum matris arctiſſimè aſtrinxerat lacertulis ſuis, conſeruatur.

uatur. Hunc poſtea illa ſolum ita vehementer, vt prius alterum, amauit.

Fabula oſtendit, vnius ſæpe damna alteri prodeſſe.

Olla. 257

EXPOSITAM ſub dio ollam fictilem, vt lutum prius areſceret, quàm in fornace torreretur, interrogat imber: Quidnam rei ſit? Illa verò, ſe dolium eſſe, ſuperbè reſpondit. Doliũ, inquit imber, in quo vinum condi ſolet, quod nos aquæ odimus? Peribis igitur, & illam diſiecit.

Contra ſuperbiam & faſtum, & ſtultas elationes animorum, hæc fabula narratur. Sæpe enim fit, vt magnarum rerum profeſſiones, & arrogantia dignitatũ, homines imperitiores euertat, atque perdat. Itaque Vlyſſes ad tantarum rerum effectionem non extollitur neque ſplendeſcit, ſed abycitur & deformatur, idq́; diuinitus.

Hœdus & Lupus. 258

CVM lupum euaſiſſet hœdus, & confugiſſet in caulam ouium: Quid tu ſtulte, inquit ille, hîc te ſaluum futurum ſperas, vbi videas quotidie ad cædem rapi pecudes, & mactari diis? Non curo, inquit hœdus: nam ſi moriendum ſit, quãto præclarius mihi fuerit, meo cruore reſpergi

aras-

aras Deorum immortalium, quàm irrigari ſiccas lupi fauces?

Significat fabula, mortem communem & paratam omnibus cum honeſtate & laude coniungi oportere, ſi fieri vllo modo poſſit. Pertinetq́ huc memorabilis ſententia, quæ eſt poſita in defenſione Cteſiphontis: Finem & exitum vitæ mortem vniuerſis eſſe propoſitam, neq́ ſi in cauea incluſus aliquis aſſeruandum ſe curet, ideo latere illum morti poſſe. Bonos autem & fortes viros virtutē colere debere, in optima quidem ſpe euentuum, ſic tamen paratos, vt ferant fortiter, quæcunque Deus immiſerit.

Somniatores. 259

FACIEBANT iter vnà tres communiter, & cùm per loca inculta & deſerta aliquot dies pergendum eſſet, cibos mercati ſecum tulere. Hi in via, quæ opinione illorum longior fuerat, defecere. Itaq; duo contra tertium, ſimpliciorem, vt credebāt, conſilium ineunt, quo ſua illum portione fraudent, &, cibus, inquiunt, qui adhuc ſupereſt, non ſatis eſt futurus vniuerſis: placet igitur nobis, eum potiri hoc ſolum, qui maximè admirabile ſomniū viderit, ſi tibi idem videtur. Probata re vniuerſis, ad ſomnum capiendum componunt corpora ſua. Cùm dormirent duo illi aſtuti, ſurgit tertius, & quicquid cibi reperit, id eſuriens

riens abſumit totum: ſenſerat enim eos dolum machinari. Cùm autem eſſet medium fermè noctis, experrecti illi, narrare inter ſe ſomnia ſua: Atque vnus: Quàm mirum, inquit, ſomnium vidi. Quodnam, alter, obſecro? & ediſſere, inquit. Viſus mihi ſum videre, inquit, arripi magna quadam vi veluti procellæ, & ante Iouis ſolium ſiſti. Cui alter: Non minus admirabile referam, contrarium quidem tuo, ſomnium. Nam ego vidi, me ſimiliter impetu quodám venti & turbinis deferri ad hiatum ingentem terræ, & in Ditis regia conſtitui. Quin igitur, inquiũt, referimus ſocio hæc, quæ oblata nobis per quietem fuere? Itaque excitare illum, qui fingeret ſe profundiſſimo in ſomno iacere, & verbis inclamare. Qui cùm audiſſet illas fabulas: Quis me vocat? inquit. Cui illi: Nos ſcilicet ſocij, inquiunt, tui. Quomodo, inquit, obſecro, reuerſi? Quomodo, inquiũt hi, qui nuſquam diſceſſerimus? At ego, inquit iſte, mihi viſus ſum videre vnum veſtrum raptari in cœlum, alterum ad inferos deferri. Nũquam igitur redituros vos eſſe ratus, cibum comedi totum.

Hoc dicit fabula, quod Lucretius:

Circumretit vis ac iniuria quemque
Atq; vnde exorta eſt, ad eum plerunq; reuertit.

Auic

Auiculæ præcepta. 260

CAPTAM auiculam aiunt policitam aucupi, ſi ſe amiſiſſet, daturam illi præcepta tria, quibus ſi vti vellet, beatam vitam viuere poſſet. Cùm auceps hac ſpe & conditione illam auolare paſſus fuiſſet, de arbore hæc acciniſſe auicula traditur:

Crede parũ. Tua ſerua. Et quæ periêre relinque.

Poſtea: Gratias ago tibi, magne (inquit) Iuppiter, qui me de iſtius manu liberaris. Nam in viſceribus meis latet ſmaragdus vncialis, quem ſi ille abditum intra me ſciret, nunquam viuam amitteret. Hoc audito, mirificus dolor aucupem inuaſit, & pœnitere eum credulitatis ſuæ, qui tam facilè auiculam dimiſiſſet. Ibi illa: Niſi ſequaris præcepta mea, inquit, nihil illa tibi profuerint. Nam cur tu nunc obſecro mihi credis, quæ vncialem gemmam mihi ineſſe dixi, cùm vix ſemiunciæ pondus habeam? Quod ſi verum ſit, cur non ſeruabas tuum? Sed cùm & hoc neglexeris, reſtat ſcilicet, ne amiſſa, quæ recuperari nequeãt, fruſtra requiras, aut deſiderio illorum conſumaris, atque his dictis relicto aucupe auolauit.

Explicat fabula vtiles maximè ſenſus, ad vitam cum quiete degendam. Et hoc etiam oſtendit, præcepta

Vulpes & Gallus gallinaceus. 261

CONSEDERAT cum ſuis gallinis ſuper arbore gallus. Hunc vulpecula eſuriens ad ſeſe allicere cupiens: Quid tu, inquit, iſtuc ſubuolaſti? quin plana loca frequentas, nam nõ eſt quòd quenquam metuas, ita nuper in conuentu omnium animantum pax & concordia firmata eſt & edictum propoſitũ, ne quiſquam alterum lædere, aut damno afficere audeat, neu vi aut clàm in corpus aut res alterius vllus inuadat. Gallus intellecta vulpis ſentẽtia: Magnum, inquit, gaudium nũcias. Atque inter hęc caput altè extollere, & ceruicem extendere, quaſi aliquid à longinquo ſpecularetur. Interrogatus igitur quid cerneret, aut quid rei eſſet? Egóne? inquit, canes duos accurrentes aſpicio, patulo rictu, feſtinantes curſu incitato. Valete igitur, inquit vulpes, nam mihi vt video diutius hìc morari nequaquam expedierit. Quid ita verò, inquit gallus. Non tu pacem factã inter animantes dixeras? Ita eſt, inquit vulpes, ſed quid ſi iſtis res adhuc ignota ſit, neque ad eos nuncius pacis peruenerit? Mea ſcilicet pellis præclarè diſtrahatur.

Hoc dicit fabula, quod prouerbium: Clauum clauo pelli oportere.

Coruus & Vulpes. 262

ESVRIENS vulpes, vt aliquam ſimplicem auem fallere poſſet, abiecit ſe in viam, quaſi mortua eſſet, ne vererētur illæ aduolare ad ſe. Coruus autem intuitus illam diligentiùs, ſpirare vulpem animaduertit: itaque circumuolitans: Non meus, inquit, oculus minus eſt ſubdolus, quàm cor tuum.

Fabula prouerbij ſententiam innuit, quo dicitur, furem eſſe furi manifeſtum, & lupum lupo.

Vulpes & Formica. 263

QVAERENS materiam vulpes ad domum extruendam, vbi habitarat in luce & aperto aëre, redarguitur à formica, quæ quidem perquā eſſe iucundum aſpectum lucis, fateretur, ſed vulpi tamen cogitandum quid ageret, quæ eſſet in tanto odio ruſticorum propter rapinas, & cuius pelles magnopere ad veſtitus hiemales expeterentur.

Fabula docet, nullam rem inconſultè aggrediendam eſſe.

Aſinus & Leo. 264

CVM quodam tempore coniuncti fœdere

dere & amicitia vnà iter facerent leo & aſinus. cõſpecta hic luporum caterua, procurrit audaciùs, & clamorem quàm maximum erudit. Tum lupi, qui leonem etiam animaduertiſſent adeſſe, aſinum quidem illi deriſerunt, ſed celeriter ſe fuga ſubduxere. Aſinus autem interroganti leoni, quænam tanti clamoris cauſa, & quid factum eſſet? reſpondit: Se lupos conſpectos absterrere voluiſſe, à quibus deriſus fuiſſet, cùm tamen ipſum leonem viſum ſtatim fugiſſent. Rectè, inquit leo: Non enim clamores, ſed vim metuit lupus.

Fabula indicat, fortes & conſtantes viros non verbis, ſed factis animum attendere.

Vulpes & Anguis. 265

FAMELICA vulpes, cibum quærens ſibi, diſcurrebat per ſiluas & campos, ac fortè calcauit anguem, à quo icta cùm eſſet, magno dolore & indignatione concitata, morſu illum ſauciat, atq; ita læſi ambo, tum quidẽ diſcedunt, medicinam quęſituri vulneribus ſuis. Poſt annos aliquot obuiam factus anguis vulpi, animo memori & cupido vindictæ, callidè vulpem verbis aggreditur, &: Quantam, inquit, triſtitiam cepi de diſſidio noſtro, neque quicquam ex illo tempore, quo ſimultas

inter nos extitit, maiori mihi curæ fuit, quàm vt gratia noſtra reconciliaretur, ac poſt illa te quidem nunc video primum. Quare ſi videtur, obliuiſcamur priorum, & amicitiã renouemus, interq; nos amanter complectamur, qui pridem hoſtiliter appetiimus. Quid enim magis omnibus mortalibus, cuiuſcunq; generis ac conditionis, expetendum, quàm pax & concordia? Quę alia res melior, vtilior, iucundior eſſe poſſit? Hæc omnia & conſeruat, præſtatq; incolumia ac ſalua, & auget atq; bonis multiplicibus cõplet. Hæc ferè illa eſt, quæ opes, diuitias, vitam deniq; ipſam, & parit & nutrit atq; educat. Et quid multis opus? Nullum eſt bonum in terris, pacis bono præſtantius neq; optabilius. Atque hæc locutus ad oſculũ ſe erigere anguis, & vulpi oculis abblandiri. Illa verò angui non credidit, quem ſciret natura eſſe implacabilem, & cùm ſæuum tum etiam malitioſum. Itaque eum auerſata, Sic vt loquere, eſt, inquit. Sed vt pace vera nihil melius, ita ficta deterrima res eſt rerum omnium. Hoc enim venenũ quadam dulcedine opinionis pacificæ conditum, & non vitatur, & hauſtum ſubitò necat. Neque vllæ poſſunt inimicitiæ & bellũ tam nocere, quàm ſimulata beneuolentia & pax.

pax. Hæc publicas & priuatas res, hæc ſalutem, dignitatem, vitã, fortunasq; euertit ac peſſundat, nihil metuentium & ſecurorum. Nam inimico & hoſti nemo credit, ideoq; ab his non fallitur, neq; decipitur quiſquam. Sed illa fucata verba, & ſpecies honeſtiſſima bonitatis, ea in fraudem imperitiores impellunt, ea ſimplices inducunt in errorem atq; miſeriam. Ac tibi quidem laudatori pacis tantum eſſe reſponſum volo. Ad recõciliationem autem gratiæ & amicitiæ noſtræ quod attinet, ita habeto, neque me poſtea, quæ accidere memini, tibi vnquam ex animo credituram eſſe, neque arbitrari, te mihi vt fidem habeas, facere poſſe.

Fabula monet, incertam & dubiam eſſe voluntatem eorum, inter quos magna inimicitia & graues ſimultates interceſſerint, maximè ſi vnus etiam ab altero læſus, & damnis affectus fuerit.

Terra fœta. 266

CVPIDA fœtus terra ventum intra ſe concepit, cuius vi concuſſa & mota, tremere & agitari. Tandem illa liberata, & flatibus eiectis: Cur igitur, inquit, cùm toties vidiſſem parturientium labores, etiam ipſa grauida fieri volui?

Fabula notat eos, qui ſuo malo potius quàm alieno

 ſapiunt,

ſapiunt, id quod à ſtolidis fieri ſolet, ſecundum hoc: παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Hircus & Erinaceus. 267

CONTEMPLANS cornua ſua & crura in aqua renitentia hircus, dignum ſe magnis honoribus eſſe arbitrabatur, ſibiq; admodum placebat. Cui erinaceus, qui fortè & factum hirci & verba audierat: Si, inquit, oculatum etiam tergum haberes, aut tua mutila cauda, & extantes coxæ in aquis apparerent, ſic te ſatis honoratum eſſe crederes.

Fabula hoc dicit: Non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Struthocamelus volans. 268

STRVTHOCAMELVS alas quidem habet, quibus in curſu ad pernicitatē adiuuatur, ſed in ſublime volando non extollitur. Hæc ſiue beſtia ſeu auis, cùm fortè in ardua rupe conſtitiſſet, incitare ſeſe ad volatum, & imitari vélle reliquas volucres. Cui gallina, quæ hoc conantem viderat: Caue, inquit, ne volandi cupiditate etiam ingrediendi facultatē amittas. Qua deriſa, deiecit ſe paſſis alis de rupe, atq; ad terram pondere ſuo afflicta crura fregit.

Fabula docet, contra naturam niti oportere neminem.

Lupus

Lupus & Vrſus. 269

QVAEREBAT ex vrſo lupus, qua de cauſſa caput ſemper demiſſum gereret. Quia enim, inquit vrſus, debile illud eſt & infirmum. At tu, inquit lupus, cornibus armato, quemadmodum armata eſſe capita taurorum cernis. Quis hoc, inquit vrſus, præſtare mihi poterit? Multa, inquit lupus, homines norunt, quos natura ſingulari ingenio & induſtria inſtruxit. Inter eos igitur huius rei artificem quæres. Vrſus paruit monitis lupi, & inuento tãdem qui cornua ſe additurum ipſi profiteretur, de mercede ſciſcitari ac paciſci cœpit. Cui artifex: Da ſanè mihi dimidiatas aures tuas, inquit. Quid enim præter has aut poſſis aut velis perſoluere, nihil video. Fiat, inquit vrſus lætus, ſi pro acuminibus aurium aciem cornuum habiturus eſſet, ac truncari illas patitur. Tum artifex. Nũc perforabo, inquit, eam capitis partem, cui tu potiſſimum inſeri cornua volueris. Minimè, inquit vrſus: deſiperem enim, ſi hoc fieri permitterem. At ego aliter, inquit artifex, cornutum te reddere non potero. Carebo igitur, inquit vrſus, potius cornibus, quorum cupiditas vtinam non aures mutilaſſet meas.

Docet fabula, incogitantium & ſtultorum maiora affectantium cupiditates, non carere detrimentis.

Talpa & Mus. 270

CAECVM quidem eſſe animal talpam, videtur minimè incertum eſſe: ſed habet tamen quiddam oculorum ſimile, vel etiam oculos fortaſſe, quibus tenuiſſima membrana prætenditur. Huius generis vnum gloriatum de oculorum pulcritudine contra murem accepimus. Cui mus reſpondiſſe fertur: O bellos oculos, qui nihil aſpiciant.

Reprahendit fabula arrogantiam & inanes oſtentationes.

Ficus & Spina. 271

CVM ficus groſſis eſſet grauis, florebat ſpina. Hæc igitur ad ficum: Vbi flores tui ſunt? ait. Cui ficus: Vbi fructus tui, inquit, ſunt? At mihi, inquit ſpina, fructus natura negauit. Quare tu igitur, inquit ficus, flores in me requiris, cùm floribus multo præſtantiores fructus videas?

Nunquam quidem abeſſe, intelligendum à virtute decus, ſed minus interdum conſpici. At vitioſa & futilia nonnulla ſæpe admodum nitent.

Simius

SIMIVS contemplans benè habitam & curata pelle ac nitidis pilis vulpem: O quanta, inquit, benignitate erga te maiorè vſa eſt natura, quàm erga me, quem exquiſita quadam deformitate affecit. Cuius errorem vt refelleret: Venito mecum, inquit vulpes. Faciam, inquit ille, vt iubes, etſi pudet me ſtrigoſum & nudum tecum incedere per viam, quæ ita quaſi pexa & veſtita es. Cùm non multum itineris confeciſſent, obuiā fit illis elephas, cui eſſent dentes fracti. Hunc vulpes interrogat: Quæ vis dentes tantę beſtiæ frangere potuerit? Cupiditas, inquit ille, hominum, qui cùm prædæ huius auidi me pertinaciùs oppugnarent, ipſe impactos arborum truncis, excuſſi, & impenſo eo quod tantopere expetebatur, redemi vitam meam. Progreſſi longius aſpiciunt cruentum fibrum, cui adempta eſſent membra virilia. De qu[illegible] & ipſo cauſſam eius mali percontata vulpes cognoſcit, quòd ipſe ſibi præmordiſſet, cùm ob ea ſe peti & captari ſciret. Digreſſi ab hoc vident pauonem, cui eſſent pennæ & de cauda & de alis reuulſæ. Rogat vulpes, à quo ita deformatus & ſpoliatus ſit decore ſuo? Cui reſpondit pauo, ho-

ram per anguſtam rimam, quòd valdè macilenta eſſet & corpore attenuato fame. Repleta autem, cùm eadem ſe recipere & egredi vellet, nòn magis patuit exitus diſtentæ cibo. Tum nitentem & vrgentem fugam conſpicata muſtela monet, vt ſic exire ſtudeat, quemadmodum intrauerit. Macie enim priſtina recuperata, tum demum euaſuram illà quà ſubiiſſet.

Horatius ad Mæcenatem fabula vtitur hac ſignificatione: Qui à diuitibus & potentibus locupletentur, eos intelligendum ſe in carcerem includere obſequij illorum, neque inde, niſi partorum commodorum amiſſione, liberari fere poſſe.

Cucurbita & Palma. 274

CVCVRBITA conſita ad palmæ radicem, cùm largis imbribus irrigata eſſet, ſtirpi palmæ innitens, ad illius ſe cacumina extulit. Tum interrogare palmã, quot annis ad tantam granditatem perueniſſet? Cui reſpondit palma: Non minus centum annis. Tum cucurbita: Quãto te ego ſum melior, inquit, quæ non dies totidem creſcendo confeci, & tuam exæquaui altitudinem. Paulò pòſt prœmatura, & ipſa flacceſcere, & radix amiſſo ſucco non magis vegetare, illam. Ergo quàm temere de proceſſu incrementi ſui gloriata eſſet in-

telligens, & ſuam granditatem contemnens, futilitatem confeſſa fuit.

Fabula docet, quæ citò oriantur, etiam citò occidere, vt de ſolſtitiali herba Plautus ait. Et, ſubdita incrementa fructuoſa non eſſe. Huc pertinet & hortorum Midæ & Adonidos prouerbium.

Viperæ. 275

VIPERA non parere fœtus ſuos, ſed ab his perrodi traditur, quod verum eſſe multi negant. Sed quę morſus illos grauida quondam ſentiebat, accuſaſſe impietatem ſuorum fertur, & multum queſta fuiſſe de immanitate erga ſe illorũ. Quibus reſponderint hi: Ferendum eſſe ipſi à ſe, quod ab ipſa tulerit mater. Quin etiam ſe patris ſui interitum vlciſci. Traditur enim ab hac maris caput mordicus auferri. Feram igitur, mater, ſed & vos feretis, inquit.

Fabula ſcelerum vindictas, & delictorum ſupplicia congruentia eſſe docet.

Porcus & Vulpes. 276

PINGVIS & opimus aſſiduo paſtu, & diligente ſagina porcus, interrogatus à vulpe, vnde nam ipſi tanta corporis moles, & ille, quem animaduerteret, cōpioſus adeps contigiſſet? Reſpondit, curam hoc efficere domini, à quo omnia præberentur:

rentur abundè,& etiam ingererẽtur. Quo nomine porcus dicere, beatum ſe putandum, qui tantopere hominibus placeret. Vulpes non potuit ſe continere, quin fatuam & inſulſam,niſi animam pro ſale haberet,beſtiam redargueret,atque illum abducit intra villam, ante quam forte conuenerat, iubétque ſurſum aſpicere. Hoc ille vix potuit, cùm difficulter ceruicem reflecteret. Sed ſublatis oculis, ſuccidiam videt, laridum, pernas,farta. Tum vulpes: Hæc inquit, omnia ſuilla ſunt, & ad tales fructus tendit cultura tua.

Fabula docet, vitandas voluptates. Et hoc quod Græci dicunt, In ventre pingui non ineſſe ſapientiã.

Canis ſenex. 277

BONA & laudabili opera canis perſtrenui vſus aliquantiſper venator fuerat. Deficientibus autem iam viribus, & debilitatis membris, nihilo ſecus ille tamen ab hoc alacritatem & curſus priſtinos requirebat, & verbis atque verberibus ceſſantem vrgebat. Cui canis: Quam citò oblitus meritorum meorum,inquit, ita in me ſæuus es? Neque mihi prodeſt quicquam, quod benefecerim,cùm facere poſſe deſierim.

Fabula reprehendit hominum prauitatem, in




beneficijs obliuiſcendis. Dicitq́ idem, quod verſus Homericus:

οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθεν εὐεργέων, Id eſt:

Benefacti gratia rara eſt.

Muſtela. 278



IMBECILLIS iam & annis grauis muſt

muſtela mures aſſequi nõ magis poterat. Hanc igitur excogitat fraudem: In frumenti manipulos ſe implicat, eodem veniunt & mures, fruges vt erodant, hos illa ſine labore & defatigatione capit, atque deuorat.

Fabula docet, viribus deficientibus magnum in prudentia ſubſidium eſſe poſitum.

Tigris. 279

VENATOR iaculis & ſagittis feras perſequebatur, quibus fugitantibus, tigris ſe bellum ſolam ſuſtenturam eſſe profitetur: in huius, de latebris ſuis, femur, ſagittam venator coniicit. Tum illa grauiter ingemiſcere, & circumſpicere, ac quærere autorem vulneris. Cui obuiam facta vulpecula: Quis te læſit, ô fortiſſima (inquit) ferarũ? Neſcio, inquit illa, ſed ſentio viri robuſti adhibitam manum fuiſſe.

Refutat fabula temeritatem audacium. Qui autem viribus præſtant, plerunq; incautiores eſſe conſueuere. Docemur igitur hoc, vt intelligamus, victoriam non tam virium eſſe, quàm prudentiæ.

Bos & Mus. 280

OPIMVM bouem reſupinatum in ſtramento arrodere mus cœpit, & dentibus multa

multa carne denſum femur lacerare. At bos primùm caput quaſſare, & mouere cornua, mox etiam exilire, & circumſpicere ac veſtigare hoſtem. Cui mus de cauernula ſua caput exerens: Quantilla, inquit, ego beſtiola quantum animal excitare potui.

Fabula docet, ſæpe nihili & contemptos homines impunè illudere potentioribus & magnis.

Bos & Iuuencus. 281



ANTE bouem arantem, quem ætate confectum, etiam quotidianæ aratri & plauſtri trahendi operæ ſentum & ſqualidum reddiderant: ante hunc igitur exultare nitidus & petulans iuuencus, atque illius ſcabram & nudatam pilis cutem irridere.

ridere. Paulo poſt arripitur ad immolationem iuuencus, qui cùm præter bouem duceretur, demiſſo capite, & lento paſſu ingrediebatur. Tum bos: Etſi, inquit, nolim has te pœnas dare laſciuiæ & inſolentiæ tuæ, tamen cùm ita ceciderit, delector id me cognoſcere verum eſſe, quod audire etiam de meis parentibus memini: In maximis periculis verſari petulantem iuuentutem. Ac eſſe quidem ætatem hanc per ſe malis obnoxiam, ſed tum maximè, cùm accedat iniuriarum & improbitatis vſurpatio.

Præceptum & admonitio fabula narratione comprehenduntur.

Simiæ. 282

SIMIAE purpuratę inſtituebantur ad ſaltationem. Cuius cùm peritæ viderentur eſſe, productæ fuere ad ſpectaculum. Saltantibus autem obiecit quidam nuces: quibus viſis, omnibus poſthabitis & neglectis, ad nuces illæ diſcurrere, & de his inter ſe luctari ac depugnare.

Fabula hoc dicit:

Naturam expellas furca, tamen vſq; recurret.

Aſinus controuerſus. 283

DVO qui vnà iter faciebant, aſinum oberran

oberrantem in ſolitudine conſpicati, accurrunt læti, ac vterque ſibi illum vendicare, quod ipſe prior conſpexiſſet. Dum contendunt & rixantur, neq; à iurgiis abſtinent, aſinus aufugit, & ſubducit ſe oculis illorum. Ita dum vterque nondum præhẽſum ſuum eſſe vult, neuter illo potitur.

Fabula docet, inter altercandum, multa quæ placido conſenſu retineri potuiſſent, ſolere amitti. Nota etiam eſt ſententia quæ vulgò fertur:

Nimium altercando veritas amittitur.

Piſcatores & Teſtudines. 284

AD nauſeam vſque ſaturi teſtudinum carne piſcatores, cùm etiam multum adhuc illius ſupereſſet, prætereuntem forte Mercurium ad ſuas epulas inuitant. Qui non ignarus, quippe deus, quo animo vocaretur, iuſſit ſuas ipſos teſtudines vel edere vel vomere, neque poſt ſua demum faſtidia conuiuas quærere.

Prodigorum ſtultitia notatur, qui ea alijs tribuunt, quæ ipſi deſpiciunt & parui pendunt, etiam ea, quæ quantiuis interdum precij ſunt.

Coruus & Lupi. 285

PETEBAT à lupis partem prædę coruus, quos totum diem ſectatus fuiſſet. Cui illi: Non tu nos quidem, ſed prædam ſectatus

ſectatus es, eo quidem animo, vt ne corporibus quidem noſtris velles parcere, ſi exanimarentur.

Fabulę docet, ſpectari in actionibus, non tantùm quid fiat, ſed etiam quo animo & voluntate fiat.

Mus. 286

M v s natus & educatus intra ciſtam refertam nucibus, forte delatus in pauimentum, dum in ſuam domunculam redire properat, & circum illam aſſultat, attingit hunc odor ſuauiſſimus ciborum, qui eſſent in propinquo de reliquiis agitati conuiuij repoſiti: quibus guſtatis: Hęc, inquit, vt video, iucundior vita futura eſt illa, quã intra ciſtam vixi.

Fabula imperitos notat, qui nunquam ſuum oppidulum egreſſi, illius vitam & mores optimos & laudatiſſimos eſſe ſtatuunt. Dici & hac ſententia poteſt, quam adducit ſcribens Trebatio de Medea Cicero:

Multi ſuam rem bene geſſere & publicam patria procul,
Multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

Agricola. 287

A s s i d v̀ v s Cereris cultor agricola exorauerat Deã, vt ſibi frumenta ſua abſque ariſtis produceret. Ita enim rebatur

u minore

minore cum labore exculpi poſſe. Sed indefenſa grana, de matureſcente tum ſegete, auiculæ excuſſere roſtris & deuorarunt.

Fabula narratur contra votorum ſtultitiam, & oſtendit, imprudentes ſpe parui commodi in magnum ſæpe malum deferri.

Accipiter & Columba. 288

CONCITATISSIMO impetu columbam inſequens accipiter, intra villam vnà cum fugiente aue defertur, & capitur à villico. Hunc orat, vt ſe dimittere velit: Neq; enim te, inquit, læſi vnquam. Cui reſpondit villicus: Neque, vt opinor, mei te vnquam læſere, atque fracta illum gula interemit.

Fabula docet, vindicandas à principibus nō minus ſubditorum iniurias, quàm ſi ſibiipſis allata eſſent.

Aranea & Hirundo. 289

CONSPICATA aranea capientem muſcas hirundinem, contrà illius volatus explicat retiola ſua, per quæ facile lata hirundo, celeriter totum opus diſturbauit. Tum aranea: Iſta, inquit, muſcarias plagas nihil moratur.

Oſtendit fabula, imbecilles fruſtra ſe potentioribus

bus opponere, & hoc ſubijcit: Vana eſt ſine viribus ira.

Amnium ſilentia. 290

RVSTICVS tranſiturus flumen, vadum veſtigabat. Ac primum quadam parte ſe reperturum ſperabat, qua defluebat illud placidè & cum ſilentio, ſed à tentante reperitur magna ibi profunditas. Facit igitur alibi periculum, vbi quidem reperit vadum, aqua verò cum ſtrepitu & impetu decurrebat. Tum ille hæc ſecum: Nō vt video, inquit, amnium murmura & fremitus, ſed ſilentium & leues ſibili metuendi ſunt.

Non eſſe periculum fabula docet, à clamatoribus & minacibus, ſed à muſsitantibus & taciturnis. Cæſarem etiam dicere ſolitum accepimus, non metui à ſe Antonium & Dolabellam corpulentos & rubicundos, ſed Caſsij & Bruti maciem & pallorem.

Columba & Pica. 291

CVR tu, inquit pica columbæ, ſemper eodem in loco deponis oua tua, atque pullos excludis, neque redderis prudentior continuis rapinis hominum? Huic columba: Non ſinit (inquit) ſimplicitas me, neque malè ſuſpicari de aliis, neque meos ab illorum iniuriis eripere.

Oſtendit fabula, ſimplices eſſe iniuriæ & fraude expoſitos.

Cuculus & Accipiter. 292

CVCVLO & roſtrum aduncum, & acuti ſunt vngues, itaque generis accipitrũ eſſe creditur. Huic aiunt eſſe cibum vermiculos, quos de maceria & arborũ quoque ramis colligere ſoleat. Atque talem illi victum exprobraſſe, vt vilem & contemnendum, accipitrem ferunt. Quin tu me, inquit, ſpectas, qui auium carnibus veſcor, & cùm generis noſtri eſſe videaris, etiam facta imitaris? Hæc oratio, cùm mouiſſet cuculi animum, videt ille paulo poſt captum accipitrem, alligatum collo, pendere de tecto alti columbaris, in terrorem aliorum accipitrum. Tum igitur ita cuculum locutum accepimus: Nunc mihi etiã ſuauiores mei vermiculi, & gratior illa eſca futura eſt, ſine periculo parabilis. Neq; ego lautitias moror, quæ tanto diſcrimine petuntur.

Docet fabula, mediocritatem tutam optabiliorem eſſe, quàm ſit periculoſa excellentia.

Aſinus & Vitulus. 293

IN vno prato paſcebantur aſinus & vitulus. Cùm autem ſignum auditum eſſet

aduentus hoſtium, quod de more ſolebat dari pulſato ære: Fugiamus, inquit vitulus, ne in poteſtatem hoſtium deueniamus. Cui aſinus: Fuge ſane, inquit, cui cædes & mactatio ab iſtis impendet: mihi periculum nouum nullum obiicitur, quem ſeruiendi & ferendorum onerum cõditio eadem manet, tam apud ciues quàm apud hoſtes.

Fabula docet, certa & explorata miſeria cum alia miſeria commutationem non eſſe pertimeſcendam.

Capi. 294

GALLINACEI caſtrari ſolent, ita celerius pingueſcere exiſtimantur. Horum magnus numerus in villa alebatur, cúmque omnes opimi redderẽtur cibo largo, & curatione diligente, in vno tantummodo nihil proficiebat ſagina. huius maciem irridebant cæteri. Mox cùm audiſſent imperium heri, pinguiſſimi quique vt iugularentur ad cœnam, affuturos enim hoſpites intellexere ſtulti, quantopere ſibi & vitæ ſuæ, carnes, quibus dudum ſuperbiiſſent, contrariæ & nocentes eſſent.

Conſolatur fabula tenues & pauperes, illorúmque vitam docet eſſe multo tutiorem, quàm ſit locupletum, & vt Græci loquentur, τῶν παχέων.

Boues & Ilex. 295

TRABEM iligneam trahebant boues, adiuncti ad illam. Hæc autem indignari & quæri, atque boues accuſare vt ingratos, à quibus ita raptaretur, cùm frondibus ſuis ſæpe illos pauiſſet. Cui boues: Cùm nos in hac opera ſtimulis incitari vi deas, & gemitus atque anhelitus audias, debet profectò in mētem tibi venire, nos te inuitos trahere.

Docet fabula, quenque iniuriæ & damni ſui autores, non quoſlibet temerè accuſare debere.

Arbores grandes & puſilla. 296

INTER proceras & grādes & aſpectu pulcras aliquot arbores, vna enata fuerat humilis & contorta, deformíſque quibuſdam quaſi gibbis. Ergo hanc illæ deſpicere atque deridere. Mox cùm ad ædificium quoddam materia quæreretur, cæſis aliis omnibus, hæc puſilla & deformis arbuſcula ſola relicta fuit: Tum quidem illa ſtatura atque facie ſua admodum gaudens, quæ ſæpe dolori inter aliarum contemptum ipſi fuerat: intelligebat enim ſe beneficio hui⁹ retinere incolumitatē ſuā.

Monet fabula, ne nimis iniquo animo feramus, deeſſe nobis bona illa corporis atq; fortunæ, quorum. ſi quis

ſi quis omnia colligat, ſæpius nocuiſſe affluentiam, quàm profuiſſe comperietur.

Cygnus. 297

CYGNVS, qui Latinè olor dicitur, edens ante mortem (vt fertur) ſuauiſſimum carmen, interrogatur à ciconia, hæc enim illud fortè exaudierat: Quæ res illo tempore faceret, vt cantare & gaudere liberet. Huic reſpondit olor: Spe fieri bona vitæ melioris, & animi quodam præſagio futuræ felicitatis, in quam ex hac vita migrare ſe intelligeret. Quænam illa eſſe poſſet, interrogante ſtulta aue, vt eam abſolueret: An tibi illa parua videtur, inquit, quòd tum neq; quærendi victus, neq; inſidiarum metu afficiar, neq; excruciabor?

Docet fabula, mortem non eſſe extimeſcendam, quæ cùm ad meliorem bonos vitam quaſi transferat, tum à multis miſerijs abducat.

Anguilla & anguis. 298

Cur, inquit anguilla quondam angui, me captant, te tangere nolunt homines, cùm & forma tibi nõ abſimilis ſim, & nomine etiam formidabiliore? Reſpondit anguis: Quia me non facilè quiſquam ſine malo attingit ſuo.

Narratur fabula contra abiectionem & humilitatem animorum.

De Aſino, Simia & Talpa. 299

Me miſerum, inquit, & infelicem, aſinus, cui nihil natura tribuit, quod vlli animanti metuendum eſſe videatur, atque vtinam cornua illa mihi eſſet largita. Hæc audiens ſimia: Non tamen tanta, inquit, turpitudo tua, quanta mea eſt, quæ nudis viuo natibus, & ſine cauda. Cognouerat querelam amborum talpa, vt illo fortè in loco ſolum egerere cœperat. Fertur autem hæc beſtiola ſolertiſſimi eſſe auditus. Prolato igitur capitulo ſuo: Quid, inquit, querimini, cùm ſciatis me captum oculis, & ſempiternas in tenebras à natura procreatum eſſe?

Fabula oſtendit, eos, qui ſe infelicißimos eſſe exiſtiment, comparatione aliorum beatos interdum videri poſſe. Et ſcripſit perquam eleganter etiam hoc Herodotus: Si omnia omnium mala vnum in acervum congererentur, vt æqualibus partibus factis, quiſque vnam ſecum auferret, arbitrari ſe futurum neminem, qui non ſua referre ſecum, quàm alterius capere mallet.

Piſces. 300

Pisces coniecti in ſartaginem, cùm æſtum flammæ fugerent, in mediũ ignem exilientes inciderunt. Deplorantes igitur calam

calamitatem,& ſerò tum damnantes conſilium ſuum: Quanto, inquiũt, ſæuior hæc & crudelior mors futura eſt, quàm in ſartagine obita fuiſſet?

Docet fabula, ita eſſe vitãda impẽdentia pericula, ne in maiora nos ipſa fuga coniĳciat, & vt dicitur, ne Scyllam declinantes in Charybdin deferamur.

Auium & Piſcium fœdus. 301

SVSCEPTO bello cum quadrupedibus, fecerant fœdus cum piſcibus aues: inter cuius conditiones & hæc erat, certi numeri vt auxilia alteri alteris mittere deberent, quoties peteretur. Sed à piſcibus cùm ex pacto auxilia poſtularẽtur, negant illi terra mittere ſe ea poſſe.

Inſtruit ad prudẽtiam fabula eos, qui ſe cum alĳs coniungere ſtatuerunt, & docet cauere, ne ſocietatem ineant cum ĳs, quorum ſibi opera ſuo tempore praſto aut vtilis eſſe nequeat.

Aquila & Pica. 302

ORASSE quodam tempore pica dicitur aquilam, vt ſibi quoque locum inter eos eſſe pateretur, quorum opera in regni adminiſtratione vteretur. Neque enim vlli ſe facile cedere, vel corporis agilitate, vel ſpecie, vel prompta lingua. Cui aquila reſpondiſſe fertur: Fortaſſe illius ſe ope-

tam non repudiaturam fuiſſe, niſi tanta linguæ celeritate atque agilitate prædi-tam eſſe ſciret.

Docet fabula, loquacium & garrulorum familiaritatem à prudentioribus reſpui ſolere.

Turdus & Hirundo. 303

DICEBAT ad matrem hirundo: O mea mater, quàm elegantem & commodum amatorem mihi reperi? Quemnam, mea filiola? inquit illa. Turdum, inquit hirundo. Tum mater: Mea filia, inquit, non bene illi tecum conueniet, cùm tu frigus ferre nequeas, ille calorē: & tu ver ſequaris, ille brumam petat.

Monet fabula, vt in amicitia iungēda volūtatem & ſtudiorum atque vitæ ſimilitudinem ſpectemus.

Ruſticus Canis & vrbani. 304

FVGIENTEM canem ruſticum vrbani cum ingentibus latratibus inſequebantur, qui tandem cōfidentia capta ſubſtitit, & contra illos dentibus infrendens ſeſe conuertit. Tum vrbani cohibito curſu, ſubſtitere & ipſi, neque vlterius procurrerunt.

Fabula dicit id, quod Teutonica lingua tritum prouerbium: Agitari fugientes. Nam fortis animus

nius plerunque in periculis maximo præſidio eſſe conſueuit.

Teſtudo & Ranæ. 305

TESTVDO, cùm videret leuitatem & agilitatem ranarum eſſe maximam, deplorabat inertiam ponderis ſui, & teſtæ grauitatem. Mox cùm cerneret eaſdem capi, ac deuorari & ab auibus & à piſcibus: Quanto, inquit, ſatius eſt viuere tardam, quàm expeditam mori?

Docet fabula, accuſari per inſcitiam ſæpe naturæ ſalutaria dona.

Glires & Quercus. 306

NI conſcendere cum frequenti labore quercum ad glandes rodendas cogerentur glires, cōueniſſe dicuntur ad hanc effodiendam, vt per otium glandibus, illa euerſa, veſcerentur. Tum vnus natu grandior, & ætate peritior: Sed ſi nunc eradicauerimus, inquit, nutricem noſtram, quamuis in præſentia copioſus victus nobis ſuppeditatus ſit, in poſterum tamen fame & inedia nos confici neceſſe fuerit.

Monet fabula, ne ſpe præſentis commodi & futura bona euertamus, & mala nobis accerſamus.

Canis fugitiuus. 307

HABEBAT quidam in delitiis canē, quem

quem ipſe paſcere & palpare ſolebat, inſolentiorem autem caſtigari verberibus ſæpe iubebat à ſeruo. Quodam tempore aufugit canis, cum quo retracto expoſtulare ille, quòd diceret erga ſe fuiſſe canem ingratum & immemorem, quippe quem ipſe curaſſet diligentiſſimè, neque digitulo vnquam attigiſſet durius. Tum canis: At ſeruus, inquit, quoties tuo iuſſu, quàm atrociter me verberauit?

Docet fabula, non ſolùm manibus & factis iniuriam fieri, ſed etiam conſilio & ſubornatione.

Scarabei & Aues. 308

MAGNVS timor inceſſerat aues, ne ſcarabei fundis ſe proſternerent, à quibus cernerent tantam vim pilarum de ſterquilinio cõglobari. Tum paſſerẽ (aiunt) conſolatum genus ſuum, & iuſſiſſe habere bonum animum, quòd volucribus à ſcarabeorum pilis nihil eſſet periculi, quas illi tanto molimine & conatu ægrè per terram inuoluerent.

Fabula monet, ne temere aduerſariorum apparatu territi, victoriam, quæ in fortitudine noſtra fuiſſet, illis concedamus ignauia.

Vrſus & Apes. 309

ICTVS ab apicula vrſus, ira incenſus,

ſus,in apiarium irruit, & aluearia populatur. Tum apes impetu facto totis examinibus in illum irruunt, de quorum vix elapſus aculeis: Quanto, inquit, vnum apiculæ vulnus perpeti me ſatius fuerat, quàm tantas copias harum excitare iracundia mea?

Narratur fabula contra impotentiam iracundiæ.

Auceps & Fringilla. 310

EXPLICATIS retibus,& ſparſa eſca, aſſedit in inſidiis auceps,aues vt præhenderet:ſed quotquot aduolaſſent, paucæ illæ videbantur: itaque ſaturatas auolare de area patiebatur, expectans aduentum plurium. Qua in ſpe & cupiditate toto die cōſumpto, vnam veſperi miſeram fringillam,quæ ſola ad eſcam aduolarat,capit.

Docet fabula,auaritiæ infinitas cupiditates etiam parta ſæpe amittere.

Equus nouitius. 311

MERCATVS quidam equum, cùm prius haberet valde ſtrenuum, aliquanto cum maiore cura illum aluit, quàm alterum. Hoc mirari ipſe quoque, atq; de ſocio cauſſam exquirere. Quid enim,inquit, eſt, cur me impenſius curet herus, multis

nomi

hominibus te inferiorem? Neque enim forma, neque velocitas, neque vires meæ cum tuis comparandæ ſunt. Cui ille: Nihil, inquit, nouum neque mirum herus facit, ſed hominum more prioribus poſteriora, & recentia vſitatis præfert:

Fabula leuitatem vulgi notat, & nouarum rerum ſtudium.

Canis & Sus. 312

Ad aucupia canes diligenti & exquiſita cura atque ratione erudiri & inſtitui ſolent, & ad ſilentia, verberum minis & aurium vellicatione aſſueſiunt. Certæ autem nationis hi deliguntur, quorum imprimis bona ſagaxq; natura ſit. Huius generis vni iſtam ſeruilitatem exprobraſſe opimum & pinguem ſuem aiunt. Cui ille: Se non pœnitere breuis moleſtiæ, reſponderit, qua vitam ſibi comparaturus ſit delicatam, neque pigere in præſentia tædij aliquantulum deuorare; vt lautiſſimis diu poſtea cibis perfruatur.

Fabula hortatur diſcipulos bonarum artium & virtutis ad labores, qui in diſcendo exhauriedi ſint, perferendos, ſpe maximorum commodorum, & iucundiſſimæ vitæ.

Trabs

Trabs & Boues. 313.

Q v i trabem boues trahebant, vnde tignum fieret, increpabantur ab illa, quòd anhelantes in pigritia lento gradu incederent. Cui vnus de bobus: Nos tamen, inquit, hoc mox onere liberati acquieſcemus, cùm tibi paulò pòſt imponendum vſque ad cariem ſit ſuſtinendum.

Subijcit fabula præceptum humanitatis, vt vereamur inſultare miſeris, cùm fieri poſſit, vt nos multò maior calamitas maneat.

Carduelis. 314

A v o l a r a t carduelis, quam diu puer in delitiis cicurem habuerat. Hanc ille geſtu & voce reuocare, & dare operã, vt blãditia verborum pelliceret ad reuerſionem. Nam cur, inquit, mea tu, fugis, aut quid tibi triſte aut contrarium, dum mecum fuiſti, vnquam accidit, vel quid potius ad beatam vitam defuit? Nihil, inquit illa, ſed meo arbitratu viuere mihi maximè libet.

Docet fabula, nullum bonum libertate bono melius aut præſtantius eſſe. Et illi Spartani in Polymnia, Perſam aiunt, ſi ſciret quàm ſuaue eſſet in libertate viuere, autorem ipſis futurum fuiſſe, οὐκ ἂν δόρασι περὶ αὐτῆς μαχέσθαι, ἀλλὰ καὶ πελέκεσι,

Gulæ

Gulæ deditus. 315

GVLAE deditus quidam ad epulas inuitatus in rus, quòd abeſſet paulò ab vrbe longiùs, dum proficiſcitur ſpe ſingularium lauticiarum & opiparè inſtructarum dapum, in itinere pira reperta ita ſpreuit, vt etiam per deriſionem lotio ſuo aſpergeret. Cùm autē riuus, quà tranſeundum fuerat, ſubitò ea nocte ad altitudinem excreuiſſet tantam, vt cum manifeſto diſcrimine ingreſſurum ſe ille aquas intelligeret, redire triſtis, atque poſt ereptam ſpem copioſi cibi acerrimè etiam eſurire cœpit. Itaque cùm ad pira, quę dudum comminxerat, veniſſet, deterſa illa arroſit, & hanc eſcam obiecit ieiunis & latrantibus inteſtinis.

Fabula docet, contemptus & faſtidij ſæpe has pœnas dari, vt quæ paulò antè homines ſpreuerint, & abiecerint, ea mox appetant & amplectantur.

Equus & Porcus. 316

ALACRITER ad pugnam equus & armatus ipſe, & armatum equitem vehēs, proficiſcebatur. Hunc conſpicatus porcus de luto, in quo volutabatur: Heus tu, inquit, quo properas, ignarus an vitam in prælio amiſſurus ſis? Cui equus: Etiam tibi,

tibi,inquit,mors impendet,& quidem oppetenda ſine laude, vbi tuo domino ſatis pinguis factus eſſe videberis:ac mihi quidem animam, ſi ita cadat, viri fortis, tibi lanij manus ereptura eſt.

Fabula, honeſtam mortem non nimium pertimeſcendam, docet, cùm etiam in ſumma ignauia illa euitari non poſſit.

Venator & Cerdo. 317

CERDO ad venatorem quodam tempore deueniſſe dicitur, & petiiſſe ab eo, ſibi vrſi pellem vt venderet. Venator ſibi illo tempore vrſi pellem non eſſe reſpondit, ſed ſi vellet pecuniam numerare, curaturum ſe poſt dies paucos vt haberet, cùm vrſum cepiſſet, cuius luſtrum iam ſibi exploratum eſſet. Itáne, inquit cerdo, facilè eſt vrſum capere? Mihi quidem, inquit venator, nequaquam difficile hoc fuerit, inter feras & in ſiluis pene à puero verſato. Licétne, inquit cerdo, te comitari? nã mihi libet ſpectatorem eſſe talis venationis. Licet, inquit venator, mecum perendie in ſiluam abeas. Quo cùm eſſet ventum, apparuit ſtatim vrſus, belua ingens & horribilis. Cerdo tum celeriter arborem conſcendit. Venator adortus feram fortiter, cùm tamen hæc excuſſiſſet ictum, recor-

dans quod audiiſſet, non ſolere vrſos cadauera morſu attingere, in terram ſe, quaſi mortuus eſſet, abiecit. Vrſus autem naribus ad os & aures illius admotis, captare anhelitum, & tentare an ſpiraret. Sed illo animam continente, vrſus mox diſceſſit. Tum igitur & venator ſe erexit, & cerdo de arbore deſcendit, atque iam animis receptis, inter alios ſermones, percontari cerdo de venatore, quid in aures ipſius fera inſuſurraſſet? Cui venator reſpondit: Monuiſſe illam diligenter, ne poſthac vnquam vrſi pellem, nondum capto & confecto ipſo, vendendam exiſtimaret.

Fabula hoc, quod græcum prouerbium: Non eſſe ante victoriam exultandum, admonet, ne ſecuritate & temerarijs animis dubia pro certis habeamus.

Leo & Mus. 318

LEO captus laqueo, orat murem, ſe vt corroſis plagis liberet de impendente interitu, promittitq; ſe accepti beneficij nunquam eſſe obliturum. Mus facilè quod leo flagitarat cùm effeciſſet, petiit ab illo, vt filiam ſibi collocaret in matrimonium ſuam. Leo, quamuis res ea ſibi videretur indigna & abſurda, noluit tamen autori vitæ & ſalutis ſuæ quod poſtulauerat denegare. Spondet igitur filiam, ſed hoc tamen

men monet, cogitet muſculus, vix fieri poſſe in tanta inæqualitate, nuptiæ vt felices ſint. Sed mus in ſententia permanſit. Cùm igitur noua nupta leæna iuuencula & ferox ad maritum deduceretur, obuium eum non viſum neque animaduerſum, pede conculcatum obtriuit.

Fabula oſtendit, amicitias potentum eſſe periculoſas, etiam non rarò damnoſas humilibus, & paruorum ſodalium eſſe expetendum vſum paruis. Sed & hoc monet, quòd prouerbium græcum, tranſlatum de turbinis ludo, agitandum aptum & conuenientem. Vnde hoc factum,

Quæ cupis egregiè nubere, nube pari.

Cera. 319

CERA inuidebat lateribus duritiem, quam de igne conſequi illos videbat. Abiecit igitur & ſeſe in flammam, futurum ſperans, vt & ipſa indureſceret: ſed contra accidit, celeriter vt difflueret, & liquefacta ab igne conſumeretur.

Docemur, non eſſe appetenda ea, quæ ſint à natura nobis denegata.

Agricola. 320

CVM eſſet pertæſum agricolam ſempiterni laboris in terra fodienda & aranda, inq; varia & difficili cultura aruorum, ani-

mum ille ad militiam adiecit, quòd multos audiſſet rem & famam belli gloria quæſiuiſſe. Fundo igitur vendito, exornatus & inſtructus armis cæteriſq; rebus neceſſariis, militatum abit. Sed re malè geſta, vulneribuſq; acceptis vix ſeruatus de prœlio, mercaturas potius facere ſtatuit, quod & his locupletatos & auctos quamplurimos animaduerteret. Nauem igitur conducit, & merces comparatas diuerſorum generum in illam imponit, ſpe magna futuri lucri. Sed cùm veheretur in mari, de improuiſo (vt fit) tempeſtas oritur, & naui fracta, ipſe vna cum mercibus fluctibus obruitur atque perit.

Fabula hoc dicit: Temere mutantes conditionem & fortunam ſuam, plerunq; quod fugerint relinquendo, alibi reperire duplicatum.

Amnis. 321

CONTEMPSISSE præ ſe amnis fontes ſuos fertur, cùm & ipſe piſcibus abundaret, & flumine largo, nec non grato alicubi murmure, delaberetur. Quin etiam, inquit, tu intra muſcos iſtos tuos & herbulas delites, ego præter & amœniſſima loca terrarũ, & celeberrimas vrbes, & populos ac gentes maximas feror. Fontibus offenſis ſuperbia & proteruitate alumni, placuit

placuit reprimere ſcaturiginem ſuam. Ita origine exſtincta, celeriter defecerunt vndæ fluuij, & amnis exaruit.

Notat fabula eos, qui ſibi arrogant autoribus ea bona, quæ aliunde accepere. & docet, ab ingratis teterrimi vitij grauiſſimas pœnas dari ſolere.

Cornicis conſilium. 322

AVES deliberabant de creandis pluribus regibus, quòd ſola aquila tam lati imperij habenas moderari poſſe non videretur. Sed cornix hoc agendum non cenſuit: Nam & faciliùs, inquit, atque citiùs vnum dolium completur, quàm multa, & ad plura diuerſaq; ſigna eodem momento oculos dirigere quis poſſit?

Fabula & populis multitudinem imperantium oneroſam eſſe, & non benè regere plures indicat, ſecundum ſententiam Homericam:

Non benè turba regit. Rex gentibus imperet vnus,
Vnus & acceptas rerum moderetur habenas,
Qui Saturnigenæ tenet iſtud numine donum,
Vt ſceptro populos & iure coherceat æquo.

Aſinus ægrotans. 323

INCREBVERAT fama, aſinum iacẽtem in morbo non procul à morte abeſſe. Veniunt igitur ad domum, in qua ille decumbebat, canes & lupi, & oſtium aperiri, & ſe intromitti ad viſendum ægrotũ po-

ſtulant. Sed aſellus paruulus per rimam ianuæ reſpondit: Nihil hoc officio opus eſſe patri ſuo, atque eum melius etiam valere, quàm ipſi vellent.

Simulata & fallacia officia hac fabula notantur.

Mulier & Nux. 324

MVLIER nucem interrogaſſe dicitur, quare afflicta illa demum vberes fructus ferret? Quia enim & tu, inquit nux, verberibus affecta melior reddi, & aſinus plagis incitari ſolet.

Fabula docet, quod in alium dicatur, audiendum etiam eſſe, iuxta verſum Homericum:

ὁπποῖον κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖον κ' ἐπακούσαις.

Aſini vota. 325

CVM hiems aſino ob frigus & arida pabula admodum grauis videretur, expetebat ille ardentibus votis verni temporis viriditatem & teporem. Sed illo tempore, cùm crebriore agitatione exerceretur, æſtatem aduenire optauit. Quæ cùm præter alios labores etiam onera frumenti ex area & fructus ex hortis deportandos ipſi imponeret, reliquus erat autumnus, quem expectabat quietiorem. Sed per illum quoque vindemiæ & lignatus moleſtiis & defatigationibus preſſus, ad hiemis

hiemis reuerſionem deſiderium ſuum retulit.

Docet fabula, totam vitam in laborum tempora diſtribui. Nam ſecundum Menandri verſum:
δεῖ τοὺς γενομένους, μέχρις ἂν ζῶσιν, πονεῖν.

Notat & vulgarem leuitatem, quæ præſentem fortunam nunquam boni conſulere ſolet, ſecundum Horatianum hoc,
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Mures & Felis. 326

MVRES felem placidè accubãtem cùm multum & diu contemplati fuiſſent, tum vnus: Libet, inquit, cum iſta mitiſſima (vt apparet) & manſuetiſſima animante familiaritatem contrahere. Atque his dictis ad felem acceſſit, & blandè compellauit, quæ illum ſtatim compræhenſum dilacerauit. Hoc intuẽtes alij mures: Quantopere, inquit, noſtrum popularem ſpecies fefellit?

Fabula docet, de vultu & ſpecie animum atque mores certò intelligi non poſſe. πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Et impoſtores & inſidioſi ſimulant beneuolentiam, & odium atque conſilia pernicioſa tegunt, ſecundum hoc:
ἔσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον. ὀδυσ. ρ. Et hoc:
εἴτ' εὖ μὲν βάζουσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέουσι. ὀδ. σ.

Aſini lapſus. 327

Asinvs poſt longam & probatam ſeruitutem ſuam, & multas onerum atq; baiulationum egregias operas, quodam tempore ſub valdè graui onere, cùm ad ſaxum improuiſum offendiſſet, in via cecidit. Tum accurrit agitator, & acerbiſſimis verbis, atque vehementibus etiam plagis, illum petit. At aſinus ſecum, & ſuam conditionem deplorare, & accuſare ingrati domini ſæuitiam, qui oblitus omnium priorum, ob vnam fortuitam offenſam tam grauiter ſe affligeret.

Fabula ſignificat, ferè homines quid quoq; tempore fiat, non quid aliquando factum ſit, ſpectare, & vnum ſæpe delictum memoriam multorum egregiè factorum inducere ac delere.

Hyſtrix & Lupus. 328

Hystrix Africanum & Indianum eſſe animal perhibetur, non abſimile erinacio, ſed longioribus aculeis armatum, & iis quidem miſſilibus, quos ſoleat eiaculari in perſequentes. Huic inſidians lupus, vt ſpicula ponat, neq; ſe illis ſine cauſſa perpetuò oneret, ſuadet. Cùm autem opus ſit, & res poſcat, tum vti reſumat. At illa: Nunc igitur, inquit, his opus, nam lu-

po iner

po inermem occurrere periculoſum eſt.

Fabula monet, vt aduerſus hoſtium & inimicorum vim ac fraudes ſemper muniti & defenſi eſſe ſtudeamus.

Mus & Miluius. 329

IRRETITVS & implicitus laqueis miluius exorat muſculum, ſe vt liberet. Hoc ille facilè corroſis plagis efficit: tum miluius eum arripit & deuorat.

Oſtendit fabula, quam gratiam pro beneficijs acceptis mali reddere ſoleant.

Teſtudo domigera. 330

ALIVD aliis animantibus à Ioue donum petentibus, facultatem hanc petiiſſe teſtudo fertur, domum vt ſuam abſq; incommodo quolibet ſecũ circunferre poſſet. Quid ad hoc petendam ipſam moueret interrogata, reſpondit: Malorum vicinorum metum, in quos ſi fortè incidiſſet, nihil eſſet negotij futurum, vt migratione ſua declinaret, ſi domum portatilem haberet.

Infamat vicinitatem improborum fabula, rem deterrimam & execrabilem, bonorum autem vicinitatem commendat, ſecundum Heſiodi verſum:

πῆμα κακὸς γείτων. ὅσσαπερ ἀγαθὸς μέγ᾽ ὄνειαρ.

Erinacius & Vipera. 331

IMPETRAVERAT à vipera erinacius per brumæ frigora in ſuam ipſum vt cauernam acciperet. Cùm autem in anguſto loco ſpinis hoſpitis pungeretur vipera, poſtulat vt ſuam domum ſibi relinquat, & alio demigret, cùm intelligat illam ambos capere non poſſe. Sed erinacius fertur reſpondiſſe: Si quis durare illic nequeat, ei ſua cauſſa vt exeat licere, ſibi diſcedere in animo non eſſe. Si vipera habitatione offendatur, poſſe hanc mutare. Ita hoſpitis iniuria cauernam ſuam illa amiſit.

Fabula monet, ne cum illis nos facilè coniungamus, in quorum poteſtate nos aut res noſtræ poſtea futuræ eſſe videantur.

Lepus & Vulpes. 332

ANTEPONEBAT ſe vulpi lepus, cui pedum pernicitate prȩſtaret. At vulpes dicere, ſe ingenio vincere, cuius eſſet multo & frequentior & præclarior vſus quàm pedum.

Fabula, incredibilem eſſe, ait, bonitatem prudentiæ, neque corporis maximas dotes, cum minimis animi dotibus comparari rectè poſſe. Itaque & ab Apollonio introducitur præclarè Amphion, qui ſuo cantu bis tanto maiorem lapidem alliciat, quàm nitendo ſummis viribus Zethus afferre potuiſſet.

Lupus. 333

INDVERAT pellem ouis lupus, atque cùm ita ignoraretur, aliquantiſper impune in gregem fuit graſſatus. Sed paſtor mox animaduerſa fraude, necatum hunc de arbore ſuſpendit. Hoc qui pelle decipiebantur admirantibus: Pellis quidem eſt, paſtor inquit, ouis, ſed ſub hac lupus latebat.

Habitu & vultus indicia non habenda pro certis, fabula docet, & ideo facta atque rem ſpectari oportere.

Canis & Paſtor. 334

PASTOR depræhenſum canem, cui cuſtodiam gregis commiſerat, in cæde & deuoratione ouis, arripit interfecturus, ſicuti commeruerat. Cui canis: Cur tu, inquit, tuos vis perdere? Meos quidem, inquit ille, nocentes & ſceleratos multos quàm externos magis, præſertim eos, à quibus fidelitatem & beneuolentiam ſperauerim.

Fabula hoc monet: Non mirandum neque grauiter ferendum, ſi inimici nos lædant, qui profiteantur odia ſua, vt niſi cauerimus, neminem niſi nos ipſos accuſare debeamus. Sed hoc eſſe indignũ & animaduertendum, ſi amici & beneficijs à nobis affecti animum mutent, & fallant opinionem noſtram, & inſidientur capiti fortunis'ue noſtris.

Aries

Aries & Taurus. 335

ARIES, qui inter pecora principatum teneret, ſuperbia elatus cum tauro congredi auſus fuit. Qui ita illum accepit, vt moribundum relinqueret in deploratione temeritatis & ſera pœnitentia.

Fabula monet, non eſſe adoriendos viribus præſtantiores.

Aquila & Cuniculus. 336

AQVILA raptos pullos cuniculi detulerat in nidum ſuum, quem in altiſſima arbore fixerat. At mœſta mater, vt ſuis parcat, per omnes illam deos miſerorum curatores obteſtatur. Sed aquila cuniculi precibus contemptis, & deſpecta humilitate, dilacerat pullos cuniculi, & ſuis præbet diſcerpta membra. Hic verò dolore & ira commotus, ſuo cum genere conqueritur aquilæ vim, & vt quiſque ſibi idem, quod ipſe pertulerit, accidere poſſe cogitet, neque illud facinus impune ferre aquilam ſinant, hortatur. Ita concorde illi ſtudio ad eruendam arborem, in qua nidularetur aquila, conueniunt, & egeſta à radicibus illius terra, omniq; circum eam ſolo ſpecubus excauato, ita impulſa arbor leui flatu paulo poſt in terram proſternitur. At

pulli

pulli aquilini partim ruina, partim raptu terreſtrium ferarum, interiere, & orbitati cuniculi gratiſſimum ſpectaculum præbuere.

Docet fabula, ne quis potentia aut viribus fretus alium quemlibet deſpiciat: nam & infirmitatem ſæpe acceptas iniurias vlciſci.

Lupus piſcis. 337

LVPVS piſcis robore & magnitudine eximia præditus, fluuij cuiuſdam imperium tenebat. Hunc ſuperbia & faſtidium præſentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De oſtio igitur fluminis in pelagus enatat, atque ibi Delphino regnatori occurrens, cùm & forma & mole inſueta terreretur, adoriente etiã hunc hoſtiliter Delphino, fuga ſe in amnem ſuum recepit, neque poſtea vnquam extra oſtiũ excurrere auſus fuit.

Hoc fabula docet, ne quis ſibi neminem parem reperiri arroganti opinione perſuadeat, ac potius vt cogitet, id quod Teutonico prouerbio fertur, etiam trans riuum homines inueniri.

Vulpes & Lepus. 338

ORABAT vulpes Iouem, vt calliditatem ingenij ſui velocitate curſus ornare vellet, lepus autem celeritati ſuæ adiungi

verſutum

verſutum animum petebat. Iouem his ferunt reſpondiſſe: A ſe in animantes ſingulas liberaliter eſſe certa dona & beneficia collata, neque vni ſe largiri omnia oportuiſſe. Hanc enim benignitatem erga vnum quempiam, ſummam iniquitatem erga vniuerſos alios futuram fuiſſe.

Hoc ait fabula: Non vni dat cuncta Deus.

Senex & Adoleſcens. 339

CONSPECTVM ſenex adoleſcentē, qui de ſua arbore poma carperet, hortatur, vt alienā ne inuadat neq; rapiat. Hunc adoleſcens de arbore irridere, & poma, vt cœperat, decerpere. Tum ſenex: Herbas, inquit, audiui magna vi & efficacitate pollere: vellit igitur herbas, & contra adoleſcentem proiicit. Hic verò in cachinnos effundi, & ſenem delirare credere. Ibi ſenex, Nihil quidem herbarum, inquit, vt intelligo, vires erga iſtū valuere, ſed & lapides, de quibus ſæpe mira, quantum illi poſſint, audire memini, experiar: atque collecta ſaxa in furem coniecit, itaq; illum de ſuis pomis facilè abegit.

Fabula Terentianam ſubijcit ſententiam:
Omnia prius experiri quàm armis, ſapientem decet.
Docet & hoc, ſenilem & prudentiæ, quæ huius ætatis propria eſt, eſſe impetum lentum, ſed vehementem.

Mus inter caricas. 340

IN aceruulo caricarum depaſcens illas latitabat mus. Hunc dominus vna cum caricis, quas ſuſtulerat, manu fortè compræhendit. Tum mus illius digitos morſu arripuit, at ipſe eum vna cum caricis abiecit, & mox: Nihil, inquit, tam eſt puſillum, quin ſperanda illi ſalus ſit, contra aduerſarios ſi defendere ſe & vim propulſare auſit.

Fabula docet, in periculis præſentem animum, plurimum afferre momenti ad ſalutis conſeruationẽ.

Luſcinia & Accipiter. 341

LVSCINIA accipitrem, à quo compræhenſa fuerat, orabat, ſe vt amitteret, neque id eum gratuito facturum eſſe aiebat. Precium quodnam futurum eſſet roganti accipitri, reſpondit, ſuauiſſimi carminis ſonos. At ego, inquit ille, non aures meas, ſed ventrem expleri cupio.

Fabula poteſt ad duos ſenſus eosq́, diſsimiles accommodari. Primùm, vt intelligamus, imperitos homines liberalibus ſtudijs atque artibus non capi. Alterum, neceſſaria iucundis anteferri oportere.

Culex & Apes. 342

BRVMA à frigore & inſuper fame laborans

borans culex, ab apibus petiit, intra ipſorum aluearia recepto ſibi vt cibum impertirent, ob quod meritum ſe illorum filios canendi artem edocturum eſſe policebatur. Tum vna de examine: Nihil, inquit, tua eſt arte opus liberis noſtris, qui à nobis multo meliorem & magis ſalutarem diſcere poterunt.

Monet fabula, ita inſtituendos liberos, & eiuſmodi artibus inſtruendos, vt ſua opera ipſi victum ſibi quærere ſciant. Subijcitur & verſuum horum ſententia, qui à Laërtio in Menedemo Cynico referuntur:
γνώμαις γὰρ ἀνδρῶν εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκος, οὐ ψαλμοῖσι καὶ τερετίσμασιν.

Leo, Aſinus, Lepus. 343

Leo cùm bello contra volucres ſuſcepto copias ſuas recenſeret, prætereunte aſino & lepore, quaſnam ad res vti poſſe ſperaret, vrſo interroganti, reſpondit: Aſino tubicine, & lepore tabellario.

Fabula docet, neminem eſſe tam paruum aut humilem, cuius non aliqua in re opera vtilis eſſe poſſit.

Accipitrum Pax. 344

ACCIPITRES quodam tempore inter ſe acerrimè belligerabantur. Hos columbæ in gratiam reducere & à dimicatione mutuisq; cędibus abducere conatę, perfece

perfecere, vt pacem illi inter ſe facerent. Qua firmata tam in columbas quàm reli quas minutas auiculas ipſi cõcordes vim & vngulas ſuas conuertere.

Fabula docet, vtiles eſſe ſaluti bonorum diſcordias malorum. Vt ferant Melanthium, ſiue ioco ſeu ſerio, dicere ſolitum, rempublicam Athenienſium ſeruari diſſidijs oratorum. Quòd, cùm non incumbant vniuerſi quaſi in vnum latus nauigij, fiat, vt ab altera parte veluti pondere oppoſito adminiſtratio libretur.

Canis & Adoleſcens. 345

CANIS rapta carne fugiens adoleſcẽtem, qui ipſum cum fuſte perſequeretur, ita vt perfugium proximum oblatum fuit, in culinam ſe recepit. Adoleſcens ira concitus intorquet fuſtem, coniecturus in canem: ſed ille modica declinatione vitauit telum, quod in nouercam adoleſcentis illatum, quæ forte ad focum ſederet, talos illi fregit. Tum adoleſcens: Bene, inquit, factum, nam ne ſic quidem erratum eſt.

Fabula docet, quacunq; occaſione malis mala dentur, nihil illis indignum accidere poſſe.

De Mula. 346

Sequentem fabulam, narratam in expoſitione vitæ Aeſopicæ, iterum viſum eſt memorare.

MVLA Lydia, cùm in flumine ſuam

imaginem conſpexiſſet, forma & ſtrenuitate equis ſe cedere negabat. Caput igitur quaſſans, & iubas iactans, incitabat ſeſe ad curſuram. Aderat & aſinus illis in locis, qui forte tum rudere cœpit, quo ſonitu audito atque agnito mula: Profectò, inquit, pater meam caſtigat ſuperbiam.

Fabula non ſolùm bona & virtutes, ſed & mala ac vitia noſtra vt conſideremus, & Euripideam ſententiam quoq; ſubijcit, quam ſuperius quidem, ſed & hoc loco iterum ſactam latinè aſcribere voluimus:

Humilem facere quamuis virum ferrem ſolet
Matris patriſue turpitudo cognita.

Pardus & Vulpes. 347

PARDVS fere eſt variis colorum diſtincta maculis: eam cum vulpe de forma certaſſe accepimus. Diſceptatum fuit corã erinacio: Pardus commemorare cœpit, forma eos facilè præſtare reliquis, quorum aſpectu plurimi delectarentur, ſed varietatem habere iucunditatis plurimum, ſicut prata quoque inſignia diuerſis floribus maxima oculos voluptate perfunderent. Iuſſa ad hæc dicere vulpecula: Intus me, inquit, de animo non de pelle noſcito, atq; ita varietatem contra me oſtenta tuã.

Hoc indicat fabula, certiſſima eſſe iudicia, quæ à ſpecie externa quàm longiſſimè abducta ſint.

Paſtores.

Paſtores. 348

Hanc etiam ipſam fabulam prius expoſitam iterum placuit referre, paulo quidem aliter.

PASTORES cæſa oue conuiuiũ intra tabernaculum agitabant. Quod cùm lupus, qui prædandi cauſſa caulas circuibat, fieri cerneret: Ego, inquit, ſi agnũ rapuiſſem, quantum tumultus excitaretur? at iſti impunè parentem vorant. Tum vnus his auditis: Noſtra enim (inquit) ſcelarate, non aliena oue epulamur.

Docemur hac fabula, & potẽtes impunè peccare, & horum delicta non facilè reprahendi à quouis debere. Narratur fabula eadem ſententia & de mulierculis comedentibus gallinam, ac vulpe, quæ dixerit: Ego ſi hoc facerem, omnes iam canes in me incitarentur.

Lupus ſaltans. 349

HIEME quærebat eſcam lupus, & anſerem nactus in ſiluas deuoraturus hunc aſportauit. Qui videns de ſe eſſe actum, niſi conſilium callidum excogitaret, quo eriperetur è dentibus ſæuiſſimę beſtię, valle orat lupum, quoniam ſibi moriendum eſſet, mediocriter ſe delectari, ſine quidem incommodo ipſius ac moleſtia. pateretur, ſinus poſtea [illegible] mortem vt ferret: lupus iub[illegible] petere, quid cõcedi ſibi velit.

Tum ille reſpondit,choreā ſe cupere agitare,quā ipſe ducat.Lupus,qui nihil fraudis metueret,age(inquit)fiat,& læuæ alæ pennam eminentiorem præhendens,cum anſere ſaltare cœpit. At hic occaſione fugæ oblata, relicta penna in ore lupi,auolauit.Lupus cum gemitu auolantem proſequens: Me miſerum, inquit, non oportuit ſaltare ieiunum.

Fabula monet,nihil rectè alieno tempore fieri.

Adoleſcens & Equus. 350

CONSCENDERAT adoleſcēs equū furibundum: illóque, qua via quáque nulla via eſſet, auferente miſerum, non enim vires adoleſcentis ad cohibendum impetum equi ſatis, neq; in hoc deſiliendi poteſtas erat. Plorare igitur ille & lamentari. Tum forte obuiā huic notus & familiaris factus: Quonam abis? inquit. Cui reſpondit infelix eques: Quo quidem iſti, equum demonſtrans,lubuerit.

Similiter vehuntur ij,in cupiditates qui ſuas ſeſe impoſuere.

Oſcines. 351

PROFICISCEBATVR ad bellum homo ſane timidus, qui [illegible]nidū egreſſus coruos circum ſe crocitātes cu[illegible] audiret,

[illegible]

atque cerneret,domum rediit,auſpicio territus. Poſtero die idem repetenti iter,iidẽ cantus atque volatus oſcinum impedimẽto fuere. Tum ille indignatione cõmotus: Vos,inquit, quantum quidem vultis clamoris hîc edite,ſic tamen ne carnes etiam meas diſtrahatis.

Hanc fabulam, cùm munus flagitaret à Phocione populus Athenienſis, narraſſe illum Plutarchus ſcribit,ciuibus ſuis. Cùm quidem prius negaſſet ſimpliciter, à ſe donum poſci oportere,à quo trapezita non ceſſarent debita exigere. Atque ab hoc refutatos fuiſſe apparet Athenienſes, qui vellent vltra vires ac facultates ipſum liberalem & munificum eſſe erga ſe: Et oſtendiſſe illis,quod aliis obſequentibus vulgi ſtudio & plebeia auræ captatoribus acciderei plurimis, vt rem ſeq. perderent,id ne ſibi vſu veniret,prouiſurum ſe eſſe. Qua ſententia & à nobis fabula hac legetur.

De Philoſopho timido. 352

FVISSE aiunt apud veteres ex eorum quendam numero,qui ſapientiæ ſingulare quoddam ſtudium & vſum profiterentur, vnum qui magnopere iactitaret fortitudinem, & altitudinem animi ſui, in deſpiciendis non modò iis rebus quas alij admirarentur & præclaras ducerent, verumetiam iis,à quibus omnes abhorrerent & refugerent.Prædicare autem ſole-

 bat,

bat, quàm minime mala & metuẽda eſſet mors. Accidit, vt ipſe in grauiſſimos dolores morborum incideret, & audiret quendam ſibi notum & amicum hominem & eiſdem ſtudiis deditum, miſeriis & malis vitæ eripuiſſe ſe voluntario interitu, cùm venenum hauſiſſet. Ibi recordatus ſermonum ſuorum: Date igitur mihi quoque inquit. Percontantibus qui aderant, quid peteret? Ille mortis cogitatione perculſus, & ad cupiditatem vitæ relapſus: Mulſum, inquit, afferte, neque enim naturæ debeo ipſe opus delere, quæ quod extruxit etiã euertet vbi viſum fuerit.

Docetur hac fabula, facile eſſe ante periculum & vt Græci aiunt, extra telorum iactus, fortiter loqui.

Ruſticus adoleſcens & Fluuius. 353

MISERAT cum caſeolis paucis & butyro ad oppidum anus ruſtica filium ſuũ, quem ad illud vſque tempus in pagana caſula ſecum continuiſſet. Ille profectus cùm ad amnem veniſſet, quo vadum eſſet & tranſiri ſoleret, ſtolidus adoleſcens cernens defluere aquas, ratúſque futurum, vt mox alueus vndis euacuaretur, totum in ripa expectans diem aſtitit. Ac nocte demum profunda ad ſolicitam matercu-

lam

iam reuerſus, retulit omnia quæ acceperat. Cui illa: Mi pupule, inquit, tam ſerò, & merces reportas? Nam ego, inquit, mea mamula ſceleſti amnis profluuium atque defluuium operiēs ad ripam totum diem, dum animaduertere licuit, manſi, neque nunc etiam defecerit'ne an labi pergat ſcio. Cui mater: Mi fili, ille quidem (inquit) vt Horatius fecit:

Labitur & labetur in omne volubilis æuum.

Dici poteſt fabula in procraſtinatores & faſtidioſos, quibus cum ſemper labor contrarius ſit, cunctando & expectando omnes occaſiones rerum agendarum elabuntur.

Lunæ preces. 354

LVNA matrem quondam fertur oraſſe ſuam, vt ſibi veſtem texeret conuenientem corpori ſuo: Cui illa reſponderit: peti à ſe rem quam præſtare nequeat, quod nulla veſtis eius corpori conuenire poſſe videatur, quæ modò plena eſſet & globoſa, modò velut in orbem dimidiari, modò quaſi in circulum extenuari, poſtremò etiam excauari & euaneſcere ſoleat.

Fabula hoc docet, homini improbo nullum conuenire præceptum virtutis.

Leporum concio. 355

QVODAM tempore viſum eſt omni-

bus beſtiis conuentum & cœtum habere, quòd aliarum de aliis frequentiſſimæ querelæ eſſent. Vbi dictis vltrò citróque ſententiis, lepores ita concionatos perhibent: Videri ſibi æquum, omnium vt beſtiarũ eadem ſit dignitas & par poteſtas: neque oportere alias tanto plus, alias minus valere: hoc enim pacto fieri, vt inferiores præſtantibus direptioni & prædæ ſint. Quibus dictis oblocutos leones accepimus, orationi leporinæ deeſſe vngues & dentes.

Fabula docet, fortem orationem, niſi etiã viribus ſit fulta, à potentioribus derideri. Similiter & Plutarchus, cùm Megarenſis quidam coram Lyſandro oratione vteretur libera & magnifica, ſcribit hoc tantum reſpondiſſe illum: Deſici illa verba ciuitate,

---

Aquila. 356

EA auis quam Latini aquilam vocant à colore, Græci ἀετὸν à velocitate, homo fuiſſe aliquando perhibetur, & quidem locuples multíſque diuitiis abundans, ſed omnium mortalium inhumaniſſimus & inhoſpitalitate execrabili. Quare irati dij, quibus hoc ſcelus eſſet imprimis inuiſum, eum in illam quam dixi auem conuerterunt, hoc inſuper ſupplicio addito, vt poſtquam conſenuiſſet, ita ei roſtrum incurua

curuaretur, vt cibo ſumendo non magis idoneum, cùm non permitteret paſcendo vitam ſuſtentari, ipſa fœdiſſima morte fame interiret.

Fabula hoc ait, meritìs Deum pœnìs hominum ſcelera vlciſci. Eſſéque, vt ait Herodotus μελπομένη: τῶν μεγάλων ἀδικημάτων καὶ μεγάλας τὰς τιμωρίας παρὰ τῶν θεῶν.

Lunæ nuptiæ. 357

LVNAM narrant voluiſſe aliquando maritum habere Luciferum: Iouem autem veritum, ne ſi liberos ſui generis procreaſſent, rerum cœleſtium perturbatio exiſteret: annuiſſe quidem, ſed ea lege, vt cuius animantis maximus in terris vſus eſſet, ea de ipſorum concubitu naſceretur. Illo tẽpore proximè ſecuto Deucalioneas aquas, ex terra innumerabiles mures prodierant, ita vt cæteris animantibus bellum facerent, quando & cum ranis prælio decertarunt, quod carmine poſtea ſuo complexus eſt Homerus. Horum igitur furorem & ſuperbiam cõpeſci neceſſe fuit. Itaque felem gigni placuit Ioui & reliquis diis, quæ ferocibus muribus opponeretur: qua cùm nequaquam diutius carendum videretur, feles tres primo puerperio eniſa luna dicitur, quæ in terras di-

miſſæ breui tempore mures attriuere, in-
que ſuos ſpecus & cauernulas redegerũt.
Originis autem ſuæ hæc indicia retinet
hoc genus, vt ſimul cum creſcente luna
pingueſcant feles, cum euaneſcente atte-
nuentur & macilentæ reddantur.

Fabula docet, ſtultorum votorum ſimiles exitus eſſe ſolere.

Canum erga feras odium. 358

MAGNVM eſſe canum odium erga
feras, omnes ſciunt, ſed cauſſa odij plæriſ-
que ignota eſt. Ea traditur eſſe hæc. Quo
tempore magna fuit omnium animan-
tum concordia, vixere apud homines (vt
nunc quoque) canes familiariùs. Accidit
autem vt neſcio quam ob cauſſam homo
cani vehementer iratus, os prope aram
de ſacrificio relictum arriperet, & iacula-
retur in canem. Hanc iniuriam, vt ipſe
credidit, iniquiſſimo animo tulit canis, &
cupiditate vindictæ incenſus, cùm vide-
ret humanum genus potentius eſſe, quàm
vt illos vlciſci poſſet: intelligeret autem
telum contra ſe à beſtia ſuppeditatum, de
qua os illud fuiſſet relictum, cum homi-
nibus pacem firmiorem & fœdus arctius
facere ſtatuit, & horum ope atque auxilio
contra reliquas animantes vti. Hoc ne ho-
minibus

minibus quidem contrarium fuit: excepere tamen cicures, quorum vſus eſſet hominibus conceſſus peculiaris. His canes parcere ſe velle promiſere, ne hoſtiliter in eas graſſarentur, atque ita omnis irarum impetus & manifeſtæ inimicitiæ in feras deuolutæ fuerunt.

Fabula indicat, quòd ij, qui alios lædere cupiant, vel alieniſſimas cauſſas irarum prætendere ſoleant.

Bubulcus. 359

BVBVLCVS onuſtum lignis plauſtrum domum agebat, quod cùm in lutoſa via & ſalebris hæreret & retineretur, cœpit ille ociosè aſtans deos deáſque in auxilium aduocare, præq; cæteris, quem maximè propter celebratum vulgo robur colebat, Herculem. Tum illi ſe Herculem conſpiciendum obtuliſſe ferũt, & his verbis corripuiſſe ſtolidam ignauiam ipſius: Rotis manus, ô bubulce, applica, & ſtimulum bobus admoue, & deorum deinde opem poſcito, ne ſi tu ceſſes, dij fruſtra inuocentur. Vnde & prouerbium natum:

Manum admouentes inuocate numina.

Et hoc:

Aliquid & ipſe agens ſic inuoces deos.

Fabula narratur contra deſidiam & pigritiam, & ceſſa

& ceſſationem, in quibus plærunque ignauum vulgus vota facit & precibus fatigat deos. Itaque & Terentianus Mitio quærit de adoleſcente: An crediderit ſperatas nuptias dormienti ſibi confecturos deos? Et apud Apollonium Hercules: οὐδέ τινᾶας, *inquit,* αὐτόματοι δώσει τις ἑλὼν θεὸς εὐξαμένοισι.

Sol & Aquilo. 360

SOLEM & Aquilonẽ de robore viribúſque quondam diſceptaſſe ferunt, conueniſſeq́; inter eos, vt vter viatori veſtem eriperet faciliùs, is validior haberetur. Priores igitur ſortitus Aquilo vẽtus acer & vehemens, omnem vim flatus ſui in conſpectum fortè viatorem immiſit: verùm ille, quo magis ventus in ſe ferebatur, hoc arctiùs veſtimenta continere, circúmque ſe conuoluere. At Sol æſtus & calorem effundens, facilè effecit vt viator ſe veſtibus nudaret, non ſolùm pallio poſito, ſed etiam refibulata tunica.

Fabula dicit, cedere robur ingenio, ſecundum Sophocleam ſententiam:

Non pectore ampla qui ſunt humeriſq́ arduũ,
Seſe tuentur proteguntq́ maximè:
Sed conſilij ſapientia ſuperat omnia.

In Suida leguntur tres verſus iambici σκάζοντες *huius fabulæ particulam exponentes hi:*

Βορέῃ λέγουσιν ἡλίῳ τε τοιαύτην

Ego

Ἔριν γενέσθαι, πότερος ἀνδρὸς ἀγροίκου
Ὀδοιποροῦντος τὴν σισύραν ἐκδύσει.

Serpentum renouatio. 361

VENISSE olim humanum genus ad Iouem ferunt, & petiiſſe ab illo, aliquod vt remedium repellendæ ſenectæ ſibi impertiret. Nimis enim paucos annos valere atque vigere homines, neque illis ſpacium vel ad virtutis curſum perficiẽdum, vel errata & delicta vitæ corrigenda ſuppetere. Quod ſi ſenibus inſtauraretur adoleſcentia, futurum, multò vt melioribus & probioribus hominibus vteretur. Annuit Iuppiter precibus, & quãdam medicinam confecit illis ſenectæ, ac in vtre conditam tribuit. Hanc diſcedentes aſino ſarcinam imponunt, & læti reuertuntur. Tempus erat æſtiuum, & omnia ſolis ardore flagrabant. Magna igitur atque intolerabili ſiti corripitur aſinus, & fortè nemus opacum præteriens ſtatuit in illud deflectere iter, & paululum acquieſcere. Ingreſſus, fontem ibi inuenit, qua re mirificè delectatus, ſiccas fauces aquæ cupidiſſimè intẽdere, & refrigerare velle guttur aridum atque feruens. At ſerpẽs cuſtos fontis, immani corpore prouoluitur, & os ſæuum oculosq; infeſtos in aſinum intẽdens, mi-

Iuppiter cùm nihil ſupereſſe ſciret, quęrebat quid illi attribueret, quem ſolum non vellet inhonoratum dimittere. Tandem omnia animo verſanti ſubiit, quid homines in luctu ob interitũ & mortem ſuorum facere cõſueuiſſent. Tum igitur: Cape, inquit, lacrymas mœroremq; & querimonias atque lamenta. Itaque nunc fieri videmus, vt eos luctus non ferè deſerat, qui his indulgeant, tanquam cultui illius proprio: Contrà verò, qui hæc ſupprimere & celeriter omittere voluerint, tanquam contemptores hunc ſui & ipſos deſerere atque miſſos facere.

Moderatè eſſe ferendos aduerſos caſus fabula docet: quam Plutarchus ſcribit reginam Arſinoën in luctu filij admodum fuiſſe conſolatam, hoc conſilio narratam à quodam Philoſopho.

Fluctuum numerator. 363

Homo quiſpiam in littore aſſedit numeraturus fluctus, cùm ventis mare agitaretur. Sed crebritate horũ perturbatus animo angebatur, & afflictabatur. Ad hũc accedens vulpecula, Quid mœres? inquit. Huic ille reſpondit, fluctus ſe numerare cupientem præterlatos innumeros, quos non potuiſſe comprehendi doleret. Tum vulpecula: Præteritos, inquit, omitte, & numerare ſi vis, vel ab hoc iam nunc ordire,

dire, & qui abiere eos miſſos facito.

Docet fabula, non ad præterita, ſed ad ea quæ reſtent in vita hac, reſpiciendum eſſe.

Hirundines & Olores. 364

HIRVNDINES oloribus conuicia faciebant, & exprobrabant illis obſcuritatem Muſicæ illorum. Quid enim, inquiunt, prodeſt vobis conceſſa à Diis ſingularis canendi facultas, qua primùm rariſſimè vtamini, deinde per loca deſerta, auſcultantibus fluminibus ſcilicet & pratis, abuti videamini? Ipſi ſcilicet inter vos ſuauiſſimos modos, vt fertur, cietis. Pudet ne igitur, cùm celatis aut inuidetis hanc voluptatē hominibus? Nos quidem non ſolùm vrbes, ſed domos ipſas & tecta atq; conclauia ædium cantu replemus. Quid quæritis argumētum carminis? Proprium enim eſt & vetus & Atticum: Pandion, Athenæ, Tereus, Thracia, Barbarorum affinitas, contumelia, linguæ exectio, mirificum indicium literarum. His accedit Itys & forma noſtra mutata. Vix reſponſione dignatas ſtolidas auiculas, vnus tādem ex agmine olorum ſic alloquitur: Noſtra cauſſa, ſi hominibus notum ſit tempus, quo ad fauonij flatus pandimus alas, & illum ſuauitatis modulatorem ſpiritum

ritum admittimus, plurimi in hæc deſerta loca venturi ſint. Sed nobis vulgare ſanctiſſimam ſcientiam turpe viſum. Neque in copia ac multitudine, neq; temere, ſed exquiſita & abſoluta illa omnibus numeris vti pulcrum: corrumpere autem quaſi proſtitutione quadã ſceleratum ducimus. At vos à tectis & ſedibus ſuis repellunt homines, & veſtros cantus auerſantur, neque immeritò: quippe quæ ſilere ne exciſis quidẽ linguis ſciatis, in illa ipſa deploratione mali veſtri loquaciores, quàm vlli qui voce & lingua famam & gloriam quærunt. Vos quidem abite, & ingrata Muſica veſtra moleſtæ, vt hactenus, eſtote mortalibus. Nos neq; ingeremus vltro carmina noſtra, neq; ſæpe tractando violabimus Muſarum ſacra, non prius in vrbibus cantaturi, quàm nõ modò hirundines, ſed etiã monedulæ ex his exceſſerint.

Hoc innuit fabula, præſtantiam artium, neque locum dignitatis habere, neque vllo in pretio eſſe vulgo & apud imperitos. Canere igitur eruditos ſibi & Muſis.

Fatui cribrum. 365

FATVVS cùm cribrum reperiſſet, arbitratus vitioſum redditum neglectione, cœpit obturare foramina, vt aptum vſui,

quemadmodum putabat, redderetur. Sed cùm in opere ſentiret denique foraminum crebritatem, parumq́; ſuccederet inceptum, abiecit cribrum indignabundus. Neque enim, inquit, video qua parte obturare quáue pertuſum relinquere debeam.

Docemur, incogitantes in ipſo demum opere difficultatem ſentire, non proſpicere animis ſuis, itaq; & in agendo defatigari plurimum, & aggredi ſæpe quæ abſolui nequeant. Docemur & hoc, ſatius eſſe extreme vitioſa non attingere, quàm fruſtra emendare velle. Qua ſententia fabulæ vel huius vel ſimilis mentionem fecit Galenus, quandam definitionem Olympici plenam erroribus irridens: τοιοῦτον, *inquit,* ἐστὶν ἁμαρτημάτων μεστὴ, ὥστε μοι παρίστασθαι τὸ τοῦ μωροῦ πρὸς κόσκινον εἰπόντος, οὐχ εὑρίσκειν, ὅπου βύσειεν ἢ μὴ βύσειεν αὐτό.

Aquila & Teſtudo. 366

TESTVDO ſpatij cuiuſdam cõficiendi certamen cum aquila ſuſceperat: propoſitus erat locus ad quem prior ex ipſis vter die tertio perueniſſet, victor haberetur. Aquila cõtempta tarditate teſtudinis proуolare cœpit, & deſidere ſæpiuſculè, & alias res agere, denique noctem totam acquieſcere, & non admodum mane euolare. Perſuaſerat enim ſibi vno impetu omnes conatus teſtudinis facilè ſe eſſe anteuer

teuerſuram. At hæc nihil remittere, dies noctesq; in itinere verſari, rectaq; contendere ad deſignatum locum. Itaque ſedulitate ſua velociſſimam volucrem vicit, & cùm adhuc abeſſe longiſſimè crederetur, deſignatum locum tenuit.

Significatur Socraticum dictum: Melius eſſe feſtinare ſtudio & animi motu, quàm corporis incitatione. Et de huiuſmodi fabula prouerbium natum videtur, quo Achæus poëta vſus traditur in Satyrico quodam dramate, vt Laërtius in Menedemio ait:

ἠλίσκετ᾽ ἄρα καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχὺς,
καὶ πρὸς χελώνης αἰετὸς βραχεῖ χρόνῳ.

Seruus fugitiuus & Piſtrinum. 367

FVGITIVVM ſeruum aliquantiſper quæſitum conſpexit quodam tempore dominus: quem dum ſequitur, vt retraheret ad ſe, ille pœnæ mœtu & conſcientia delicti territus fugere, atque in piſtrinum quod proximum eſſet ſeſe abdere. Ibi dominus ipſo inuento: Quonam, inquit, in loco depræhendi magis idoneo potueras?

Fabula indicat, diuinam vltionem ſceleratos & tempore & loco ſuo manere.

Canis domicilium. 368

HIEME contractus & implicitis membris cubans canis, quo minus frigori ex-

poſitum eſſet corpus, ſpatium illud ad domum faciendam, in qua viueret, deſignauit. Poſtea in æſtate membra expandens, & corpus extendens, animaduertit notatum ſpatium non magis conuenire, neque ſe capere poſſe, itaque nec neceſſe nec facilè ſibi eſſe tantas ædes extruere.

Contra mutabilitatem & inconſtantiam fabula narratur.

Gallinaceus & Vulpes. 369

ACCEPTO nuntio ægrotare gallinaceum, viſere ad illum vulpes, quaſi beneuolentia adducta, & interrogare, quomodo ſe haberet? Cui gallinaceus: Sic mediocriter, inquit, ſed multo habiturus meliùs, & rectiùs valiturus, ſi tu diſceſſeris.

Officia ſimulata & doloſa improborum fabula hac notantur.

Feriæ & Poſtridiana dies. 370

CVM feriis altercatam poſtridianam diem, quæ Græcis eſt ὑστέρα, accepimus, quòd diceret illas plenas eſſe negotij, & cuiuſdam moleſtiæ operandorum ſacrorum: epulis autem ad ferias inſtructis poſtridie demum homines placidè & iucundè frui ſolere. Tum reſpondiſſe ferias aiunt: Ita quidem eſſe, vt illa narraret, ſed

quæſi

quæſiuiſſe, vbinam feriis ſublatis poſtridiana futura ſit?

Fabula memoratur contra glorioſos & vanitatem.

Amicus fallax. 371

FRVMENTVM emerant duo, longo amicitiæ vſu familiares: id æqualiter diuiſum, inq; aceruos duos congeſtum, ſeparatim relinquunt, curaturi poſtridie ad ſe deferendum. Horum alter animo peruerſo & infido, cùm ſurripere amico ipſius partem ſtatuiſſet, ne falleretur in tenebris: veſperæ crepuſculo, palliolum ſuum expandit ſuper aceruo amici. Is verò paulo poſt cùm veniſſet inſpecturus frumentum, vt diligentem hominem decebat, videns contectum eſſe frumentum, primùm mirari, mox agnito amici pallio, nihil etiã fraudis ſuſpicans, ſecum cogitare, non eſſe æquum pati vt proprio pallio alterius frumentum intectum ſit, ac: Quanta, inquit, iſta eſt beneuolentiæ vis atque magnitudo? Atqui fieri non oportet, imò ipſius protegi rectius eſt, & ſimul de ſuo aceruo pallium detractum ſuper amici aceruo explicat. His peractis, cùm iam caligo noctis omnia oppleret, aderat ille fur in tenebris, & manu prẹtentans quærebat pal-

lium. Quo contrectato, ſuum frumentum feſtinata opera ad ſe deportat, in opinione & ſpe furti, nihil lucratus niſi vigilias & ſolicitudinem nocturnam.

Fabula docet, fraudes & fallacias ſæpenumero ſe ipſas circumuenire.

Fur & Paterfamilias. 372

VALDE exercitatus fur, egregiam & quęſtuoſam operam quadam nocte dederat, compilatis aliquot diuitum arculis. Itaque auro argentoq; refertum ſacculum portans, etiam in pauperis ædes deuenit, quas ſcrutans cùm nihil inueniret rerum pretioſarum, in farinarium tandem vaſculum incidit. Ne vacuus autem contra diſciplinam ſuam diſcederet, ponit ſacculum, in illum congeſturus farinam. At paterfamilias ſtrepitu excitatus de ſomno, & timens victui ſuo, in furem telo arrepto cum clamoribus irruit. Ille territus ex ædibus ſacculo relicto fuga euadit: at paterfamilias excuſſo igne & lumine illato, magnas præter ſpem opes reperit: ille qui farinam relinquere noluiſſet, auro & argento caruit.

Infinitum quærendi ſtudium, euadere docet fabula in damna. Itemq; hoc ſubijcit: Malè parta malè dilabuntur.

Ruſticus & Simia. 373

Rvsticvs cum ſacculo, in quo legumina eſſent, iter faciens, dum ſub arbore acquieſcit, fortè obdormierat, ſomno obrepente, vt fit, defatigato. Videt ſimia ſacculum, & quid ineſſet cognoſcendi cupida, accedit, & aperit ſacculum, leguminibusq; repertis manum vnam complet, & arborẽ conſcendit. Inter aſcendendum, vnum fortè granulum exciderat: hoc illa dum non vult relinquere neque amittere, redit in ſolum & granulum tollit: mox repetit arborem paulo quàm prius maiore cum feſtinatione, in qua rurſum granum elabitur vnum & alterum. Quæ dum & ipſa recolligit, excitatus de ſomno forte fortuna ruſticus, clamoribus & ſaxis illam inſectatur. At hæc trepida & perterrita, abiectis omnibus leguminibus fugæ ſtudere, & manus expedire: ita quæ nihil amittere voluiſſet, nihil retinuit.

Ad ſuperioris fabulæ admonitionem referri & huius poterit, & eodem apponi id quoque, quod Terentianus ait Syrus: Pecuniam in loco negligere maximum eſſe interdum lucrum.

Amatorum altercatio. 374

Nvpta mulier formoſa & adoleſcentula cum viro, qui ſæpe abeſſet domo in

mercaturis, amabat alterum. Qui cùm forte apud ſe eſſet, nuntiatur ſubitò aduenire maritus. Illa iubet amatorem celeriter decurrere ad puteum, & quærere cuniculos, per quos facilè euaſurus eſſe videatur. Redit hic & negat puteũ ſe reperire potuiſſe, ſed veſtigia animaduertiſſe, vbi quondam puteum fuiſſe arbitretur. Quid id tua refert? inquit mulier, per cuniculos vide vt te ſubducas appropinquanti viro meo. Quin igitur, inquit ille, verè recteq; monſtras? Nugator, inquit illa, quin cõſulis ſaluti tuæ, neq; enim nunc verbis locus. At ille non ceſſauit litigare, donec à marito oppreſſus pro mœcho arriperetur, & pœnas ſtolidæ & intempeſtiuæ loquacitatis, grauiſſimas, rei leuiſſimæ, perſolueret.

Docet fabula, loquacitatis finem eſſe infortunium, vt ait Euripides:

ἀχαλίνων ϛομάτων τὸ τέλος δυϛυχία.

Pauper nugator. 375

IVERAT pauper in ſiluam ligna vt colligeret. Is quicquid fortè repererat contemnens, progrediebatur quærendo vlterius, neq; finem faciebat mutationis & electionis. Tandem pergendo incidit in cateruam luporum: eos fugiens deuenit ad flumen, cuius ripæ cùm neque ponte coniunctæ,

iunctæ, neque nauicula eo in loco eſſet, demittit ſe in flumen: vrgebant enim à tergo lupi. In illo autem iactatus aliquantiſper, cùm non procul abeſſet, quin ſuffocaretur, aduehuntur piſcatores, qui extractum reclinant ad proximam maceriam, & relicto illo ſemianimo diſcedunt. Paulò poſt recreatus, dum prætereuntibus narrat caſum ſuum, & de aduerſis ſuis multa verba facit, ruit maceria, & nugatorem inter ſermocinationes opprimit.

Fabula oſtendit, qui exitus faſtidia & ſtoliditatem maneat. Indicat & hoc, maximis ſæpe periculis ereptos minimo momento extingui.

Simius & Fabri. 376

SIMIOLVS contemplabatur de arbore fabri artificium: ille fortè cuneis arborem findebat. Erat autem prandij tempus, ad quod faber diſcedens relinquit impactum in trunco ferrum. Simiolus vt viderat fabrum facere, ſupra arborem inſilit, & cruribus diuaricatis arripit ſecurim, ſed pedes terram non attingebant. Itaq; illius ſuper arbore inſidentis pudendula, in fiſſura, quam cuneus efficiebat, dependere: ipſe nihil cogitans quid accidere poſſet, cuneum excutere, iterum impacturus quemadmodum fecerat faber. Sed cùm

robur, vt natura ferebat, coiret, pudendaq; ſimioli arrepta angerentur, clamans ille & eiulans hærebat captus: at fabri excitati cum riſu, re cognita, malè illum verberibus inſuper mulctatum dimittunt.

Fabula Græci verſus ſententiam ſubijcit, quam Cicero ita expreßit:

Quam quiſque nouit artem in ea ſe exerceat.

Eſt autem in Veſpis Ariſtophanis:

ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Vulpecula & Tintinabulum. 377

VVLPECVLA habitabat iuxta flumen, non procul inde alligatum arbori tintinabulum erat, quo ventis impulſo omnia circum loca reſonabant. Vulpecula cui ignota vox illa eſſet, metuebat ne quid feræ & immanis beſtiæ tales ſonos ederet. Tandem ſenſim & placidè arrepens, perſpectaq; tintinabuli inanitate, cuius ſtrepitibus nihil ſubeſſet virium: Nunc deinceps non facilè, inquit, ſpecie & opinione percelli animum meum patiar.

Multa opinione magnifiunt, quibus præſentibus nihil eſt contemptibilius.

Cerui dimicantes & Vulpes. 378

ORTA inter duos ceruos pugna iam eò vſque proceſſerat, vt ſaucijs ſanguis

guis in terram flueret. Viderat hoc vulpecula,& cupida lingendi illius,ſurrepit dimicantibus, & incautius auiditate ligurriendi ſubiens, à ceruis attrita, conquaſſatis coſtis, ſemiuiua in ſanguine relinquitur.

Fabula docet, auaros quærendi infinito ſtudio vrgere ipſos exitium ſuum.

Læna & Amator. 379

LAENA mulierculæ proprio peculiaríque amatori infeſta, qui imminueret quæſtum ſuum,dormientem illum veneno necare conſtituerat. Id venenum indiderat in arundinem,quam hinc ad nares ſopiti,illinc ad os applicat ſuum,ſimul hic vt attraheret, ſimul vt ipſa afflaret. Forte tum ille contra, vt fit vbi dormientes aliquid ſenſere, multum emiſit vehementis animæ, qua in apertũ lænæ os venenatus puluis illatus,continuò illam exanimat.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Teſtudo volatica. 380

IVNXERAT teſtudo ſocietatẽ cũ duabus auibus. Accidit quodam anno,vt æſtu ſyderis & cœli ardore omnia ſqualerent, riuulusq; vbi illa manebat funditus exſiccaretur. Nec non & auibus eo in loco con

ſiſtere

ſiſtere graue erat, viciniæ locis omnibus ſitu ſqualoréque laborantibus. Placuit igitur migrare aliò, ſed obſtabat deſertio ſociæ & amicæ teſtudinis. Tandem hanc ineunt rationem: Bacillum tranſuerſum roſtris capeſſunt, & medium tenere mordicus teſtudinem iubent, ita ſe ſublatam in aëra ſecũ aſportaturas in loca irrigua, & ad perennes aquas policentur. Sed hoc iterum atque iterũ monent, ſemel præhenſum bacillum vt teneat, néue committat vt os aperiat ſuum. Ita cum illa ſubuolarunt. Aliquantiſper proceſſerant, cùm vident aliæ teſtudines rem admirabilem ſibi, ſéque mutuò inclamant, & demonſtrat vna alteri volantem ſororem. Tum illa oblita ſalutis ſuæ & præceptorum ſalutarium: Etiam, inquit dicere volebat, ſe volare inuitis omnibus, & amiſſo per hiatum bacillo, delapsáque in ſaxum teſta fracta interiit.

Res eſt noxia garrula loquacitas. Itaque ſecundũ veterum pracepta ad taciturnitatem nos exercere ſtudebimus, ne futiliores ſimus Homerica anu, qua ſe profitetur:

ἕξω δ', ὥστε τι στερεὴν λίθον ἠὲ σίδηρον.

Tacere enim non ſolum contra ſitim prodeſt, ſecundum Hippocratem, ſed multa etiam ſilentio mala & infelices euentus auerti ſolent.

Origo

Origo murorum. 381

EA tempeſtate qua dij & homines vnà promiſcuéque in terris vixere, vt tradit Heſiodus, humanum genus defenſum & tutum ope præſidióque deorum, neque intra mœnia ſeſe includebat, neque aliam protectionem quærebat. Pulſis diis hominum ſcelere, muris & foſſis hi circundati, nunquam tamen muniti ſatis eſſe potuere. Ita quãtum boni à præſentibus diis accepiſſent recordati, mœnia ſancta de memoria deorum & nominarunt & haberi voluerunt, ac ritus inſuper ceremoniasq; varias cultus diuini inſtituerunt: non tamen ita placatos reddere potuerũt, vt tam benignis vterẽtur quàm antea vſi fuiſſent.

Fabula docet, quod ſine impenſa interdum bonum obtineatur, id amiſſum nullarum rerum impendio recuperari poſſe.

Simij & Auicula. 382

GELIDIVSCVLA quadã nocte magna multitudo ſimiorum ſub arbore conuenerat, vbi forte vnus conſpicatus vermiculum, ex eorum genere qui noctu lucẽt, Latini ruſtici cicindelas, Græci λαμπυρίδας & πυγολαμπίδας dixere, clamat ſe ignem conſpexiſſe, & ſociis oſtendit. Illi rati

ti igneam eſſe ſcintillam, congeſtis lignis incumbunt, vt ſpiritu flammam excitent. Videbat hoc auicula de arbore, & errorē ſi miis demonſtrabat, ſed illi tamen fauebant ſpei ſuæ. Auicula rata ſe non exaudiri, deuolat in terrā, & accedit propius, monétque vt tandem operam & laborē perdere deſinant. Ibi vnus reliquis ingenioſior, nō moueri ſocios cùm videret, ad auiculam conuerſus: In cribrum, inquit, aquā ne ingeras, néue conſilia des ſalutaria reſpuentibus. Sed auicula non deſinebat inculcare monitiones ſuas, donec ab vno arrepta interficeretur.

Fabula oſtendit ſtultitiam eſſe, ſtultis & auerſantibus doctrinam præcipere.

Medicus & Mulier. 383

Aegrotantis cuiuſdā vxor amabat medicum. Dederat huic vir aliquantulum pecuniæ, qua demonſtratum morbo ſuo remedium compararet. Illa ad medicum amatorem ſuum, defert, qui iubet puerum medicamentum conficere, & ipſe cum muliere confabulatur. Puer ignarus artis, ne nihil faceret, collectos puluiſculos & arenulam illigat ſcitè in linteolum mundum. Cùm autē, illis dulcedine colloquij longiùs progreſſis, mulieri iam diſce-

dendi

dendi tempus videretur eſſe, ait ſe domũ ire, & petit medicamentum. Medicus quę rit de puero, an ſit confectum, ille reſpõdit eſſe, & linteolum tradit mulieri. Cùm rediiſſet tandem ad maritum, de mora hic queſtus, quid attuliſti? Inquit: Illa linteolũ porrigit, quo explicato inuenitur arena & pulueres. Tum illa quid accidiſſet intelligens, mox accurrit cum cribello, & huc (inquit) mi vir, coniice omnia. Quid huc, inquit ille, aut quid eſt? Dum propero, inquit mulier, ad medicum currere, incidi in turbam promiſcuam equeſtrem & pedeſtrem, vbi dum iactor atque impellor, pecunia de manibus excidit. Ego quæ non poſſem otioſe colligere, corripio quicquid ſubito licuit pulueris & arenę ex eo loco, in quem pecuniam delatam credidi. Vir cribratis pulueribus nihil reperit numorum ille quidem, ſed quòd fidem haberet ſermonibus mulieris, alia pecunia numerata ad medicinam emendam iterum hãc ablegat.

Fabula docet, nihil eſſe vtilius tempeſtiuo cõſilio. Subijcit & hoc, quod Teutones noſtri dicunt, Solum intuitam modò fœminam, defenſionem reperire.

Depoſitum æs. 384

Deposverat mercator apud hoſpitem

ſpitem ſuum magnum pōdus æris. Venit aliquando & repetit. Ille mures eroſiſſe dicit. Quid?mures,inquit mercator, homo intelligens,Dij boni quid narras?nunquam audiui illos hoc cibo vti. Vtuntur, inquit ille,& hîc &in inſula Gyaro:an tu obſecro non audiſti?Non equidem,inquit mercator, quod ſciam : ſed benè habet, quod tu euaſiſti voracitatem ipſorum. Placebat hoſpiti commentum ſuum,quòd tam facile impoſuiſſet mercatori. Sed dū diſcedit mercator puerum perquam ſcitum filium hoſpitis ſui,ante ædes diſcurrētem abſq; cuſtode,abducit ad alium ſuum hoſpitem.Poſtero die offert ſe conſpectui veteris hoſpitis, qui apud illum conqueri & deplorare amiſſionem filij ſui.Tū mercator:Ego heri,inquit, non procul ab ædibus tuis puerum vidi raptum à coruo auferri.A coruo,exclamat ille,puerum? Quis tam validus coruus eſſe potuit? Ibi mercator:Qua in terra,inquit, mures æs erodunt, in ea veriſimile eſt reperiri coruos, qui pueros rapiant. At hoſpes ſe ſuis artibus petitum ſentiens, pollicetur ſe preciū æris perſoluturum, rogatq; mercatorem, puerum ſibi vt reſtituat.

Fabula ſubijcit prouerbij ſententiam: Clauum clauo pelli oportere.

De

De Vulpe & Gallo diuino. 385

FAMELICA vulpes ad arborem, ſuper qua gallinaceus conſederat, accedens, exquiſitis laudibus illum extollit, & diuinationis atque prædictionum nomine in primis: Atque vtinam, inquit, ea felicitas ſit mea, tam eximij vatis caput vt oſculari mihi concedatur. Gallinaceus hanc laudatori ſuo gratiam referre volens, & præbere caput illi oſculandum ſuum, de arbore deuolat ad vulpem, quæ illum prehenſum aſportare in ſiluas, & deridere, quòd vate iſto & diuino nihil inſipientius neque vecordius vnquam ſe vidiſſe diceret.

Fabula oſtendit, leuium hominum animos laudationibus & aſſentatione facillimè peruerti.

Vrſus, Venator, Lupus. 386

VENATOR capreolum ceperat, eúmque portans incidit in vrſum, qui illi contentum arcũ baliſtarem ſagitta impoſita, è manibus extorſit, moribundúmque, ipſe tamen grauiter ſauciatus, poſtrauit. Nõ diu poſt aduenit lupus, & tanta támque inſperata præda reperta, lætus: Quis, inquit, deus tantum boni obtulit mihi? Sed nunc famem ſedauero arroſione arcus iſtius, reliqua comparcam. Dum verò

contra telum arcum rodit incautiùs, excutitur ſagitta, & transfixum lupum interimit.

Fabula narratur contra auaritiam & ſordes.

Senex & Vxor adoleſcentula. 387

DVXERAT annis quidam grauis ſenecta in ætate adoleſcentem mulierem, quæ illum auerſabatur, neque delectabatur conſuetudine ipſius. Quadã nocte fures in domum huius intrauerant, & audiebatur pedum ſonitus, neque illi procul â cõclaui, in qua cũ vxore vir cubabat, abeſſe ſentiebantur. Ibi mulier formidans ad virum ſe applicat, & illum etiam, quod nũquam ante fecerat, complectitur. Hic verò ea re lætus, furibus gratias agere, & iubere impune auferre quicquid libuiſſet: quòd ipſorum beneficio complexu frueretur vxoris ſuæ.

Fabula docet, amorem ſæpe metu excitari.

Aſinus excors. 388

LEO ægrotans & infirmus, vulpeculam orat ſibi cibum vt inueniat. Illa abit, & ad aſinum ſolum in quodam prato oberrantem deuenit, ac, quid tu hîc ſolus agis? inquit. Quin mecum te confers ad tui generis animalia, quæ plurima intra iſtud nemus

nemus conuenêre. Aſinus oratione vulpeculæ motus, illam ſe ait ſequi. Hæc eum ad leonem deducit, qui ita fuerat morbo debilitatus, vt aſinum retinere non poſſet. Ille igitur elapſus, in ſuum pratum reuertitur. Leo iterum atque iterum orare vulpem, ad ſe illum vt reduceret ſtuderet. Hoc vix poſſe fieri vulpecula dicebat: nam ſibi aſinum nihil iam crediturum eſſe, ſed promiſit ſe tentaturam. Redit igitur ad aſinum, & cum illo expoſtulat, & vere aſinum eſſe ait, pecus agreſte & ruſticum, qui maximorum amatorum complexus fugerit: nam illos gaudio non apud ſe fuiſſe, ideoq; illatos in eum vehementius. Aſinus credit vulpi, & iterum cum ipſa ad leonem accedit, qui tum viribus anniſus omnibus, eum proſternit ac iugulat. Tum iubet vulpem carnes eluere & apparare, vt illis iucundè veſcatur. Vulpecula, vt iuſſa fuerat facit, ſed exēptum cor & præmorſas aures ipſa deuorat. Requirenti autem leoni dicit, illum aſinum neque cor neque aures habuiſſe. Hoc leo mirari, & incredibile eſſe dicere. Tum vulpes: An tu putas, inquit, iterum ad te vt veniret, adduci hūc potuiſſe, ſi vel aures vel cor haberet?

Narratur fabula in ſtolidos, & his, quod prouerbio reprehenditur, ad eundem offendentibus.

Canis & Paterfamilias. 389

Erat cuidam perquam fidelis canis. Hic quodam tempore ſolus relictus apud paruulum filium illius, iacentem adhuc in cunis, videt ſerpentem ad puerum interimendum arrepere. Ille igitur in ſerpentem, qui iam ad cunas perueniſſet, irruit, & eum nō ſine difficultate interimit: itaque inter luctandum euertuntur cunæ, & ſupra ſerpentem reclinantur. Reuerſus autem paterfamilias cernensq; cunas euerſas, & cruentum os canis, quòd ſuſpicaretur ab hoc puerum interfectum eſſe, neque prioris fidelitatis recordatus, neque ſpatio capto ad rem cognoſcendam, enſe arrepto canem occidit. Poſtea tollit cunas, & puero viuo reperto & ſerpente conſciſſo, quid factum eſſet intelligit, & ſuum erga canem perpetratum ſcelus deplorat.

Fabula docet, nihil eſſe in ira & perturbatione animi inconſideratè committendum, ne feſtinationem noſtram ſempiternus dolor ſequatur. Itaque Xenophontis & hoc egregium: ἀπρονόητον ἡ ὀργή, ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεσθαι, ἃ μεταμελεῖν ἀνάγκη.

Vulpes & T[e]ſtudo. 390

Svscepto curſus certamine inter vulpem & teſtudinem, dicitur teſtando ſe

cauo-

caudæ vulpinæ implicuiſſe, & ita hanc à currente vulpe raptatam fuiſſe ad locum præfinitum, à quo cùm proximè abeſſet vulpes, reſpexiſſe fertur, & per iocum dixiſſe, non ſe putaſſe tam celerem eſſe teſtudinem, cùm illa de cauda ad ſignum cõuerſa arrepere perrexit, & nòn animaduertente vulpecula, illud tenuit.

Docet fabula ingenium viribus præſtare.

Merces anguina. 391

SVBIERAT cauernam montis ſpacioſiorem intus anguis, in qua dum circumreptans longè lateq; moraretur diutius, præteriẽs fortè viator, cui locus idoneus ad acquieſcẽdum viſus eſſet, obiicit ſaxum faucibus cauernæ, ſiue quòd metueret, ne qua inde venenata beſtia proſerpens, ſi obdormiiſſet neque prouidere poſſet, ſe læderet, ſeu quia ita aptum erat, vt ibi in radice montis ſaxũ apponeret & accumberet. Anguis de extremis cauernę partibus reuerſus, cùm inueniſſet obſtructum oſtium, vehemẽter perturbatus, miſerias ſuas ſecum queri, & antrum cõplere lacrymabili ſibilo. Quo excitatus de ſomno viator: Deum immortalem, quid ego quiritationis, inquit, audio? Anguis

ſuum. Itaque oblitus mercedis, ſalutem ab angue ille deprecans, eá ne fides eſſet & veritas generi anguino, rogitat, ſibiq; vt vitam ſaltem concedat orat:ea pro bene ficio dato ſe gratia contentum fore. Cui anguis:Immo ego tibi,inquit, quæ polici tus ſum præſtare paro,nempe eam gratiā vt referā benefactori, quæ inter mortales ſummis beneficiis,vt dictum eſt, rependi conſueuit.Hoc ne fit igitur?inquit viator. Neq; ego vidi,neq; fando audiui,pro maximis meritis malum atq; mortē retribui ſolere. Age, inquit ſerpens, niſi tu ita eſſe fatearis,viceris & viuas. Ac mox progrediamur,inquit, aliquò, vbi cognoſcamus, num ita ſe res habeat,vt dico. Tum profecti vident in prato equum ſtrigoſum & macilentum paſci:accedunt ergo ita volente angue propiùs, atque hic quid rerū ille gerat,& quæ ipſum fortuna in eum locum detulerit, rogāt.Méne,inquit equus, miſerum? Qui quondam dum vires erant integræ,tribui præclaram & gratam operam domino meo, nunc illis ætate conſumptis, huc emiſſus, expecto ſcilicet in horas ſingulas percuſſorem, qui iugulati carnibus feras beſtias ineſcet:hęc refertur gratia meritis erga dominum meis. Audin' tu iſtum,inquit anguis,quæ loquitur?

 Audio,

te viatore, dimidium auium, quas domi in corte aleret, vulpecula paciſcitur. Et ad anguem conuerſa: Ego audiui iſtius, inquit, querimoniam miſerabilem, & grauem accuſationem immanitatis tuæ, neque diiudicatura ſum litem, niſi omnibus inſpectis & conſideratis, etiam deducta in rem præſentem, ne temerè de hominis capite ſententiam feram. Quare, ſi placet, eamus omnes illò, vbi controuerſia orta fuit, atque ibi, ſi videbitur, diſceptabitis coram me iudice. Aſſentitur anguis, & vulpes ad cauernam deducta: Hæccine, inquit, illa eſt, in qua te periculum vitæ adiiſſe dudum aiebas? Ea eſt, inquit anguis. Interius etiam perſpiciamus, inquit vulpes. Licet, inquit anguis. Ducito, igitur, inquit vulpes. Atque ita intro in cauernam repente angue, conuerſa ad viatorem: Heus tu, inquit vulpecula, nunc tu ipſum te metu libera, & ſaxum ad cauernam reuolue. Paruit viator, & iam lætus animóque ſecuro, iubet ſub noctem adeſſe ad mercedem auferẽdam vulpem. Ac domum cùm veniſſet, percõtanti vxori vbi tam diu moratus, quid rerum egiſſet? & quanto in diſcrimine fuiſſet, & quid vulpi liberatrici ſuæ mercedis promiſiſſet, commemorat. Tum mulier: Vel

vitæ ipſius de cauernula nõ emiſerat. Sed iam ætate corpuſculo confirmato, ipſe & geſtire alacris, & exire velle, neque pati ſe diutius in cauernulæ anguſtiis incluſum retineri. Itaq; aſſiduis precibus filij mota genitrix, poteſtatem hanc illi facit: hac tamen lege, ne vlterius quàm in conclaue proximum procurrat, atque ibi vt cautè verſetur monet, & lucem vitare, ac angulos & tenebras quærere iubet. Gaudet muſculus ſe quaſi de carcere emiſſum, & matris tamen præceptorum memor, in proximo conclaui, animaduerſo propter focũ angulo & rimula, latebras occupat. Ibi videt placido & molli greſſu cãdidam felem ſenſim ad focum accedere, & in illo aſſidentem, pedibus prioribus quaſi manibus aures & caput demulcere atque deſtringere, & ita demum accubare. Muſculus illam aſpicere, & forma delectari, & probare animo ſuo honeſtatem illius compoſitóſque ac placidos mores. Dum autem intuens eam quadam voluptate illectus accedere propiùs cogitat, inuolat in idem conclaue galluſgallinaceus, & alarum ſtrepitu cantúque ſubito ita perculit muſculi animũ, vt oblitus omnium & ſui quoque immemor, pauens & tremens ad matrẽ repentè recurreret.

reret. Quæ complexa illum anhelantem & timidum: Mi nate, quid rei eſt? inquit. O mea mater, ô mea matercula, inquit ille, quid ego vidi? quid vidi igitur? Quid vidiſti, inquit illa, mi nate, mi filiole? O mea matercula immanem (inquit ille) beſtiam vidi, criſtato capite, cornutis pedibus, quæ me clamore ſuo ac ſtrepitu ita perterruit, vt me etiam mirer viuere. Vbi illam obſecro, inquit mater, conſpexiſti mi fili? In proximo, inquit ille, conclaui, cùm inhiarem intentis & oculis & cogitationibus pulcerrimæ fœminæ, quæ velleribus albis tecta, molliſſimo inceſſu, vix tum primùm aduenerat, & compta compoſitaq; belliſſimè manibus facie, in foco accubuerat. Cuius aſpectu, dum licuit, dumq; animo ſecuro fui, iucundiſſimo fruẽtem, iſta beſtia, quam dixi, inuolans & de loco editiore horridam vocẽ edens, ita me formidine compleuit, vt vides. Mater iam intelligẽs, quid formoſæ fœminæ, & quid immanis beſtiæ diceret filius: Mi fili, inquit, ille quidem clamor & hæc tumultuatio beſtiæ iſtius, caue poſthac vnquã tibi metum incutiat: at verò ſilentium & mollitudinem, & blandos geſtus atque comptam ſpeciẽ fœminæ illius, ſic fugito, vt præſentem mortem, neq; tu vultum ipſius ferre,

neque

neque in ea iterum loca, vbi ſemel cõſpeteris, venire, deniq; totas domus, odio & fuga huius generis, vitare ac declinare velis, ſi tua vita & ſalus tibi curæ eſt.

Docemur, non feroces iſtos & clamatores & grãdes: ſed taciturnos & lenes & contractos metuere.

Vulpes grauedinoſa. 393

Leo cùm graui morbo laboraret, quo fœtor animæ illius auctus totum ſpecum tetrũ redderet, accerſit ad ſe beſtias, quaſi ad officium viſendi regem. Atque vt quæque introgreſſa fuerat, accedere eam propius iubet, quaſi orationis altiorem ſonum neq; ipſe ferre, neq; vſurpare poſſet. Poſt initia autem quædam querelarum morbi ſui, rogat quaſi fortuitò, ecquid fœtoris ſentiat? Cùm alia ſimplex ſentire ſe diceret, & teterrimè olere, ita ſe ſuámque regiam contemni & infamari cũ indignatione clamitans, ſtatim illam obtruncat. Aliam, quę ei aſſentari vellet, neq; ſe offendi, vel etiam bene olere antrũ diceret, ipſe mẽdacio ſe irrideri cauſſatus, ſimiliter interficit. Tandem aduenit & vulpes: hæc verò ambigua in interrogatione hæſitãs, & periculũ reſpõſionis vtramq; in partem præuidens: Nihil etiam, inquit, ſentio mi rex. Ac ne tu mirere, ſcito hoc me die, dẽ-

ſiſſima

ſiſſima cùm nebula eſſet, progreſſam de cauernula mea,& in illo aëre craſſo ac humido, grauedine & deſtillatione correptã eſſe, ita vt odoratus ſenſum me penitus amiſiſſe intelligam. Quare quicquid eſt odoris,nihil me vel iuuat vel lædit.

Fabula docet,nihil eſſe in conſuetudine potentum factu vtilius, quàm res & ſtatum & conſilia illorum nolle intelligere. Et celebratur dictum Philippidis comici. His enim, vt fertur,cùm Lyſimacho regi gratus eſſet,& quodam ab illo tempore liberaliſſimè tractaretur,interrogatus : Quam omnium fortunarum regiarum partem peteret ſecum communicari? Liber, inquit, ô rex, participem me facias quorumcunque volueris, modò ne ſecreti alicuius atque arcani conſilij.

Vulpes & Erinaceus. 394

C V M vnà fortè iter facerent vulpes & erinaceus, gloriari illa,& oſtentare ingenij ſui calliditatem, & ſe plurimarum artium notitia inſtructam eſſe,ſuperbè prædicare, & rogare quid erinaceus ſciret? Nihil enim, inquit erinaceus, niſi me in globulum conuoluere. Hoc enimuerò irridere illa, & contemnendum ducere. Paulò pòſt incidunt in canes, qui cum omnibus artibus vulpem capiunt & diſcerpunt:ſpinis autem ſuis tectus,& de-

fenſus.

ſenſus erinaceus omne periculum euaſit. Vnde & prouerbium poſtea natum, quod Græci ſenario iambico ita protulere:

πολλ᾽ οἶδ᾽ ἀλώπηξ, ἀλλ᾽ ἐχῖνος ἓν μέγα.

Fabula narratur contra gloriatores.

Poma & Sterquilinium. 395

FORTE ſublatum cum pomis ſterquilinium ſubita aquarum eluuione, fluitabat in eo loco, vbi dudũ iacuerat. Tum ſe illud & in aquis vehi, & ferri cum pomis præclarum exiſtimans: Quàm ſcite nos, inquit, poma natamus? Sed paulò pòſt humiditate diſſolutum in aquis euanuit.

Fabula narratur contra gloriationis vanitatem.

Hircus & Statua ahenea. 396

CONSPICATVS aheneam ſtatuam hircus, qui ſibi magnitudine cornuum admodum placebat, in illam magno impetu ſe intulit, quaſi prima incurſione euerſurus: ſed tantum abfuit vt illam proſterneret, vt ipſe fractis cornibus collabẽs animo linqueretur.

Fabula dicitur ijs, qui cum potentioribus contendunt. Vtitur prouerbio, vt videtur, de tali fabula compoſito, apud Herodotum Cleomenes.

Vulpes

Vulpes & Erinaceus. 397

Cvm vulpecula fluuium tranſire vellet, delata fuit vi vndarum in crepidinem, vnde euadere non poſſet. Cúmque admodum affligeretur, magnaq́; copia muſcarum iam ad illam conuolaſſet, aiunt fortè prætereuntem erinaceum miſertum illius, muſcas abigere voluiſſe: Sed vulpeculam non eſſe paſſam, cauſſamq́; expoſuiſſe mirāti erinaceo, quòd ab illis iam ſaturis mitius cruciaretur: quæ ſi eſſent abactæ, eſurientes mox aliæ adhæſuræ ſibi, & quicquid adhuc reſtaret ſanguinis eductüræ viderentur.

Fabula docet, ſatius eſſe reſpublicas committi peculatoribus opulentis quàm egentibus. Quo ſenſu & Ariſtoteles Aeſopum quondam Samijs hanc narraſſe ſcribit, cùm aduocatus eſſet prætori Samio peculatus reo. Et ſimili conſideratione præſides prouinciarum non facilè mutaſſe Tiberium imperatorem accepimus.

Ouis & Canis. 398

Qvo tempore animalia & pecudes ſermone vtebantur, aiunt ouem dixiſſe hero ſuo: Per mihi mirum videtur, nihil nobis à te præberi, cogiq́; è terra nos victum quærere, de quibus tamen tu &

lanam

lànam capis & caſeos & agnos: at canibus, vnde nihil horum tibi redit, impertis panem quo ipſe veſceris. Tum canem qui hoc audiſſet, ferunt ſic locutum: Merito hercle meo fit: nam ego is ſum, qui vos ipſas etiam cuſtodio atque ſeruo, ne vel hominum furto, vel luporum raptu pereatis: quòd ſi ego veſtram cuſtodiam negligerem, iam ne ad pabula quidem exire auderetis præ formidine interitus. Atque ita etiam oues ipſas facilè paſſas fuiſſe accepimus, vt ſe canes potiores & maiore in honore haberentur.

Hæc fabula narratur vulgo imperitorum, qui ſapientum otio iraſcuntur, & illos in tanto honore vitam de ſuis laboribus degere moleſtè ferunt. Niſi enim ipſos doctrina & ſapientia defenderet atq; tegeret, neq; ſalutem neq; fortunas ſuas ſaluas & integras conſeruare poſſent. Xenophon iubet referre hanc ſororibus fratrem, quem de ſuis laboribus illa viuere iniquo animo ferre viderentur.

Voluptatis & Doloris affinitas. 399

VOLVPTATEM aiunt ac dolorem, quodam tempore coram Ioue, ſe mutuò grauiter accuſauiſſe, cumq; ille nihil non tentaret atque experiretur, quo in gratiam litigantes redigeret, fruſtra omnia conatum ipſos tandem adamantina quadam

catena inter ſe, copulaſſe atq; deuinxiſſe. Itaq; durante nihilominus diſſidio & voluntate contraria, neceſſariò coniuncti & ſociati manſerunt. Quare aliter fieri nequit, quàm iucunda & aduerſa inter ſe quidem ſemper vt pugnent, ſed vnum tamen alterum immutabili ſerie excipiat ac ſequatur.

Hanc fabulam de naturali quodam ſenſu Socrates apud Platonem componit. Et Liuius ait lib. 5. Labor voluptasq́, diſſimilis natura ſocietate quadam naturali inter ſe ſunt innexa. Sed & ad moralem trahi poterit talem: Non oportere homines in labore & rebus aduerſis nimium deijci animis, & de meliore fortuna penitus deſperare, ac contra potius certa perſuaſione expectare meliora, cogitantes hoc, quod ille canit:

Venit poſt multas vna ſerena dies.

Noctua & Sol. 400

GRAVITER querebatur noctua ob lucis & diei ortum, & cum ſole expoſtulabat. Cui ſol: Non meum opus, inquit, ſed oculi tui culpandi ſunt.

Fabula docet, improbos iraſci virtuti, quæ illorum facinoribus obſiſtere ſoleat.

Cicadæ Platonicæ. 401

CVM carmina primùm proferentibus Muſis cognita ab hominibus fuiſſent, erant qui tam incredibili & infinito ſtudio

dio illorum tenerentur, vt præ his non modò nihil rerum neceſſariarum curarent ac reſpicerent, ſed ne vacarent quidem cibo ſumendo. Quos deorum aliquis miſeratus, attenuatos fame & vigiliis atque aſſidua occupatione carminum, in cicadas fertur mutaſſe, vt cupiditati illorum nihil vnquam deeſſet, cùm præter vocem nihil ferme quo vita intelligi poſſet, haberent: corpus autem eiuſmodi, vt minimo cibo duraret, itaque rore paſci ac viuere cicadæ putantur.

Hac fabula monemur, in leuitate & imprudentia exitus eſſe conuenientes factorum & vitæ anteactæ.

Accipiter & Luſcinia. 402

COMPRAEHENSAM luſciniam accipiter, & miſerabiliter vociferantem, increpat ſæuis verbis: & quid tu, inquit, rere tui clamoris gratia te amiſſum iri? Nihil ego iſtum moror aut curo, neque, niſi forte animo meo placuerit, tua quiritatio te de vngulis eripiet meis.

Fabula vt Heſiodus ait, docet, ſtultè facere eum, qui nitatur contra potentiores: nam neque ſuperiorem illum eſſe poſſe, & ad miſeriam ſibi deriſionem adiungere.

ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκης τε στέρεται, πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

De Satyro & igne. 403

Allato igne in terras, quem Heſiodus ſcribit Prometheum Ioui furto ſubtractum apportaſſe mortalibus, tum igitur Satyrum delectatum ſplendore & claritate flammæ, voluiſſe aiunt amplecti ignẽ & oſculari: Sed Promethea monuiſſe, futurum hoc cum detrimento barbæ ipſius: Aduret enim hanc, inquit, & cum cruciatu exulcerabit mentum. Ibi ferunt Satyrum repræhendiſſe factum Promethei, qui malum ſplendidum mortalibus attuliſſet. Prometheum verò docuiſſe malum non eſſe. Nam vrere quidem ignem, ſed lucem etiam atque calorem ſuppeditare, cùm ad vitæ iucunditatem, tum omnium artium vſum & opificia, ſi quis illo vti rectè ſciat.

Fabula docet, exquirendum vſum verum in rebus omnibus, ne peruerſa vſurpatione damna nobis accerſamus.

De Columbis. 404

Oppressa columbarum cohorte, quæ ab vna quaſi regina & domina candidiſſima columba ducebatur, reti aucupis, ſingulæ ſtrepere & alis plaudere & ferire rete, ſi qua erumpere poſſent. Tum non

non ſolùm albam ſed etiam ſapientem reginam ferũt illum impetum promiſcuum & temerarium ſuarum columbarum verbis compeſcuiſſe, & hortatam eſſe, vt conſociata & conſentiente vi atq; opera eum pere ſtuderent: nã ſingulas non aliter ſeruari poſſe, quàm ſeruatis vniuerſis. Cùm autem hæ parerent ductrici ſuæ, & pariter ſubuolare impetu concordi omnes conarentur, ſuſtulerũt rete, & in ſiluas aufugientes abſtulere, vbi ſuper arboribus laqueis relictis, ipſæ omne periculum euaſerunt.

Fabula docet, communi ſalute ſingulorum ſalutem comprahendi, & obedientia ſubditorum, quæ πειθαρχία vocatur à Græcis, non ſolùm publica ſed priuata etiam bona procurari.

De Plauſtro recenti & vetere. 405

PLAVSTRVM recens ſtridẽtibus rotis fertur obuiam quondam factum alteri, quod & vetuſtius, & cuius rotę detritiores eſſent. Hoc igitur illud interrogat, quid queratur, aut quæ res ad iſta ipſum lamẽta adigat. Cui recẽs & ſtridulum plauſtrum: Cur tu obſecro tanto, inquit, ſilentio inueheris, & raros etiam gemitus edis ſub oneribus? Sentio enim, inquit hoc, dolorem, & ferẽda intelligo quæ impoſita mihi ſunt, itaq; ferre quàm deplorare malo.

Docet fabula, clamores & vociferationes non ferè à vanitate & leuitate abeſſe, & dicunt Franci: Cachinnos ſonantes in ore naſci. Etiam docet, quantum in laboribus perferendis exercitati nouitijs & rudibus præſtent.

De Vulpe & Paſſere. 406

PALVMBIVM nidus erat ſuper arbore, quo prius pulli quàm euolarent venire conſuerat vulpes, & poſtulare mercedem, quaſiq; penſionē habitationis illius, quòd diceret ſuam eſſe arborem, & à maioribus ſuis poſſeſſam, ac auibus quoque tempore ad nidulandum elocatam fuiſſe: petebat autem pullum vnum, qui niſi daretur, totū nidum ſe vaſtaturam, & illam palumbium familiam deleturam eſſe minabatur. Grādiores igitur palumbes ſermonibus illius territi, pullum à ſe annis pluribus exigi paſſi fuerant. Itaque incubans ouis mater ſemper mœſta erat cogitatione & dolore amittendi pulli. Hanc triſtem conſpicatus præteruolans paſſer, rogat quid rei ſit, aut cur perturbetur eo tempore, quo lætari in ſpe fœtus deberet. Cùm palumbes, quē caſum metuat, & qua anxietate teneatur, exponit, vulpiſq; iniurias & totam rem ediſſerit. Hic enimuerò palumbem ſimplicem irridere, & caſtigare ſtol

re ſtolidam verbis: Quid enim tu cenſes, inquit, vulpino generi vllam arborem à natura peculiarem procreatam eſſe? Minimè hoc factum eſt, mihi crede, neque ſi quid proprium attribuere vellet natura rerum vulpibus, arbores, vt opinor, quas non poſſent illæ conſcendere, ſed ſpecus & dumeta cõtuliſſet. Sed etiam tu cogita, an recordari poſſis à matre tua audiuiſſe, mercedem vulpi, vt huic arbori inſidere tutò liceret, datã eſſe. Verùm ſit ita, & vulpes iure vtatur ſuo, quin tu tamen minas illius ſpernis, quippe quæ volucris ſis, & quã aſſequi vulpes omnes, quotquot ſunt, nequeant. Quare ita facies, cùm excluſi pulli fuerint, & vulpes ad penſionem auferẽdam affuerit, negato te illi quicquam debere: cumq; ſolitas minas vſurparit, hoc modo reſpondeto: non te vereri, ne vulpes arbores aſcendant cum tam ponderoſis caudis. Paruit conſilio palumbes, & vulpem paulo poſt cum ſuperbia & minis aduenientem ad mercedem ſumendam ita ablegare, & ea oratione refutare cœpit, qua fuerat à paſſere inſtructa. Tum vulpes dolos patefactos ſentiens, cùm tamen palumbis ingenium ad talia explicanda non eſſe idoneum ſciret, & alium fuiſſe architectum intelligeret, remittere ſe palumbi

quicquid debeat ſibi, & omni metu à ſe illam liberare, deq; ſuo iure decedere ait, modò indicet, à quo talem reſponſionem educta, & iſto conſilio inſtructa fuerit. Palumbes nihil cunctata, paſſerem ſibi præmonſtratorem & ſuaſorē fuiſſe dicit. Venit igitur ad paſſerem, vt fortè in terra conſtiterat, vulpes, diſſimulans ſe quicquam comperiſſe, &: Sæpe, inquit, mecum admiror ac ſuſpicio genus veſtrum, cui natura tantam agilitatem tribuerit, vt in ſublime altè euolare, & celeriter quocunq; libuerit deferri, atque amnes & maria tranſire poſſitis. Sed vna videtur res, ventorum & procellarum vis, contraria & moleſta eſſe vobis, capitulis tam paruis & ſubtilibus præditis. Nihil, inquit paſſer, illa vis, quam memoras, nocere nobis poteſt, nam quoties hæc commota tempeſtate infertur, ſub alas reclinata capita ita abdimus & protegimus: ac ſimul recondit ſub ala caput. Tum vulpes irruens de improuiſo illum corripit, atque diſcerpens vlciſcitur contra ſe ſubiecta palumbi conſilia.

Fabula notat eos, qui alijs cauere & conſulere ſoleant, ſibiipſis neſciant.

Paſtoris memoria. 407

PROFECTVRVM villę cuiuſdam dominum

minum in vrbem opulentam longiùs, negotiorum ſuorum gratia, orabat vxor, monile ſibi vt aureolum afferret: orabat filia, vt veſtem apportaret: etiam ancillulæ, vt reticula emeret. Tum paſtor accedit, numosq́; in crumenula tradit hero, & vt fiſtulam ſibi mercetur rogat. Rebus perfectis, quas ob res in vrbem illam ventum erat, cùm reditum iſte ad ſuos appararet, dum ſarcinas inſpicit, fortè crumenulam acceptam à paſtore reperit. Ibi recordatus petitionis huius, fiſtulam emit, & paſtori paulo poſt reuerſus domum eam dari iubet. Vxor igitur & filia imprimis, ſed & ancillulæ ſperare atque poſcere ſua. Cùm verò diceret hic, ſibi excidiſſe quid quæq; voluiſſet curari ſibi, & omnino illarum emptionum oblitum fuiſſe: indignari mulieres & moleſtè ferre, paſtoris mandata potiora eum habuiſſe ſuis. Tum paterfamilias: Nolite mirari neque iraſci, inquit: paſtoris enim memoria me in crumenula proſecuta fuit.

Fabula docet, gratuitò operam qui dent alijs, nonnullos, ſed largiri qui velint, & de ſua etiam pecunia eſſe liberales, paucos reperiri. Itaq; & Sueuicum prouerbium eſt. Paſtoris memoria, cùm impendia recuſantur.

Vaſculum mellis. 408

Cvidam, qui eſſet in opinione ſanctitatis ſingulari, quod prę cura rerum diuinarũ humana omnia negligere crederetur, à religioſis mulierculis ſpe pro ſeſe precũ erga deum illius, tribui abundè ſolebant neceſſaria ad vitam ſuſtinendam, de quibus ipſe, quantum ſatis eſſet, capiebat, reliqua dilargiebatur egentibus aliis. Quodam huic tempore allatum fuit fictile vas plenum optimo melle, quo dono admodum delectatus homo ſupra ſuum lectum ſuſpendit vaſculum, atq; multis annis mel integrum & inconſumptum ſeruauit. Fortè annus venit contrarius apibus, quo mellis pretium ſupra modũ augeretur: tum vno ille die accubans, ſupraq; ſe appenſum vaſculum intuens, rationem computare cum animo ſuo, quanti venire poſſet vaſculum illud cum melle, poſuitq; tanti, quanti oues duæ emerentur. Hac ſpe delectatus ac progreſſus longius: illæque, inquit, oues binæ poſt annum, binas alias parient, tum deinde quaternas quatuor, & mox octonas octo. Pergésq; hoc modo ad magnum peruenit gregẽ ouium: has, tum inquit, oues, cùm erunt cariſſimæ, vendam, & de pretio illarum domum, agroſq; mihi

mihi cōparabo : ita tandem re bene geſta ducā vxorē,eq; illa ſuſcipiam liberos,inprimis filiū elegantē, quē optimis præceptis vitæ & doctrinę inſtituā. At ille auſcultans mihi euadet in virū egregiè eruditū,& inueniet laudem ſapientiæ ac virtutis. Verum ſi non obtemperare monitis meis,neque parere voluerit rectè monſtranti, & inſtitutionem meam repudiarit : tum ego illum,ſic,arrepto,inquit,ſcipione,qui prope ſpondulam ad parietem applicatus ſtabat,ſic illum ego verberabo. Et inter has cogitationes diuerſas ſuas elatum altius ſcipionem impegit in vaſculum, eoq; pertuſo,effuſum vna cum præclara illa ſpe,defluxit in ſtragula mel, hícque conſiliorum tam ſplendidorum fuit exitus, Carere vt homo melle, quod tam diu conſeruarat, & eluere ſtragula cogeretur.

Fabula reprahendit vanitatem vulgi,qua illud animis ſuis inhiare ſolet ſemper maioribus, neq; mediocritate contentum, fructus praſentes percipit vita communis. Huc pertinet & ſimilitudo Platonica in lib. v. rerumpub.illorum qui animo & cogitatione ſua conuiuia inſtituant.

ἀργὸν καὶ ἄλλως ψυχὴν ἔτι ἀργοτέραν ποιοῦντος.

De imperito. 409

QVIDAM præter excuſoris officinam dum

dum tranſit, ferrum forte videt abiectum humi, quod faber de forcipe paulo ante, vt candor non magis appareret, eiecerat. Hoc ille, nihil tale ſuſpicans, dum tollere vult, manus aduruntur homini: itaq; dolens relicto ferro diſcedit. Cōſpicatus hæc omnia alius: ſtulte, inquit, periculum te prius facere oportuit, vtrum caleret ferrum. Quonam, ille, pacto? inquit. Vt inſpueres, inquit alter: ſtrideret enim niſi deferbuiſſet. Hoc ille audito, paulo poſt in prandio, quòd recordaretur palatum ſibi aduſtum fuiſſe olim pulmento calidiore. etiam in appoſitum cibum inſpuere, & illo non ſtridente auidè glutire, & os comburere. Quod alius cernens: quin, inquit, à calido cibo abſtinebas pauliſper, dum frigeſceret? Ego, inquit ille, deferbuiſſe cenſebam. Quomodo, inquit alter, quem videres fumantem? Memor ille huius etiam ſigni, cùm forte totū æſtiuum diem itinere faciendo conſumpſiſſet, venit veſperi cum maxima ſiti ad fonticulum, vbi auræ, vt fit, ſpeciem fumi præberent: hic verò ille miſer & ſiticuloſus abſtinere, tanquam feruentibus vndis, & quærere ad profundam vſque noctem aquam & ſiti pene interire, metu ne à fontanis fumantibus, vt rebatur, vndis vreretur.

Narratur fabula contra imprudentiam, & eos, qui non diſtinguũt diuerſas res intelligentia ſua, & promiſcuè de ijs, inter quæ maxima ſunt diſcrimina, iudicant.

Manticæ. 410

QVIDAM mantica applicata humeris circuibat, & in priorem illius partem congerebat peccata aliena, in poſteriorem reiiciebat ſua. Atque ille reprehendere alienos errores, ſtultitiam, flagitia, ſcelera, totóſque dies in ſeculum declamitare ſuum, & de mantica promere hominum mala facinora, quęquibuſlibet obiectaret. Quodam die vnus acerrimè obiurgatus, cùm tandem finis fuiſſet, quæſo, inquit, à tergo tuo quid tumet? Pars, inquit ille, ſcilicet manticæ ea eſt. Intus verò quid? mea, inquit ille, delicta & facinora mala. Ab his ne igitur, inquit hic, redarguendis tantum ocij tibi eſt mea & aliorum vt cures? Non, inquit ille, vt fecit Catullus, videmus manticæ quod à tergo eſt.

Docet fabula, omnes ſibi facile ignoſcere, alijs verò difficiles eſſe, ſeq; abſoluere, alios condemnare: atque in genere narratur contra φιλαυτίαν, id eſt, amorem ſui, qui ab Horatio cæcus dicitur.

Vulpes & Auiculæ. 411

DIV perpeſſa famem vulpecula, cùm nihil

nihil ſucceſſiſſet omnium artiũ, quas ad victũ parandum exercuerat multiplices, tum ſeſe illa præ mœrore animi abiicere humi, & ſecum miſeriam ſuam tacitè deplorare. Aues mortuam ratæ aduolare propius. Illa vbi hoc videt, immobilis manet, & animam continet, ne aues ſpiritu vitam adeſſe intelligant. Securæ igitur accedunt, & in vulpem inſiliunt: at illa, poſtquam cenſuit tempus eſſe, exilit, & compræhendit proximam, ac deuorat. Poſtridie experitur eandẽ fraudem: Ibi vna (cornix vt opinor) non, inquit, ſi tuam pellem in iſta ſæpe expaſſam conſpicer, in illam inuolauero.

Docet fabula, fraudulentis nunquam fidem habendam eſſe: ipſis enim etiam quieſcentibus, doli tamen vigent & mouentur.

Anſerinus inceſſus. 412

NON placebat matri anſerculi ſui greſſus. Docere igitur, ac præcipere illi primùm, ne in latus vtrunque nutando quaſi claudicaret, ita ingrederetur. Pullus, cùm hoc tentaret, neque ſuccederet res, ramuſculos alligat ad cruſcula, quibus ſuſtentatus ingrederetur æquabilius, ſed illi procumbere in lacunulas, & natitare volentem, impediebant. Tum mater, caput

ſaltem,inquit,teneto.Ille erecto collo,caput ſurſum immobile tenẽs ad obuia quæque offendebat, cũ oculi non proſpicerẽt, ſed ſuſpicerent. Tum mater:at tu, inquit, & pedibus, & capite ſic vtere, vt maiores omnes tui vſi fuere.

Fruſtra laborari fabula docet in ijs emendandis, quæ ſunt inſita aut confirmata cuiuſdam prauitatis, ſecundum hoc, σκαμβὸν ξύλον οὐδέποτ᾽ ὀρθόν. Etiam hoc monet, non naturæ ipſi aduerſandum, ſed conditionem communem boni conſulendam eſſe.

Ab Apibus ictus. 413

QVIDAM conſpecto alueo, intra quẽ apes acquieſcerent, acceſſit, & aperit illum,auidus mellis, tum in ipſum apes facto impetu inuolant, & quæcunque partes in corpore patebant,eas configunt aculeis ſuis. Hic verò peſſimè acceptus, vix fuga ſe eripuit,& periculum euaſit. Quem conſpicatus alius, quòd eſſet ore tumido & vlcerato,cauſſam mali ſciſcitatur. Hic verò,quid ſibi accidiſſet,narrat. Tum ille,at tu,inquit, poſthac apes prius repellito, & abigito:ita denique mel tuto capere,& frui illo ſecurè poteris.

Monet fabula, non cupiditatibus temere obſequendum, & quicquid faciendum ſit, vt cum ratione aggrediamur.

Mala

Mala mutata peioribus. 414

MATVRESCENTIBVS frugibus cuſtodem quidam appoſuerat, qui prohiberet ab illorũ tranſitu tã homines, quàm iumenta. Huic cùm permulti elaberẽtur, neque iumenta curſu aſſequi poſſet, præpoſuit cuſtodiæ aruorũ ille equitem. Hic verò, dum iumenta, ſi qua forte in fruges inuaſiſſent, dúmque tranſeuntes viatores inſequitur, maiorem ſtragem propemodum ipſe, quàm qui fugabantur, edidit.

In eandem ſententiam. 415

MVLIER à viro iuſſa, ad ſacra quædam liba & placentas torruerat. Hunc cibum mures adepti noctu arroſere. Illa in idem conclaue felem immiſit, quæ mures caperet, & ſuos labores protegeret: at hæc & integra, & reliquias muſculorum deuorauit.

Aſinus Iudex. 416

CONTENDENTES de cantus bonitate cuculus & luſcinia, iudicem cepere aſinum. Aſinus iubet canere luſciniam: illa vt poteſt ſuauiſſimum carmen, & omni varietate diſtinctum, modulatur. Mox iudex cuculum & ipſum promere, quod meditari

ri videretur, iubet. Ille ſuos cantus notos & æquabiles,& vniuſmodi profert. Cùm finem feciſſet,Hunc, inquit aſinus, victorem pronuntio, te luſcinia, quæ intricata & varia canis,victam eſſe ſtatuo:hæc mea ſententia eſt.

Docet fabula. id quod prouerbium, Aſinum lyra cantus audire,non intelligere. Et item hoc, quod alterum dictum in Aſinum mandentem tribulos, ſimiles habere labra lactucas.

Ranæ & Puer. 417

LASCIVVS puer ad ſtagnum conſpicatus ranas exerentes capitula de aquis, per luſum ſaxis illas appetebat,déque illis iugulabat multas.Tum vna, Iſte quidem puer,inquit,vt videtis,ludit:noſtræ autem ſorores moriuntur.

Quicquid delirant reges,plectuntur Achiui. Et apud Herodotum Cambyſes in puerum iratus quidem ille:ſed quaſi per luſum ſagittam emittit, eaq́ per cor pueri tranſacta, ridet: At puerum interemerat.

De aſino & Nauicula. 418

PISTORIS aſinus cùm ſitiret,ad proximum accedit flumen, cuius ſiue altitudinem metuens,ſeu alia,neſcio qua,aſinina cogitatione,per lintrem reſti alligatam ad ripam fluminis, vadit ad aquationē:at-

que ſedata iam ſiti dum redit, demerſo roſtro, vt plæraque faciunt bruta, omnia olfactans, ad reſtim de recentibus frondibus ſalignis implicitam deuenit, quam illo arrodente, ſoluitur linter, & vna cum aſino ſecundo flumine, quà vndæ ſine gubernatore ferebant, defluit. itaque ſiue intercepta, ſeu ſummerſa vna cum infelici nauta periit. Viderant aliqui in lintre aſinum aue hi:ita res cognoſcitur ab vtriuſque domino. Vterque igitur ſuum damnum moleſtè ferebat, & alterum vt autorem illius accuſabat. Poſt multa iurgia cauſſa in iudicium deducitur. Coram quibus illa diſceptabatur, ij non auſi pronunciare de controuerſia ſingulari, vt videbatur, cùm clamaret vnus lintrem alienam ſuum animal auexiſſe, alter alienum aſinum ſuam lintrem ſoluiſſe: conſulunt legum & iuris publici peritos, atque iis res magna, & difficilis viſa: itaque omnes libros excutere, in ſcholis & cœtibus ſuis illã diſſerere, atq; quęrere, vtrúmne damnum dediſſe linter, an aſinus pauperiem feciſſe videatur. Neque putatur ad hodiernum vſq; diem ſtatui decidíque potuiſſe.

Hanc fabulam narrauit luculentè [redacted] *in laudatione ſtudij Iuris ciuilis, & legum Romanarum, & docuit tales eſſe indoctorum iuriſcon*

iuriſconſultorum diſputationes. Eſtq́; non diſsimilis huius fabulæ inſtructio, græca illius de aſini vmbra.

De fatuo Lignatore. 419

PROVINCIA erat cuiuſdam lignatus, is de lignorum ſtrue magno niſu & labore infima eruebat. Sciſcitanti cauſſam: an tu neſcis, inquit, difficilimos & maximos labores primos eſſe oportere? Nam ego imis his ſublatis, ſumma illa ſine negotio abſtulero.

Eſt & hac [redacted] fabula accommodata ab illo ad peruerſitatem ſtudiorum: ſed & ad alia applicari poterit, quæ præpoſterè geri ſignificari voluerimus.

Miluius affectator. 420

MILVIVS audito equi hinnitus ſono terribili cogitauit, ſi ipſe ſimili vteretur, formidini ſeſe reliquis auibus fore. Imitari igitur velle, & ad ſimilem vocem exprimendam guttur & roſtrum intendere. At ille neq; clamores & fremitus equinos aſſequi potuit, & ſuum lipientem, vt vocant, tinnitum corrupit, & magis in ridiculum, quàm metuendum alitē euaſit.

Dicitur fabula contra ineptias & peruerſitatem imitationis ſtultæ & reprahendendæ, & in affectatores ſtolidos ac incogitantes.

Adoleſcens improbus. 421

CVM domum interdum rediiſſet adoleſcens audax & petulans, gloriabatur atque iactitabat, cùm alia ferociter & improbè à ſe perpetrata, tum illo etiam die alium adoleſcentem verberibus affectum fuiſſe. Cui pater, quoties forte audierat, dicere ſolebat: Nondum fili reperiſti eum quem quæris. Quadam nocte reuerſus domum malè mulctatus & ſaucius, cùm muſſitaret & latebras quæreret: tum pater: Seriùs quidem, inquit, ſed tandem inueniſti fili, quem longo tempore veſtigaſti.

Docemur hac fabula, non efferri animis ſucceſſu improbitatis. Itémque neminem fuiſſe vnquam, neq; eſſe tam ferocem, quin alius ferocior reperiri poßit, ſecundum verbum vetus:

ἀλλ' ἐςὶ καὶ πῦρ ἐς πλέον τ' ἄλλου πυρὸς καίον, λύκος τ' ἀγριώτερος ἄλλων λύκων, καὶ ὀξύτερος ἱέραξ ἱέρακος πέτεται.

Dominus aſper ſeruis. 422

ERAT cuiuſdam in ſeruos magna ſæuicia, qui neque illis quicquam temporis indulgeret ad quietem, & victum parciſſimè præberet. Quodam tempore cùm abeſſe ſerui illũ putarent longiùs, quererenturq; ſecum miſerias ſuas: tum vnus ſiue temere, ſeu inſtinctu quodam diuino: Non ille,

ille, inquit, huius anni fruetur vindemia, & me verum dixiſſe omnes comperietis. Sed dominus audierat hoc, vt forte ab illis non conſpectus, acceſſerat propiùs, atque perculerat dictum triſtius animum ipſius: contemnere tamen illud, & nihilominus durum erga ſuos ſe præbere. Cùm vindemia copioſa fuiſſet, & vinum intra dolia conditum, recordatus dicti, ſeruum illum qui vaticinatus malum ſibi eſſet, poculum eluere & muſtum afferre iubet, quòd diceret ſe illo inuito vindemia ſua frui velle. Hic quidem obſequi domino parabat, &, Deo tamē volēte dicere debueras, inquit, here: Magnæ enim ſæpe res, & admirabiles euentus celeriter exiſtunt. Abi, inquit ille, nugator, & quod iuſſus perage. His dictis, nunciatur neſcio quid in ædibus tumultus oriri. Ille procurrens, vt rem cognoſcat & componat, de ſcalarum gradibus in feſtinatione præcipitatur, & ceruice fracta prius moritur, quàm guſtaſſet vindemiæ ſuæ muſtum.

Fabula & diuinam vltionem præſto eſſe docet, & animi peruicaciam redarguit. Ariſtotelem aiunt narraſſe de Ancæo filio Parthenię ſimilem hiſtoriam. Cui deridenti ſeruum, cùm poculum iam manibus teneret, ſubitò nunciatum fuerit hortum in agro, vbi tum forte eſſet, ab apro vaſtari, ibique illum procurrentem ictum dente apri interijſſe: cùm quidem

ſeruus ante ei, fidens prædictioni ſuæ, verſum commemoraſſet, qui poſtea in prouerbium abierit:
πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος (*vel, vt alij,* κοτύλης) καὶ χείλεος ἄκρου.

Fur & Carnifex. 423

DAMNATVS quidam furti ad ſupplicium ducebatur, qui ſuam infelicitatem deplorans: Me miſerum, inquit, cui moriendum ſuperſtite magiſtro meo à quo hanc artem didici, quem ſcilicet plecti oportebat prius. Huic carnifex: imò te, inquit, qui tam malè didiceris, inertiæ pœnas dare æquiſſimum eſt. Cui fur: At, inquit, non fuiſſe me imperitum furandi, cōfeſſio mea indicat. Debueras igitur, inquit carnifex, te exercendi finem facere.

Docet fabula, optimum eſſe à malis facinoribus celeriter deſiſtere. Nam quis non peccat in vita, & delictis nullis tenetur? Sed optimus ille eſt, qui non ſolùm minimis, ſed etiam pauciſsimis vrgetur, hoc eſt, qui quod fieri non oportet, id facere cito deſinit.

De Ruſtico & Miniſtro illius. 424

MINISTRVM ſuum miſerat ruſticus ad perueſtigandum bouem, quæ illo die de armento aberraſſet. Hic cùm haberet ante nemus quoddā bouem in conſpectu,

ſpectu, viſis tribus auiculis, quaſi illa iam recuperata, perſequi auiculas cœpit. Quò, opinione diutiùs foris commorante, dominus & ipſe progreditur, vt quid de boue fieret, cognoſcere poſſet. Ac reperto miniſtro, quid agitur? inquit. Rectè, inquit miniſter, reperi. Dominus, quòd nuſquam bos appareret, quid igitur reperiſti? inquit. Tres, inquit miniſter lætus, auiculas. Vbi ſunt illæ? inquit dominus. Vnã, inquit miniſter, paulò antè bouem conſpicatus, cernebam, alterius vocem audiebam, tertiam nunc etiã inſequor. Ergo, inquit dominus, bos quantum intelligo amiſſa eſt.

Fabula redarguit vulgi ſtultitiam & leuitatem, qui ſtudium & tempus nugatoriјs rebus impendere, & in his operam perdere ſoleant, neglectis neceſſariјs & debitis actionibus.

Leporinum caput. 425

Cocvs iuſſus in cœnam parare leporẽ, detracta reliqui corporis pelle: cùm in capite denudando pluſculum illi negotiј exhiberetur, carnificem, inquit, ad hãc partem aduocari oportuit.

Fabula docet, capita reipub. non facilè neque libenter admittere caſtigationes, neque illa paulò duriùs tractare ciuibus tutum eſſe. Itaque illi prudentiſſimi ſenes in Tragœdia, ſeſe principum facta animaduertere ſeu ſpeculari negant, verſus eſt in Oedipo tyranno.

ἃ γὰρ ποιοῦσιν οἱ κρατοῦντες οὐχ ὁρῶ.
Quæ principes agunt ad ea cæcutio.

De Rana & Sirpiculis. 426

IN paludis ſirpiculis familia quædam ranunculorum annos multos habitauerat, & diligenter illos, vt larem & tecta ſua conſeruarāt, & integros præſtiterant. Horum poſteritas quodam tempore petulantior & iuuenta laſciuior tenellos ſirpos arrodere, & penates ſuos vaſtare cœpit. Hanc iniuriam ferebāt ægrè ſirpiculi, & precari primùm incolas ſuos, ne à maioribus ipſorum ſe defenſos & cuſtoditos perderent, atque euerterent. Deinde cùm precibus parum proficerent, cumque illos ranunculi irriderent, & dicerent maiores ſuos, genus antiquum & imperitum bonis ſuis vti neſciuiſſe: Diuina & humana teſtati ſirpi, ſceleratam vim alumnorum ſuorum confirmatis animis pertulerunt. Sed non longè abfuit vindicta, & ſcelerata vis in capita ingratæ ſobolis celeriter cōuertit. Nam eroſis ſirpiculis & loco iam aperto atque patente, mox ranæ viſæ, abſque negotio à volucribus & hydris arreptæ & diſtractæ fuerunt.

Docet fabula, à ſtulta poſteritate inſtituta maiorum cum pernicie euerti. Quid enim reſpōdetur interrog

terrogantibus apud Neuium, vt Cicero adducit, cur reſpublica amiſſa ſit tanta tam citò? niſi hoc: Proueniebant oratores ſtulti, noui, adoleſcentuli.

Ruſtica anus & Puella. 427

CVM quodam tempore familiæ optimum & pinguiſſimum lac apponi à matre ſua puella ruſtica cerneret, mirabatur quę noua bonitas atq; facilitas erga miniſteria ſua in matre exſtitiſſet. Accedit igitur ad illam, & quid faciat interrogat & ſe nunquam id antea fieri ab illa vidiſſe ait, quæ lac ſemper meliuſculum butyro, & caſeolis fingendis comparcere, aut foro reſeruare ſolita fuerit. Cui mater, Quid tua id refert ſtulta, inquit: non fit temerè hoc. Inſtanti puellæ & facti cauſſam exquirenti: Maſculus, inquit mater, in ollam delapſus hac nocte, & ſuffocatus fuit: itaq; verita, ne vitiatũ lac aliis potioribus vſibus parũ idoneum eſſet, appoſui familiæ, vt vidiſti, cui hoc fuit acceptiſſimum.

Fabula docet, pleroſque non, niſi de inutilibus & corruptis gratificari aliis.

Fœneratores. 428

QVI quæſtum faciebat detrahendis pellibus mortuorum animalium, quorum vendere coria ſoleret, obuiam fortè

factus fœneratori, ſalutatum hunc ita compellauit, vt ſui ordinis & gregis hominem, quorum vterque idem opificium factitaret. Ac admiranti fœneratori, qui ſibi primarius in populo ciuis videretur, & iſtum noſſet: percontantiq; quonam modo idem opificium ambo exercerent, reſpondit ille: Quia ipſe mortuis animantibus pelles, fœneratores autem viuis hominibus res & bona detraherent, atque diriperent.

Fabula docet, in mores ſæpe tanta vitia inuadere, vt peſſima facinora non ſolùm impunita, ſed etiam honorata eſſe reperiantur. Nónne autem interrogatus apud Ciceronem Cato, quid fœnerari? quid, inquit, hominem occidere?

Robuſtus bos. 429

CONTEMNEBAT præ ſe reliquos boues, ſocios ſuos, vnus eximiis viribus præditus. Sed cùm poſt arationẽ illi etiam iuga & alia onera impoſuiſſet agricola, reuerſus in ſtabulum poſt matutinam ferociam maximam, veſperi placidiſſimè demiſſo capite aſtitit.

Fabula indicat & virtutem negotioſiſſimam ſolere eſſe, & cum fortuna plerunq; mutari animos. Inde hæc duo nata ſunt: χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι. *&:*

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,

οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
id eſt,vt Cicero vertiſſe traditur :
Tales ſunt hominum mentes,qualis pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrauit lampade terras.

Aſini vmbra. 430

CONDVXERAT inſtitor aſinũ ruri, à quo ſuæ merces deportarentur in oppidum vicinum, tempore, quo omnia ſolis æſtu & ardore flagrabant. Impoſitis igitur mercibus in aſinum, pone ipſe cum locatore ſequebatur. Cùm autẽ iter fieret per loca campeſtria, & vndiq; aperta,& patẽtia:greſſu aſini cohibito,cõductor propter illum ſe appoſuit humi, vt in vmbra paululum acquieſceret. Hanc ei cõmoditatem locator inuidens, ſurgere iuſſit, & agere aſinum eum in locum , ad quem conduxiſſet. Ille enimuerò , ſe conducto iumento pro arbitrio vti velle , & fieri licere, aiebat. Negante locatore & affirmante,habere illum conductum aſinum, non vmbram aſini : ad contentionem & lites deuenere. Delatáque controuerſia tandem ad iudices,etiamnum diſceptatur de aſini vmbra.

Fabula notat futilitatem litigatorum. Et maximam eſſe indicat rixarum in terris partem de aſini vmbra.

Hircus

Hircus & Cribrum. 431

VIDEBAT ruſticam puellam villicus ſub hirco procubuiſſe, & ſedulo mulgere illum. Accurrit igitur cum cribello, & hoc ſupponit, atque tenet quaſi mulctram. Iraſcente verò puella & quærente, vbinam lac cribris excipi ſolere vidiſſet. Illis, inquit villicus, omnibus in locis, vbi hirci mulgentur.

Fabula reprehendit inanes ſtultitiæ conatus. Et de ijs dici poteſt, quorum vnius ſtultitia, ſtultitiam alterius adiuuat.

Ruſticus athleta. 432

VALENTEM & robuſtum filiũ cùm pater vidiſſet, dentale de aratro fortè excuſſum reſtituiſſe manuum verbere, neq; minus firmaſſe, quàm ſi malleo vſus fuiſſet ad pugilum certamina illum deduxit, ratus ſine dubio, præſtãtia virium ſuarum victoriam adepturum eſſe. At ille artis imperitus, cùm neq; plagas inferendi, neque deuitandi rationem teneret, admodum ab aduerſariis affligebatur. Hoc pater cernens: Fili, inquit, illam de aratro impinge. Quo dicto adoleſcẽs omni corpore anniſus, vehementiſſimam plagam inflixit aduerſario, & palmam obtinuit.

Hiſtoria

Hiſtoria à Pauſania, de Glauco Cariſtio, narratur. Sed docet hæc, illa rectiſsimè fieri, quæ conſueto & ſolito cuique more fiant.

Pater & Filius. 433

Cvivsdam paruum filium tota vicinia, vt improbitate & petulantia intolerabili præditum, accuſabat apud patrem. Qui grauiter obiurgare filium & interminari verbera, niſi deſineret eſſe moleſtus vicinis. An tu neſcis, inquit, hoc odio vicinitatis, nobis præcipuum malum acceſſi: cùm bono vicino nihil melius, malo nihil peius eſſe dicatur. Filius vti poterat, ſe defendebat: ſed cùm ſentiret ſe minus ſatisfacere defenſione ſua patri: Ergo (inquit) vt intelligas illos mihi immeritò infenſos eſſe, ſuper noſtrum equum poſt te craſtino me die imponito & præteruehitor illos, audies enim mihi maledicẽtes me quieſcente & tacente. Placebat hoc patri. Ibi vt quoſq; vel in via, vel de feneſtra proſpiciẽtes puer vidiſſet, eos geſtus edebat, qui illos facilè ad iram & indignationem prouocarent. Ecce igitur noſtrũ puerũ, illi clamare: & apage, ſceleſto hoc nihil ſceleſtius fieri queat, & ſimilia. Pater cogitãs à tergo filium iritare vicinos ad maledicentiam, cùm ipſe quid faceret, conſiderare

ſiderare minus poſſet, apponit ſuper ceruicem equi ante ſe: at ille os diſtorquere & diducere labra, & rictum pandere & linguam exerere contra vicinos, vt multò dicerent in eum grauiora quàm prius. Tum pater, qui nihil audiret neque cerneret à filio fieri quod reprœhendendum eſſet: profectò (inquit) fili, infelici ſidere natus es, qui cùm neque lædas neque offendas quenquam, ab omnibus tamen inclamitaris & conuitiis conſcinderis. Fer igitur quæ tibi, vt vides, ferenda ſunt, & conſolare te innocentia tua.

Indicat fabula, ſimplicitati facilè imponere improbitatem: & de illius obſeruationibus vndiq; elabi, vt de manibus prehendentium anguilla ſolet.

Ictus ab Apibus. 434

QVEM apes ſpoliantem aluearia cōfixerant aculeis ſuis, querentem & gementem alius audiens: cum illo, inquit, hoc tibi habendum fuit. Imo verò, inquit iſte, hoc cum illo carendum potius.

Docet fabula, prudenter facere eos, qui ob nō magnam voluptatē, magnū periculum adire, aut dolorem perferre nolint: ſecundum prouerbium Græcum, μή μοι μέλι μηδὲ μελίσσας. & alterum: μήτε λυδῶν καρύκας μήτε μαστίγων ψόφους.

Pater

Pater & Filiæ. 435

TRES habebat quidam filias, iam grandes & nubiles. Cumque exiſtimaret & ſibi illas elocandi tempus, & ipſas nubendi cupidas eſſe: accerſit ad ſe omnes, & in aquam allatam coram ſe manus immittere iubet, quod cùm feciſſent: nunc educite,inquit, de aqua ſimul omnes manus:cuiúſque manus primum ſiccatæ fuerint,ei ante alias virum ſtudebo inueniri. Tum vna inter illas celeriter attractas manus iactitans & complodens:Minimè mihi, mi pater, minime ante iſtas virum mihi: ſed tecum volo eſſe, & cum matercula mea. Atque inter motum, cùm mox aquæ humor confectus eſſet, illa poſtea non iniquo animo tulit, quod patiendum ſcilicet fuit,prima vt viro daretur.

Fabula contra vanitatem ſimulatorum & iſtos ἀκκισμοὺς *narratur: qui & Græco prouerbio notantur,de nõ diſſimili fabula nato.* ὁ σκύθης τὸν ὄνον, *primùm enim Scytha auerſatus aſinum, poſtea mactatum auidè comediſſe fertur.*

Nauta & Mercator. 436

INTER nauigandum cùm eſſet mare placidum & tranquillum, qui in naui vehebatur mercator, interrogat nautam, quo

quo genere mortis pater ipſius interiiſſet. Cui reſpōdit nauta:eo ipſo anno in aquis patrē,& ante annos decem ſimili fato periiſſe auum ſuum. Quid proauo, inquit, factum eſt? Et hic, inquit nauta,itidémque (vt mihi dicitur) abauus in mari ſuffocati fuere.Non igitur tu,inquit mercator,metuis aquas? Non ſanè,inquit nauta: ſed dic quæſo qui fuerit exitus tui patris?In ſuo,inquit ille,lectulo mortē oppetiit. Quid auus?Etiā,inquit mercator,hic: nec non de proauo, & abauo, idem comperio. Cur tu igitur non & tuum, inquit nauta,lectulum reformidas?

Fabula docet, in vita honeſtate mortem non eſſe timendam. Non enim mortis,ſed vitæ genus,eligi poteſt: hoc vt optimum ſit videbimus, inq́ ipſo mortem obibimus eam,quam Deus immiſerit.

Pater & Filius ruſticus. 437

VADE, inquit pater ruſticus filio, & aruum noſtrum accepto ligone perfodito, vt conſeratur. Filius egreſſus, ſe tam ſpacioſo aruo perfodiēdo ſatis vnum non eſſe futurum,ſecum cogitabat: itaque illum diem, deſperato laboris proceſſu, cùm humi propter aruum ſe proſtraſſet, acquieuit.Idem poſtero & tertio die fecit. Cùm pater opus inſpecturus egreditur & intact

intactum adhuc aruum eſſe videns: de filio, quid illis diebus egiſſet, requirit: Nihil, inquit hic, nam quî poſſim ego tantum aruum ſolus perfodere? Pater errore filij intellecto: At tu, inquit, ſingulis diebus ſpatium pedum octonum perfodito. Cùm filius obſecutus patri aliquot diebus octonos pedes abſoluiſſet, arui fodiendi ſpatium indies minus relinqui animaduertit: itaque anniſus celeriter totum illud, vti iuſſus fuerat, perfodit.

Fabula ſignificat difficultatem in aeſtimandis laboribus: & opus faciendum potius, quàm metiendum. Itemq́ græcum prouerbium ſubijcit, ἀρχὴ ἥμισυ παντός. quod Horatius ita:

Incipe, dimidium qui cœpit habet.

Eſt enim in ordiendis rebus maxima ferè difficultas, cùm graue videtur id, quod agendo ſæpenumero leue experimur. Docet & hoc, ſucceſſu ali ſtudia hominum.

Canis venaticus & Moloſſi domeſtici. 438

CEPERAT venaticus canis leporem: cum quamuis eſuriens, glorioſè iactans verbis celeritatem ſuam, detulit domum ad moloſſos, cuſtodes gregis & ædium: illi enimuerò leporem eripuere oſtentatori, & inter ſe diſcerpſere.

Fabula contra oſtentatores dicitur, nam bona te-

gere ſæpe prodeſt. Quamuis enim rectè dicatur, nullum eſſe vſum occulta Muſicæ: tamen & hoc verum eſt, qui ſapit in tacito gaudeat ille ſinu. Et hoc:

Tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & multo rixæ minus inuidiaq;.

Tempeſtas in mari. 439

ORTA in mari tempeſtate atroce, omnibusq; aliis metu trepidantibus, vnus inter illos ſolus omniũ nullam dare ſignificationem timoris, ac potius magnā præ ſe ferre confidentiam. Cui alius quidam: quænam res te, inquit, aut ſpes, tam ſecurum in maximo diſcrimine præſtare poteſt? Tum hic, nihil enim periculi eſt, inquit. Nihílne, inquit alter iam penè fracta naui? Mihi quidem inquit ille, cuius corpus non piſcibus, ſed auibus pabulum præbere debet.

Fabula docet, diuinitus reſeruari ad ſua ſupplicia malos.

Malum maiori malo correctum. 440

ANVS ruſtica animaduerterat à muribus arrodi caſeolos ſuos: illa enimuero damno dolens ſuo, felem illum in locum ad caſeriam cuſtodiam immiſit, atque ea mures quidem præhenſos deuorauit, ſed ne à caſeis quidem abſtinuit.

De

De Fure & Sicario. 441

CONSOCIATA opera rem communiter gerebant facinoroſi duo, vnus fur, alter ſicarius: quadam nocte venere in ædes agricolæ, vt putabatur, non pauperis; cuius cùm non ſolùm ædes compilandas, ſed etiam abigenda animalia fur cenſeret. Rectè inquit ſicarius, illo interfecto omnia exequi poterimus. Priùs tamen inquit fur, bouem vnam aut alteram educamus, vt ſi fortè tumultus oriatur & fugiendum ſit, aliquid abſtulerimus. Non placet hoc mihi, inquit ſicarius, ne paterfamilias ſtrepitu excitatus eripiatur manibus meis. At hoc, fur, melius eſt, inquit. Immò illud, inquit ſicarius. Ita inter rixas, iratus fur, patremfamilias inclamat, & vigilare iubet, ne vitam amittat. Qui excitatus etiam res ſuas ſeruauit.

Fabula indicat, malorum diſsidia bonis eſſe ſalutaria.

Lupus & Vulpes. 442

VIDEBAT Lupus ad ſupplicium capitis vulpem quandam rapi, eximia forma & magnitudine: itaque miſertus illius, ſtatuit leonem regem, apud quem ſe ſciret ſingulari in gratia eſſe, deprecari pro vita

illius, ſciſcitari igitur cauſſam propter quam vulpes damnata eſſet. Cui reſponderunt, qui illam ductabant: Quòd freta viribus ſuis, non contenta rapinis auium de corte, pinguiſſimum etiam anſerem, de numero eorum, qui regi ad delicatiores cibos aſſeruarentur, fuiſſe auſa aggredi. Tum lupus mutata vulpis liberandæ volũtate diſceſſit, & fracta ceruice illa periit.

Omnes ſe inoroſi inuidi ſunt: eſtq́; hoc prauitatis vitium inſitum pene omnibus, vt eos cum quibus communicari videant commoditates ſuas, è medio ſublatos, cupiant, illis vt indiminutũ ipſi ſoli fruãtur. Hoc vitio ne maximi quidem viri interdum carent, quod ſignificare (vt opinor) & Homerus voluit, cùm optantem nefariè iſta introduxit Achillem:

αἲ γὰρ ζεῦ τε πάτερ, καὶ ἀθηναίη, καὶ ἄπολλον,
μήτε τὶς οὖν τρώων θάνατον φύγοι ὅσσοι ἔασι,
μήτε τὶς ἀργείων νῶϊν δ᾽ ἐκδῦμεν ὄλεθρον.
ὄφρ᾽ οἶοι τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύοιμεν.

Ruſticus & Muſcæ. 443

IMPATIENS quidam in æſtate muſcarum, à quibus perpetuò vexaretur, arripit iratus accenſa ſtramenta, & in caſula vbiq; circumfert flammam, cuius vi muſcæ vel necarentur, vel repellerentur: ſed incautiùs dum ignem tractat, tugurioli arida materia incenditur, & domuncula tota conflagrat.

Fabula

Fabula docet pleroſque vitantes parua detrimenta, in maxima damna incidere, ſecundumq́; prouerbium Platonicum;

καπνὸν φεύγοντας εἰς πῦρ ἐμπεσεῖν. πολιτείας η.

De Opulento & Paupere. 444

TEMPORE brumali obuiam factus fuit pauper opulento bene veſtito, ipſe pertenue amiculum indutus. Cumq́; ille effertus pannis, frigus tamen vix ferret, hic autem nullum ſignum daret frigore ſe affligi: miratus quî fieret, opulentus cauſſam è paupere quærit: Nam ego, inquit, dentibus crepito præ frigoris vi, tu autem ne ſentire quidē illud videre, ita ingrederis alacriter, & ſum tamen ego, quàm tu, multo veſtitior. Cui alter, nihil, inquit, mirum, pro copia enim ſua quęq; vitā degere oportet: ego omnibus meis veſtibus amictus ſum, ſimiliter & tu fac in tuas vniuerſas te implices, & frigus facilè vitaueris.

Indicat fabula, permulta in hac vita opinione fieri, non vera ratione. Itemq́; ab exercitatis perferri ea facilè, quæ inexercitati & molles ſuſtinere nullo modo poſſent.

De Vulpe & Gallo. 445

FAMELICA vulpes, vt fraude gallinaceum, quem conſpexerat, allicere ad ſe atque capere poſſet, humi ſe proſternit &

alterum oculum comprimit, cum miſerabili querimonia & imploratione auxilij à gallinaceo, ſibi qui eximeret ſpinam de oculo, cui illa paulo ante vadenti per ſentes infixa eſſet. Gallinaceus, intellecto dolo: non ego medicus ſum, inquit, & ſi incautiùs ad oculos fortè vnguiculos admouerim, periculum fuerit, ne calcaribus meis etiam ſanus oculus lædatur. Sed paululum expectare ſi vis, ego domum noſtram aduolabo, & inde qui tibi medeatur accerſam. Vulpes & ipſa ſentiebat doloſè agere gallinaceum: ſe igitur pati velle ait, quod neceſſe ſit, Nam ſæpe audiuiſſe, multis medicis vtendum non eſſe.

Fabula hoc dicit, κρητίζειν πρὸς κρῆτα.

Lupi & Canes. 446

CVM animaduerterent lupi, ſe non virtute canum, ſed multitudine ſuperari, hoc iniſſe conſilium perhibentur. Mittunt ad canes, qui ab iis, quorum color non diſſimilis luporum eſſet, quærerent, Cur non potius ſecum coniungerentur, quibus natura ipſos conciliaſſet, id quod coloris ſignificaret ſimilitudo. Quiq; illis dicerent: ſi luporum auxilio aduerſus alios canes diſcrepantes colore, vti vellent, poſtea ſublatis illis, & ipſos ſolos rerum potituros

ros & in perpetua amicitia luporum futuros eſſe. Cùm res ſtultis canibus probata, & alij canes circumuenti atque iugulati fuiſſent:tum ſine negotio & periculo,iſtos etiam concolores ſibi interfecerunt lupi.

Fabula narratur contra proditores, quibus tantiſper honor habetur,dum requiritur opera illorum: at mox rebus perfectis, plerunq; ne parcunt quidem his neque abſtinent illi ipſi,qui eos corruperunt.

Canis lectulus. 447

FORTASE cani iuſſerat lectulum ſterni paterfamilias:hoc cùm factum non fuiſſe cerneret,cum indignatione quærit de ancilla, cui hoc mandarat, cur non audiens dicto fuiſſet? Illa enimuero inquit: here, conanti aliquoties hoc non ſucceſſit, cùm non poſſem conſtituere poſt incertas conuerſiones, quemnam in locum canis caput,aut in quem clunes repoſitura eſſe videretur.

Narratur fabula in leues & inconſtantes.

Vicino duo. 448

QVIDAM videbat aberraſſe de armento bouem vicini, & non procul abeſſe,quin deueniret in loca infeſta lupis. Venit paulo poſt,cùm adhuc ſuccurri potuiſſet boui,ad vicinum ſuum,& nunquid no-

ui audire geſtiat, quærit. Boni ne, inquit ille, aliquid affers? Negante hoc: ne audire quidem igitur libet, ille inquit. Abeo igitur, inquit alter. Poſtridie amiſſam bouem, cognouerat enim à lupis laceratam eſſe, deplorans ille, qui nihil triſte audire voluerat, audiente etiam vicino, qui nuntiaturus damnum impendens fuerat: Ego quidem, inquit hic, vidi illam ante ſiluam oberrantem ſolam, & cogitaui futurum eſſe, id quod narras accidiſſe. Cur ergo non indicaſſet expoſtulanti grauiſſimè: Quia, inquit, tu refutaſti, neque admittere nuntium voluiſti.

Docet fabula, caſtigationes non refugiendas, & triſtitiam dictorum ſæpe eſſe fructuoſam: notatq́ aurium delicias, quæ nihil, niſi quod iucundum ſit, admittere velint.

Viatores. 449

Dvo vnà faciebant iter, quorum alter perpetua in cogitatione de victu parando verſabatur, alter in bona ſpe felicis fortunæ alacriter pergebat, quo intēderat. Hoc ille mirari & quærere de ſocio ſuo: quænam res tantam animi tranquillitatem efficeret: nam ego quidem curis & ſolicitudinibus diſtringor, dum mecum reputo, quam rationem, & quod conſilium vitæ de

tæ degendæ ſequar. At ego, inquit ille, iam pridem conſtitui, idéo animus quietus eſt. Quid conſtituiſſet interroganti, reſpondit: fideliter ſe, quam didiciſſet artem facere velle, & euentum permittere deo. Hoc verò ille anxius, ridere, & dicere, ſe multos vidiſſe Deo fretos decipi. Atq; ita relapſus ad dubitationes & incertas atque ſolicitas deliberationes ſuas, cœpit inter alia percelli metu cæcitatis: atque Deum immortalem, ſecum inquit, quid te futurum eſſet, cernendi ſenſum ſi fortè amitteres? Inq; hac formidine ſubiit voluntas tentandæ in tali calamitate progreſſionis: vtq; anteceſſerat non longè ſocium ſuum, oculos comprimit arctiſſimè, & ita per viam cautè & attentè vadit, ſpatiumq; neſcio quàm longum clauſis oculis conficit, neque videt in via marſupium cum pecunia, quod alteri cuipiam viatori elapſum eſſet. Id verò ſequens pone ſocius mox ſuſtulit, & aliquanto etiam poſteà æquiore animo quàm dudum reliquum itineris confecit.

Fabula non conſiderationem neq; induſtriam notat, ſed anxietatem & miſeriam conſiliorum, de qua neq; actiones ferè bonæ, & plerūq; id exiſtit cuius aliquem pœniteat. Fortunam autem in rebus humanis poſſe plurimum, ſenſit etiam huius verſiculi autor:

θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον.
Et cecinit præclarè Tibullus:
Non opibus mentes hominum curæq; leuantur,
Nam fortuna ſua tempora lege gerit.

Aquila & Aues. 450

QVODAM in cœtu alitum, plerique illorum de ſe & virtutibus ſuis magnificè loquebantur, celeritatem accipitres, cantum luſcinia, oſcines gloriam augurij, formam pauo, calliditatem perdices, audaciam trochilus, remigandi ſcientiam anates, præſenſionem tempeſtatis ardea iactabat. Tum aquila, nugæ, inquit, iſtæ ſunt, nam quod eſt optimum, & plurimi fit in hac vita, eo facilè omnes vos antecello, vt acutiſſimo viſu oculorum vtar. Quod ſi quis minus credit verum eſſe, age inſidito ſupra ceruicem meam, & illi oſtendam de tam ſublimi ſpatio, vnde ipſe vix terram conſpicere poſſit, me certè omnia & haud fallente luminis acie contueri. Muſſitantibus aliis, regulus in aquilam incubans, iubet ſubuolare, vt experiatur vtrum vera gloria illa ſit. Cùm ſub nubes penetraſſet aquila, Quid, inquit, cernis infra regule? Vix illo terram ſibi apparere dicente: At ego iſtic, inquit, clarè ouem

conſpicor,& quidem albam mutilata cauda,inq; eam,vt quod dixi tibi certius probem, mox etiam inuolabo. Sed illam ouem grandibus volucribus eſcam propoſuerat auceps, qui laqueis poſitis intra frondes propè latitabat,atque illatam impetu aquilam cœpit & ſtrangulauit. Hoc regulus videns: falsò, inquit, gloriata fuiſti de perſpicacia oculorum, quæ caudam mutilatam diceres te cernere, & laqueos atque inſidiatorem aucupem non aſpexeris.

Fabula coërcet elationem & ſuperbiam animi. Et docet cupiditates acutè cernere in ijs modò qua appetunt,ad reliqua eſſe cacas.

Adoleſcens in luctu. 451

MORTVO ſene quodam, multi amici, illius filium adoleſcentem, dum mortuus effertur, in funere comitabantur officij cauſſa,quibus ille inter eundum meditabatur, qua oratione gratias dignas ageret: veniebátque in mentem homini formulæ vulgaris, qua ſolerent optare, vt occaſio referendæ gratiæ aliquando daretur:hac ille,qui non videri mutus vellet, vtendum ſibi decreuit. Perfecta igitur ſepultura, cùm paternis amicis gratias pro

pro officio egiſſet,& ſe diceret,habiturum ſemper:addidit & hoc,atque vtinam,ſicui veſtrum pater ſuperſtes eſt,is celeriter diē obeat ſuum, ſimili officio vt veſtrum hoc compenſare poſſim.

Stultorum loquacitatem reprahendit fabula. Itaque quidam interrogatus aliquando,quid inter ſtultos & intelligentes putaret intereſſe,reſpondiſſe fertur,nihil,ſi vterq; ſileret.

Vulpes damnata capitis. 452

RAPIEBATVR ad ſupplicium vulpes propter ingentes prædas gallinaceorum & aliarum auium altilium, quas ſine metu omni & pudore multis annis fecerat. Illa hoc vnum orabat,ne vſitata via ad furcam duceretur:ſed per iſtud me,inquit, optimi viri diuerticulum abſtrahite. Inſidiosè hoc primum petere videbatur, ideóque interrogant, qua de cauſſa tantopere à cōſueto itinere deflecti oret? Quia enim, inquit,in illa altera via ſcio plurimas aues verſari,quarum ſaltem garritu & aſpectu, hoc extremo die vitæ meæ velim exhilarari.

Inſectatur fabula prauitatem execrabilem malorum,qui non ſolùm de actionum, ſed propoſiti etiā & voluntatis turpitudine ac ſceleribus voluptatem capere ſoleant.

De

De Leone & Homine. 453

Senex leo, cùm alia docere ſolebat filium ſuum, tum illi præcipere, ne vnquã cum homine congrederetur ac depugnaret: animal enim illud eſt, inquit, mirificum & inuictum. Leunculus illa quidem audiebat, ſed non tangebant dicta animum. Cùm adoleuiſſet & ſentiret vires ſuas conſummatas eſſe, progreditur quodam die, eo animo, cum homine vt præliũ committere vellet. Videtq; in agro coniugatos boues: accedit igitur, & rogat num homines ſint. Illi quidem ſe homines eſſe negant, ſed ab homine impoſitum iugum portare dicunt. Digreſſus ab his equum conſpicatur, cum ſtrato & frenis alligatũ ad arborem: ibi ille huic, Tun' homo, inquit, es? Minimè ego quidẽ, inquit equus, ſed homini ſeruio & obtẽpero. Paulo pòſt cernit quendam in ſilua, qui ligna finderet, ad quem accurrens: Homo, inquit, videris eſſe. Ita eſt, inquit ille. Pugnabis igitur mecum, inquit. Maximè, inquit ille, ſed quæſo te, diſtrahe prius hanc arborem, cui vides ferrum iſtud impactum. Incutit mox leo vngulas fiſſuræ arboris, & dimouit quidem eatenus, vt cuneus excideret: ſed vis tanta non erat, vt arborem diſtraheret,

diſtraheret:itaq; partibus, vt fit, vtrinque redeuntibus, compræhenſis pedibus illic hærebat captus leo. At lignator clamores tollere, & de agro vndique vicinos aduocare contra leonem. Hic verò, cùm quo in diſcrimine eſſet animaduerteret, omnibus viribus adhibitis pedes de ligno retraxit, atque ita quidem, vngulas plæraſque intra arborem vt relinqueret: ac reuerſus ad ſuum patrem, cum cruentis pedibus: Mi pater, inquit, ſi paruiſſem monitis tuis, vngulas non amiſiſſem.

Fabula hortatur omnes, vt inprimis quidem parentibus, ſed & alijs rectè monſtrantibus libenter obſequantur atque pareant.

Malum auctum iritatione. 454

QVODAM in oppido ſolebant de certis cœtibus excludi omnes vitiati quacunque corporis parte, erántque conſtituti, qui de illorum (ſi qui forte obrepſiſſe cõperirentur) ſingulis vitiis ſingulos nummos exigerent multæ nomine. Hi aliquando claudo conſpecto, cùm exigerent ab eo multam, & renitentem inuaderent atq; compræhenderent: ſcabiem in eo etiam depræhendunt: Ergo poſtulare iam nummos duos. Etiam tunc illo refragante, apparet

paret lippitudo oculorum. Tum iſti, iam tres dabis nummos, inquiunt. Ego ne? inquit ille, pugnabo potius. In lucta igitur ea apparet hernia quoque. Tum exegere tandẽ nummos quatuor ab eo, qui ſe vno liberare potuiſſet.

Fabula narratur contra pertinaces & propugnatores vitiorum ſuorum. Narratur & contra eos, qui renitendo & reſiſtendo malis leuibus, grauiora ſibi ipſi acccerſunt. Initio enim medicina facilis eſt. ſecundum hoc:

ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λώιον ἢ τελευτήν.

Nam & Laomedon equis traditis, quos Herculi (vt in fabulis eſt) promiſerat, ſe & ſuos conſeruare potuiſſet: quibus denegatis non illos poſtea ſolùm, sed etiam regnum, vrbe vi capta, amiſit.

Duo bellatores. 455

DVO fide data inter ſe communia futura omnia, ad bellum proficiſcebantur. Horum vnus æger in itinere remanſit, alter vt inſtituerat iter ad militiam exequitur, atque ibi re & gloria parta, redit ad ſocium, qui iam habebat meliuſculè. Is gauiſus proſperitate ſocij, quòd lucrum partiturum ſecum eſſe ſperaret, illum cum magna lætitia complectitur, neq; diu poſt, vt pecuniam allatam, ita vt conueniſſet, diuideret, petit. Faciam, inquit ille, ſed alia

etiam

etiam attuli, quæ communia eſſe oportet, vt omnia vndique exæquentur. Ille lætus, precioſam veſtem aut ſuppellectilem ſocium apportaſſe ratus, Ita enim fieri, inquit, par eſt. Sed quidnam præterea attuliſti? Vulnera, inquit alter, & cicatrices, quarum ſimiles atque æquales etiam tibi infligi debebunt. Non, inquit ille, hæc mihi placet ſocietas, ac pecunia etiam carebo potiùs, quàm cum vulneribus & cicatricibus habebo.

Fabula oſtendit, prudentes eſſe homines, qui pro leuibus commodis graues labores ſubire nolint. Vt Marius laudatur, qui, cùm varicoſus eſſet & ſolutus vnum crus ſecandum præbuiſſet, alterum præbere noluerit, quòd diceret οὐκ ἄξιον εἶναι τὸ θεράπευμα τῆς ἀλγηδόνος, id eſt, illam curationem dolore tanto indignam eſſe. Sed alio etiam ſenſu indicat fabula id quod ſeruus in comœdia ait: Aut hæc cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt.

Leporis eruditio. 456

DIV abfuerat domo & à ſuis lepus bonarum artium diſcendarum gratia: ac reuerſus aliquando, cùm illa in regione neminem cognoſceret ſeſe doctiorem, inſtitit apud ſuos, vt à leone rege impetrarent, ſibi vt largiretur facultatum aliquid, quibus in ſtudio ocioſam vitam ſuſtentare poſſet. Hoc cùm illi feciſſent, Non eſſe ſibi

ſibi contrarium aiebat leo, ſed prius eruditionis leporinæ periculum ſe facturum eſſe. Adducitur igitur ad regem lepuſculus. Hunc ſequi ille ſe iubet. Ventum erat in ſiluam, vbi venator conſpicatus vulpem & vrſum arcum contenderat, vt horum alterum feriret, ſed vulpes diſcurrendo atque ſubſiliendo non patiebatur in ſe dirigi telum: vrſus autem viſo homine, ſuo robore fretus in illum ſeſe rectà inferre, & contra conſiſtere: ita emiſſa in pectus ſagitta vrſus configitur, & interit. Ibi leo, Quę tua ſententia eſt de hoc caſu, inquit, & quid videtur tibi? Id, inquit lepus, quod audiui in ſcolis memorari de dictis poëtarum veterum: plus valere conſilia ſapientiæ, quàm manuum robur, &, Imperitorum robur ſæpe cauſſam eſſe mali. Tum leo, Mihi placent iſtæ ſententiæ: ſed didiciſtíne verſus facere? Annuente lepore, ergo quæ memoraſti verſibus complectere.

Tum lepus ita illa pronunciauit:
Sapientiæ eſt, non virium victoria. &
Robur parit ſtultis malum crebro ſuum.

Videntur poſſe ferri iſti verſus, inquit leo. Tum progreſſi extra ſiluam, vident à longinquo villicum in agro cum ſeruis altercantem, quorum vnus taceret ad illius iur

gia, alter reſponſando iram augeret villici & verbera auferret. Quid de his sẽtiret interrogãti leoni: Quid aliud, inquit lepus, quàm quod fertur quidã ex veteribus ſapientibus dixiſſe: Pœnituiſſe ſe locutionis ſæpe, ſilentij nunquam? Hanc ſententiam cùm iuſſiſſet verſibus includere illum leo, Tũ lepus diſtichõ ſubſcriptũ pronũtiauit.

Sępe loqui prodeſt, ſed sẽper, poſſe tacere,

Sæpe locutori verbera verba ferunt.

Videntur & hi mediocres eſſe, inquit leo: certe ſententia bona eſt. Pergentes inde, vident producere agricolam iunctos iugo duos boues, impoſitis in capita illorum manipulis ſingulis fœni, vt in meridie mox acquieſcentes pabulum haberẽt. Horum autem vnus, quòd nimis paruus videretur manipulus, reiicere illum & obterere pedibus, atque illi in aruo mox pabulo carendum fuit, & defeſſo opere & fame redeundum noctu domum. De quo & ipſo iubet aliquid leo dicere leporẽ, & rem eloqui oratione ſoluta, & de ſuo iudicio. Tum lepus: Qui modicũ, inquit, reſpuũt, eos ſæpe fruſtratur expectatio copiæ. Multo autem melius eſt potiri quantulocunque bono prę́ſente, quàm maxima & plurima abſentia requirere, etiam illi cui nihil boni ſatis eſt, nihil videri mali nimum

debet,

debet, tum poſt faſtidia non eſſe pœnitentium dolorem vix vnquam compertum eſt. His dictis leo ſtatuit dignum eſſe leporem, cui de rebus neceſſariis ad vitam degendam proſpiceretur, vt in otio & quiete colere poſſet ſtudia bonarum artium atque doctrinę: idq; vt fieret, curauit.

Fabula docet, ſi cui optimarum artium atque diſciplinarum & humanitatis ſtudia non magnifacienda, neq; prouehenda, omniq; ratione augenda ornandaq; eſſe videantur, eum etiam beſtiarum feritatem vincere immanitate ſua.

Viatores duo. 457

Dvo vnà iter faciebant, & ita voluntate illorum ac rebus ferentibus, quodam in vico aliquantiſper ſubſtitere. Diuerterant autem ad anum quandam non infacetam fœminam, apud quam in tenui victu ſatis commodè degebant. Quodam die, cùm orto ſole etiam illi ſtertent, accedit mulier, & vt in vno cubili iacebant appoſito ad parietem, præhenſum capillum propioris vellens: hũc ne, inquit, diem totum dormietis? Cùm nocte inſecuta cubitum irent, anteuertens hic ſocium ſuum, in locum illius incubuit. Poſtridie cùm ſurgerent ſerius, redit anus, & huic nunc, inquit, parcam: atque ita

remotiorem, alterum rata, eundem quem pridie capillo tractum excitat. Ita ille vitã do malum, malum inuenerat.

Monet fabula, nulla ſæpe ratione, neq; conſilio euentus triſtiores euitari poſſe, & ſæpenumero calli-diſſima conſilia in contrarium verti.

Emptor & Venditor. 458

EMIT quidam equum his legibus, cum de precio aureûm quinquaginta cõuenisset, vt præſentes numeraret triginta, reliquos illi viginti deberet. Nõ diſplicuit venditori conditio, itaque equum emptor abduxit. Poſt dies aliquot petit venditor debitum. Ille quidem debere fatetur, ſed numerare non velle. Quid ita? inquit alter, an non conuento ſtabis? Ideo tibi, inquit ille, quam pecuniam petis, non ſum daturus, ne parum conuento ſtetiſſe videar, & illam tibi debere deſiiſſe. Non ſatisfiebat venditori his verbis: ideo in ius emptorem vocat, & cũ eo ex vendito agit. Neque explicare adhuc potuiſſe conſulti hunc caſum putantur, præſertim cùm circumſcriptiones venditionum legibus permiſſæ ſint: & quia tamen promiſſa pecunia ſit, deberi aliquid videatur. Quomodo autẽ deberi dicemus, quod ſolui non oporteat? Aut quomodo ſoluetur id, cuius neq; ceſſiſſe,

ceſſiſſe, neque veniſſe dies, quodq́; ideo peti non poſſe videatur? Ad aſini igitur vmbram & equum hunc remittemus.

De Lupo & Porco. 459

CVM quidam plurimis annis lupus viciniæ totius animalia prędatus fuiſſet, cœpit tandē cogitare animo ſuo, quàm grauiter illos tam longo tempore afflixiſſet: itaque decreuit annum integrum ſolis piſcibus veſci, & à carnibus abſtinere velle. Pauci dies abierant. cùm illum pœniteret ſtatim propoſiti, & requireret conſuetum cibum: forte igitur conſpicatur in cœno volutātem ſe porcum, ad quem celeriter accurrit, & quid animantis ſit interrogat. Ille enimuerò ſe porcum eſſe reſpondit de ara ruſtici illius pagi, etiam nomine commemorato. Porcus. inquit lupus, certe etiam porcus piſcis eſt, & illum raptum deuorauit.

Fabula docet, malos [redacted] *propoſito honeſtatis perſeuerare. Itemq́, non fere mutari animũ, ſecundum hoc: Lupus pilos, non animum mutat, & id quod ait prouerbium: prauitatem tantummodo quid prætexat quærere. Sed ĳdem perfacile reperiunt, vt verſus Menandri indicat, quem interpratatur Mimicus ille:* non

Male facere qui vult, nuſquã non cauſam inuenit.

 De

De Vulpe & Leone. 460

QVODAM in iurgio vulpes leoni: Nõ
veſtrum, inquit, genus hoc in loco virtus
extollit, ſed hominum ignauia & formi-
do. Cui leo reſpondit: fortaſſe ita eſt vt di-
cis, ſed veſtrum genus & hoc in loco, &
aliis omnibus ab hominibus exagitatur,
fugítque conſpectus illorum, vt mortem
præſentem.

*Non dignantur generoſæ mentes humilitatem
indignatione ſua, contemnunt enim potius. Efficta
autem eſt fabula de Themiſtoclis hiſtoria, quam de
Platone ſic tranſtulit Cicero in libellum ſuum de ſe-
nect. Themiſtoclem ferunt Seriphio cuidam in iur-
gio reſpondiſſe, cùm ille dixiſſet: non eum ſua, ſed pa-
triæ gloria ſplendorem aſſecutum: Nõ hercle, inquit,
ſi ego Seriphius eſſem ignobilis, nec ſi tu Athenien-
ſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes. Herodotus in Vra-
nia idem aliter retulit hoc modo: Cùm rediſſet The-
miſtocles Lacedæmone Athenas, ibi Timodemus A-
phidnæus inimicus Themiſtoclis, vir minime clarus,
inuidia carpens illum inſectabatur verbis, & Lace-
dæmonium eiiter obiiciebat: quodq́; honoribus atque
præmiis illic non ſuo, ſed ciuitatis nomine affectus fu-
iſſet. Cùm vrgeret, neq; finem dicendi faceret Timo-
demus: Sic, inquit Themiſtocles, ſe res habet, neque
mihi ſi Belbinites eſſẽ tantũ tribuerẽt Spartiatæ, nec
tibi ô Timodeme Athenienſi. Subſcripſi & græca:*

ὡς δὲ ἐκ τῆς Λακεδαίμονος ἀπίκετο εἰς τὰς
ἀθήνας, ἐνταῦθα Τιμόδημος ἀφιδναῖος, τῶν
ἐχθρῶν

ἐχθρῶν μὲν τοῦ Θεμιστοκλέους ἐών, ἄλλως δὲ οὐ τῶν ἐπιφανέων, φθόνῳ καταμαργεπτέων ἐνείκεε τὸν Θεμιστοκλέα, τὴν εἰς λακεδαίμονα ἄφηξιν προσφέρων, ὡς διὰ τὰς ἀθήνας ἔχει τὰ γέρεα τὰ παρὰ λακεδαιμονίων, ἀλλὰ οὐ δι' ἑωυτόν, ὁ δὲ ἔπειτα ἐνέκειτο καὶ οὐκ ἐπαύετο ζῶντα λέγων ὁ Τιμόδημος εἶπεν· οὕτω ἔχει τοι, οὐδ' αὖ ἐγὼ ἐὼν Βελβινίτης ἐτιμήθην οὕτω πρὸς σπαρτιητέων, οὔτ' αὖ σὺ ἄνθρωπε ὢν ἀθηναῖος. Plato autem πολιτειῶν α. ita: ἀλλὰ τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὃς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ, καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὐτὸν ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμοῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' αὖ αὐτὸς Σερίφιος ὢν ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτε ἐκεῖνος ἀθηναῖος.

Liguritor. 461

LIGVRITORI cuidā & gulæ dedito, inq; primis cupido boni vini, quiq́; per iocũ paraſitico more ſoleret guſtare quicquid fortè appoſitũ vini eſſet, & optimum iterum atque iterum poſcere, quòd bona, ſecundum vetus verbum, repetenda ſæpiùs diceret: huic igitur quidam diues, apud quem crebro cœnitaret, curauit argẽteo poculo vrinam hominis propinari, at ille deceptus & argento & colore, auidè primũ haurire, ſed mox offẽſus teterrimo ſapore, ſuſpicatus id quod res erat, ſe lotium bibiſſe, vt certiùs etiam experiretur,

admouere nares poculo, & re comperta, nauſeare atque corrugare naſum. Tum is, qui illum inuitauerat: Nunquid vinum hoc placet, inquit. Non admodum, inquit ille. Certè, inquit hic, bonum fuiſſe ſcio. Credo, inquit ille, ſed in dolio corruptum eſſe apparet.

Fabula duo ſubijcit, & gulæ deditos omnibus ferè in odio, & diſsimulare iram in offenſis optimum eſſe.

Aſinus & Corui. 462

ASINVM quidam onuſtum ſale in vrbem agebāt: quo ſegnius pergente, ille animal iners cùm verbis, tum verberibus inſtigare, & ſæpe inter alia imprecari coruorum deuorationem: & moleſtè ferens tarditatem, debere ad coruos, vt in ira dici ſolet, abire aiebat. Hoc duo corui audientes, totum diem ſequi, & pabulum ſperare ſibi oblatum iri, ac vix tandem nocti reuolare in ſuos nidos ieiuni & hiantibus roſtris deluſi.

Fabula indicat, libenter credere omnes id, quod ipſi volunt. Ut Cæſar, Quæ volumus, & credimus libenter: & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus. Et Demoſthenes:

ὃ γὰρ βούλεται τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται.

Morio vapulans. 463

ACCEPERANT duo miniſtri morionem,

rionem, neſcio quò deducendũ. Ille enimuerò nõ ſolùm lente ingredi & ſæpe poſt illos longo interuallo relinqui, ſed & ſubſiſtere nonnunquam, & ſi ita viſum fuiſſet tranſuerſos per tramites, & obliquas euagari ſemitas: ita plurimum negotij & laboris ductoribus exhibebatur. At illi hũc primum orare, eíque verbis ac geſtibus abblandiri: Nam quid hîc agimus, inquiunt, in agro? quin properamus ad epulas & potum. Age tu noſter, optime, belliſſime perge. Sed cùm minus verbis bonis ac clementibus proficerent, ibi tum maledicta ingerunt, & conuicia maxima faciunt ceſſatori, ſed pari fortuna. Tum vnus: Vibices iſtum, inquit, incitabũt profectò: & virgis crura affligere morionis cœpit, & inclamare tanquam iumẽtum & iubere pergere. Quo facto nõ modò poſt illos non magis reſtitit, ſed toto reliquo itinere etiam anteuertit.

Fabula vulgarium prauitatem notat, quæ fit, vt pleriq; malo tandem ſuo reddantur doctiores, quod & prouerbio ſignificatur: Phrygem plagis fieri meliorem.

Fletus & Riſus. 464

FVISSE duo perhibentur, qui in perpetua conſideratione eſſent rerum hu-



manarum. Horum alter flere, alter ridere plęrunq; ſolebat. Quidã hoc animaduerſo, acceſſit ad illos, & ploratore ſalutato: Quæſo te, inquit, quænam maximè res, aut cauſſa tibi lacrymas exprimit? Reſpõdit ille, omnia ferè quæ in terris fiunt, ſed potiſſimũ tria, quæ vix exoratus ita commemorauit. Primùm, inquit, miſeria regum facit vt fleam, cùm video eos, qui in ſummo faſtigio rerum humanarum collocati, & quaſi dij quidam in terris ſint, & oculis, & auribus, & manibus, & pedibus alienis, quinetiam ex arbitrio aliorum & dapibus & ſomno vti, poſtremò in illa inuidioſa felicitate ſua viuere vel mẽdicato, vel rapto. Secundò, metus mihi eſt lacrymarum cauſſa, ne propè adſit ille mundi finis,

ſinis, quo omnia incendio conſumantur. Arida enim eſſe cuncta vbique & ſicca abſque humore, his temporibus, ex eo poteſt intelligi, quòd omnium eſt incredibilis auiditas bibẽdi, & iam longo tempore gentes atque nationes plæræque omnes certant copia & magnitudine poculorum. Tertiò, indignatio me lacrymari cogit, non antecedere vindemiam meſſi, nam in æſtu vuas legere multò iucũdius, & ad illius temporis calores, quibus ſitis vehemẽtiſſima excitari ſolet, opportuniſſimum eſſet remedium, præſens ſemper potus. Cognitis cauſſis lacrymarũ, idem, qui has exquiſiuerat, de altero percõtatur, quid illi riſum moueat? Et mihi, inquit ille, ferè quicquid video in terris geri, ridiculũ, vt amico meo lacrymabile videtur, ſed præcipuè tria. Quæ cùm & ipſa, vt exponere vellet, ægrè obtinuiſſet precibus ſuis interrogator: Primùm, inquit ille, ſecuritatem derideo mortaliũ ſummam, & in malis ac miſeriis propriis reuocandis pertinaciam. Vix qui fracta naui de mari euaſit, expectat dum illa reficiatur, vt ad nouum naufragium feſtinet. Non differunt in præliis ſauciati reditum in militiam, dum vulnera coaleſcant, & cicatrices ducant. Ebrioſi poſt grauiſſimos caſus,

ſus, & dolores maximè capitis, manè inſtaurant potationes. Cuius damno accepto luſoris, non reuocat cupidas alea ſæpe manus? Quis elata vxore aſpera & importuna, non inter eas propemodum, quę funus proſequuntur, quærit atque legit nouam conditionem? Secundò, peruerſitas facit hominum, vt ridere libeat, qui conuitiis & epularum hilaritati Muſicæ & carminum ac ſonorum lætitiam adhibent, & dolentibus atq; mœrentibus triſtitiam querelarum & fletus addunt. Tertiò, an non etiam tibi ridiculum videtur? magno vbique medicos conduci, cùm maxima horum copia, & parabilis atque gratuita opera ſuppetat. Quæ enim anicula obſecro non medicinam profitetur? Sed vt hoc nihil ſit, plæroſque tamen in hominibus certis morbos curari non oportebat: vt oculorum in inuidis, gulæ liguritorum, linguæ & gutturis rabularum & mulierum, anhelationem in curioſis & paraſitis, mala ſtomachi in iracundis, pudenda cœlibum, podagram & chiragram in furibus & rapacibus, inſaniam in militibus, nam hoc pacto rectiùs conſuleretur reipublicæ. Tum ille interrogator, hæc etiam vt explicare non grauaretur, cùm impetraſſet: Cachinnator, oculos

ideo

ideo, inquit, inuidorum non curari melius erat, vt minus liquidò aſpicerent aliena bona, eaque prauitatis ſuæ opinione, cum perpetuo dolore maiora ſemper fingerent. Liguritoribus verò quam pœnam grauiorem inflixeris gulæ vitiis? Rabulæ autem & mulieres, minus linguaces ſi redderentur, tinnirent minus. Anhelatores, paraſitos & curioſos oportebat ſemper eſſe, quod ad alienas res cognoſcendas & ad cœnas feſtinationi obſtaret. Iracundis autem prodeſſet, ſi morbo occaleſceret ſtomachus, ita non tam celeriter neque facilè commouerētur indignatione. Cœlibes quidem qua parte minimè valere neceſſe eſt, ea quid attinet curari? At fures & rapaces, podagrici & chiragrici nocerent nemini. Iam te nō fugit, vt opinor, à poëtis cū fortiſſimos heroas, tum Deum ipſum belli introduci furentem in præliis, ſecundum hoc:

μαίνετο δ' ὡς ὅτ' ἄρης ἐγχέσπαλος ἢ ὀλοὸν πῦρ.

Quare relinquenda erat pugnatoribus inſania, quo eſſent in acie magis ſtrenui & fortes viri. His dictis illi pro ſe vterque flere & ridere, hic quo inſtituerat ire perrexit.

Fabulam de Heracleti & Democriti hiſtoria confictam eſſe ſatis apparet. Docemur autem hac duo,

vnà ades in chorea, ſimul & ipſa læta, ſimul & ſpectatrix vt ſis morũ noſtrorum. Meæ filiolæ, inquit anus, choreæ non ornatum tantummodo requirunt.

Fabula eſt conficta de Teutonico prouerbio, quo dici ſolet, Choreas bellis calceolis non eſſe contentas. Significatur autem, non eſſe temerè aggredienda ea, ad quæ vel non ſatis futuræ vires, vel perſona noſtra minus idonea eſſe videantur.

Corui & Columbæ. 469

ORTA controuerſia inter coruorum & columbarum genus, cõſentitur ab ambobus in accipitrem iudicem. Ille cauſſa audita, Columbas ſtatim condemnat, & coruos abſoluit.

Ad talem fabulam alludens Horat. ſcripſit:
Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.
Docet autem hæc nihil ferè periculi ijs, quorum aut vis metuatur, aut ex quibus vtilitas nulla percipi poßit: ſed imbecilles & fructuoſos iniuriæ obnoxios eſſe, ſecundum illud Terentianum:
Non rete accipitri tenditur neque miluio,
Qui maleficiunt nobis, illis qui nihil faciunt tenditur.
Quia enim in illis fructus eſt, in nobis opera luditur.

De Vrſo & Vulpe. 467

QVODAM in cœtu beſtiarum, cùm quæreretur, quænam cauſſa videretur ſeruitutis.

uitutis & oppreſſionis beluini generis, quod eſſet viribus multò præſtantiùs genere humano, à quo tamen caperentur, & in ſeruitutem redigerentur. Tum vulpem dixiſſe ferunt: ſe exiſtimare hominum ſapientiam & rationem tantam eſſe, tamq; mirabilem, vt nullum robur illi reſiſtere poſſit. Ibi vrſus fremens ira: Imò noſtra, inquit, vecordia nos perdit, & nos ſponte noſtra obſequendo & morigerando illis domamur. Quid enim de equis dicam? nónne valentiſſima beſtia elephantus hominibus aſſentatur & obtemperat, neque recuſat imperiũ illorum? Sed nos ſi cum illis, vt inter nos facimus ſtultè, depugnaremus tãtiſper, dum anima ineſſet, & circumuentæ fraude prius vitam amittere, quàm noſtris hoſtibus obſecundare vellemus, neque vlla commercia inter nos, neque cõiunctionem eſſe pateremur, libertatem fortaſſe hoc pacto noſtram tueremur. His ferociſſimè emurmuratis, finem vrſus dicendi fecit, & conuentus ſolutus fuit. Nõ ita diu poſt in laqueos incidit vrſus, & captus mox annulis in nares inſertis circunduci ſeſe, atque etiam ad ſaltationes & alia iuſſa patienda parendumq; nutibus hominum aſſueſieri patiebatur.

Fabula docet, cum fortuna animos hominum mutari.

tari,ſecundum Homerica paulo ante expoſita. Docet & hoc, experientes homines atque cogitantes non ſolere eſſe feroces: contrà verò,iſtos fortes & audaces verbis,in aduerſis ad turpiſſimam ſæpe humilitatem abijci. Itaque præclarè Aeſchylus & hæc:

κακῶν μὲν ὅστις ἔμπειρος κυρεῖ,
ἐπίσταται, βροτοῖσιν ὡς ὅταν κλύδων
κακῶν ἐπέλθῃ πάντα δειμαίνειν φιλεῖ.
ὅταν δ᾽ ὁ δαίμων εὐρ῀ῇ πεποιθέναι,
τὸν αὐτὸν αἰεὶ δαίμον᾽ οὐριεῖν τύχης.

Vexatus eſt quicunq; calamitatibus,
Is ſcit homines omni de fortuna impetu,
Perterritos plura mala ſemper metuere,
Eoſdem vbi ſors affluit confidere,
Aura ſecunda vſuras res ſemper ſuas.

De Fatuo & Eſſedo corruente. 468

VEHEBATVR forte cum aliis quibuſdam fatuus adhibitus riſus & iocorum gratia: is animaduertit clauiculum qui ante rotam impactus fuiſſet de axe excidiſſe, & paulatim de hoc illam deuolui. Itaque intelligens ſi rota prorſus deuoluta eſſet,futurũ vt eſſedum corrueret: ſubinde ſecum, ſed ſic facilè vt exaudiretur, muſſitabat: Si diu pergeret eſſedum,id ſibi quidem gratum eſſe. Hoc dictum cùm ſæpe murmure ſuo repetiiſſet, atque alij non attenderent animum,alij deriderent, tandem deuoluta rota corruit eſſedum,&

qui vehebantur effuſi in terram tum demum ſero fatui ſolicitudinem cognouerunt, perſpicientes & quæ illa, & quòd nequaquam vana fuiſſet.

Fabula monet, ne in vllo quaſi expedito rerum curſu nimis eſſe ſecuri velimus. Itemq́ hoc ſubijcit: Solere homines incogitantes & improbos, negligere atq; deridere aliorum tanquam ſtolidorum ſolicitudinem & metum impendentium malorum, illa verò euentu comprobari, id quod de vaticinijs ſuis alicubi in tragœdia querentem, Caſſandram, introductam fuiſſe accepimus, hoc modo:

ἄκραντον ἄρα μ' ἔθηκε θεσπίζειν θεὸς
καὶ πρὸς παθόντων κἀν κακοῖσι κειμένων
σοφὴ κέκλημαι, πρὶν παθεῖν δὲ μαίνομαι.

De Ruſticis & Lupo. 469

LVPVS qui ouem de caula rapuiſſet cum illa de pago ſiluam verſus aufugiebat. Ibi totus pagus exciri & concurrere, & obuiis quibuſque armis arreptis lupum perſequi atque inclamare. Cui cùm ouem extorſiſſent: Vos quidem, ille inquit, ſcelerati ruſtici, ego ſeditionis poſtulaturus ſum qui ad arma concurreritis.

Fabula docet, quòd improbi qui iniuriam atque vim alijs intulerint, laſos fortè ad defenſionem excitatos, inſuper reos etiam facere ſoleant tanquam turbulentos & ſeditioſos, quaſi accuſent, quòd non tacitè & libenter incitatam in ſe vim atque

iniuriam admiſerint, vt Fimbria, quemadmodum Cicero refert, quòd Scæuola non totum telum recepiſſet corpore ſuo.

De Aſino & Muſto. 470

AD lacum quo muſtum paulo ante exceptum fuiſſet, oberrans deuenit aſinus, & guſtato dulci potu, cùm ille placeret, bonam partem muſti exhauſit: hoc moleſtè ferẽs is cuius aſinus muſtum epotauerat, agit cũ domino aſini de damno accepto. Ille deberi quicquam à ſe negat. Venitur ad iudices. Illi, etſi res ipſis ridicula viſa, tamen vt litigatores abſoluerent, interrogant, an inter bibendum ad lacum aſinus aſſediſſet. Cumq; ſtantem eduxiſſe muſtum cognouiſſent: pronuntiant, nihil debere aſinum, qui quaſi præteriens gûſtare tantummodo muſtum voluiſſe videatur.

Fabula docet, diſceptationes ſtolidas rectè eludi poſſe, & litigatorum ineptias à iudicibus refutandas eſſe.

Leo procus. 471

LEONEM mirifico amore erga virginem fortè conſpectam exarſiſſe ferunt. Venit igitur ad patrem, & nuptias petit filiæ ipſius. Huic ille: Egóne tuis, inquit, iſtis dentibus & vnguibus committam

teneram virgunculam filiam meam? Atq; abſque his foret, equidem felicem me arbitrarer ſi talis gener contingere poſſet. Nunc verò non auſim facere tibi illam vt tradam. At leo amoris impatiens, poſtulante homine & vngues præcidi & dentes effringi patitur. Ibi inermem homo facilè vincit atque interimit.

Fabula oſtendit, calliditatem & malitiam fortibus, imprimis voluptatibus ineſcatis, decus atque robur detrahere, & poſtea liberè illis inſultare. Hac fabula apud exercitum Eumenem vſum aliquando fuiſſe ſcripſit Diodorus lib. XIX. hoc ſenſu, quod ſimiliter & Antigonus omnia policeri non dubitaret, dum potiretur copijs, tum verò in duces ipſorum animaduerſurum hunc eſſe pro arbitrio ſuo.

De Buſiride. 472

AD Buſiridem regem priſcum Ægypti, cupidum eximio quodam cultu placandi Iouem, veniſſe memorant ex Æthiopia quendam, qui ſacerdotem ſe eſſe diceret in patria ſua, & docuiſſe regem, nullas ab ipſo cædi poſſe gratiores Deo hoſtias, neque quibus litatum iri melior ſpes concipienda eſſet, quàm ſi homines externos necaſſet. Ex eo quidem tempore Ægyptium humanas victimas hoſpitum Ioui cœpiſſe immolare ferunt, ſed illum monſtratorem talis ſacrificij iugulari primùm iuſſiſſe,

iuſſiſſe, & fieri rem diuinam Ioui corpore ipſius.

Fabula idem ſubijcit quòd Phalaridis taurus, nempe hoc ſecundum Ouidium.

Neque lex iuſtior vlla eſt,
Quàm necis artifices arte perire ſua.

Vrſi educatio. 473

EDVCABATVR in domo quadã ampla vrſi catulus, & paſcebatur pane furfuraceo & ſimilibus cibis. Cùm autem ætate vires auctæ fuiſſent, ille & altiles animantes rapere, neque ab hominum etiam laceratione abſtinere vngulas & dentes.

Fabula dictum hoc ſubijcit, quod ſæpe me audire de patre meo recordor, Vrſos paruulos & principes paruulos, & poſſe facile regi & innoxiè colludere conſueuiſſe. Nec non ſententiam Ariſtophanis quæ exponitur in Ranis his verſibus:

οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν.
μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ν πόλει τρέφειν,
ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Hominum fabricatio. 474

CVM Iapeti filiis dij negotium dediſſent atque mandaſſent, vt homines de terra fabricarentur, tum Promethea tradunt magna cum cura & conſideratione in opere verſatum, atque diligenter circumſpectis omnibus, ita demum perfeciſſe ho-

REVERSO domum poſt vnũ annum filio,qui ſtudiorum bonorũ atq; artium diſcendarũ gratia abfuiſſet: Quid,inquit pater,mi fili de tanta pecunia factũ eſt quantam tibi miſi? Quanta? inquit adoleſcens, non enim memini. Ter,inquit ſenex,hoc anno à me tibi curata pecunia eſt,bis vno & altero mercatu,ſemel inter hos. Atque priore quidem mercatu dedi noſtro vicino aureos ſexaginta, quos tibi renumeraret, altero deinde totidem,poſtea tabellarius nuper huc miſſus, ſexaginta & ipſe attuliſſe tibi debet,tot enim tum petieras. Ita factum eſt, inquit adoleſcens, ſed hoc nihil eſt. Nihílne hoc eſt? inquit ſenex,an nihil videtur, ſumma aureum centum octoginta? Præ debitis quidem nihil eſt, inquit filius, quæ reliqui foris. Nam tua, mi pater, meis verbis obligata fides eſt in centum alios & inſuper quadraginta. Hæc,inquit pater, iam ſumma fuerit, aureum, vt opinor, trecentorum & viginti. Fuerit ſanè,inquit filius,ſed tu cogita, mi pater, multis mihi apud externos rebus opus fuiſſe: quid enim quod vno aſſe venire ſolet,gratis datum? At cibo,potu,habitatione cõmoda,cubili,veſtibus, libris,

ticem proponit ad funerandum. Amicis & propinquis ægerrimè ferētibus factum, & quid ſibi vellet requirentibus: Hoc, inquit illa, reliquū eſt de trunco eo cui me dediſtis, nam trūco ego quidē collocata fui, ille poſitis his quaſi exuuiis, neſcio quo ablatus eſt, quas relictas, ſi videtur, ſepelietis.

Fabula reprehendit peruerſum ſtudium parentum ac propinquorum in procurandis nuptijs ſuorum, à quibus non, vt quàm maximè congruentes illæ ſint, opera datur, ſed vt locupletum atq; diuitum qualiumcumq; affinitas conciliari poſſit. Id quod & Theognideis verſibus reprehenditur.

De Mergo & Stellis. 477

Nox erat ſerena admodum & lucida, ſplendoreque ſtellarum clara. In hac mergus per ſtagnū ferebatur, piſcium capiendorum cauſſa. Vtq; renidentem in aqua fulgorem ſtellarum cernit, ratus piſces ſe conſpicatum, appetit ſcintillas in aqua apparētes, & ſeſe in eas captans incitat. Mox vbi ſe deceptum, neque piſces eſſe, quos crediderat ſenſit, à labore inani deſiſtendum ſibi eſſè decreuit. Die autem orto videt matutino tempore in liquido ſtagno ſub aquis ſplendorem ſquamarum in piſcibus relucentem, at ille de fruſtratione nocturna cogitabat etiam iſtas vanas eſſe

iungi: Et inprimis vetuſta cum nouis non ſine detrimento plerunq; commiſceri. Secundum hoc, non rectè aſſui pannos veteres ad veſtes nouas, & nouum vinum vtribus recentibus infundi oportere.

De Nuce & Vepribus. 479

NVX ſtirpe procera, & patulis ramis propter viam enata, ac iam ſub autumni tempus fructibus grauis, vicinas vepres ſpernebat præ ſe, & verbis inſectabatur, vt humiles & infructuoſas, infelicéſque ac miſeras vocabat, in illa deorum hominúmque neglectione. Quæ eſt enim, inquit, & quàm deteſtanda contorſio & deprauatio veſtra? Quis autem vos non ſimul atque tetigit, mox execratur vobíſque maledicit? Mea verò, videtis quæ ſtipitis ſit firmitas, quæ ramorum denſitas, quæ foliorum amplitudo, quæ fructuum copia: atque his dictis concuſſo comãte vertice, tacentes vepres ſuperbiſſimè deſpiciebat. Veniunt mox homines omnis ætatis ac ſexus, viri, mulieres, virgines, pueri, ac fuſtibus ſaxisq; nucem petunt, maturosq; fructus decutiunt, & longis perticis verberant, neq; folia modò diſſipant, ſed ramos etiam diffringunt atq; lacerant, ſpoliatãq; ipſam ac male multatam diſcedentes relinquunt. Tum vepres, non quidem arre-

pta occaſione illam deriſiſſe in calamitate, quod inhumaniſſimum eſſe ſcirent, ſed in caſuum & fortunæ incertæ atq; dubiæ cõſideratione, hinc Menandri verſum inter ſe memoraſſe accepimus, huius ſententię:

Beatus eſt cui mens bona & res obtigit.

Illinc verò hos Euripidis:

ὄλβου δ᾽ ἐπιῤῥυέντος εὐτυχέστερος
ἄλλου γένοιτ᾽ ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ᾽ ἂν οὔ.

Aliunde etiam hæc:

Multorum, opes, malorum hominibus cauſſa ſunt.

Cohercet fabula ſuperbiam & contemptus, docetq; vitæ ſplendorem obnoxium eſſe miſerijs. Quàm autem peruerſa ſit res opulentia & præſtantia veſana & demens, conſiderantibus huius effectiones & opera manifeſtum facilè fit omnibus: Indicauitq; ille qui dixit:

σκαιὸν τὸ πλουτεῖν κἄλλο μηδὲν εἰδέναι.

De Sorice. 480

INTER mures ſunt qui Sorices appellantur, exiliores quidam & acriores reliquis, atq; hi putantur ſoli ſtridere clariùs, cùm aliorum voces non exaudiantur. Horum vnum quondam in cœtu murium gloriatum de cantu & vocali ſono ferunt, cui vetulus alius: Heus tu, dixerit, quid gloriaris ſtulte, quídue iſtum exitioſum tibi ſtridorem iactitas? An non audis de

hoc

hoc etiam prouerbium natum inter homines: Soricem ipſum ſuo perire indicio. Ne tu igitur quod neq; generi honeſtum eſt, & ſaluti contrarium tuæ, quaſi pulcrum & magnifaciendum oſtentes. Ridebat ſenem feroculus iſte, atque quàm ante magis contentiúſque ſtridebat. Itaque homines hoc ſigno mures in illo loco verſari cùm depræhendiſſent, operam dedere vt eos inſidiis circumuentos caperent. Captusq; inprimis ſorex, ſtridere tum quoq; in dolore & perturbatione animi. Ibi vetulum illũ ſuis paruulis muſculis cùm pręcepta daret moderationis & prudentiæ, hoc quoq; dixiſſe accepimus: Deteſtabilem eſſe eam vocem quæ eadem & in lætitia ac felicitate, & triſtitia atque miſeria emitteretur.

Fabula narrari poteſt aduerſus ſtolidas ineptias oſtentationis, docetq́, vanitatis ac leuitatis exultationem, etiam miſericordia deſtitui.

De Vulpe, Leone & Aſino. 481

Si aliquid ſibi impertiri vellet de aſino capto, policetur vulpes leoni cò ſe deducturam aſinum, vbi facilè compræhendi à leone poſſet. Promittit leo liberaliter. Ibi dum per inuia loca ſiluarum aſinum circunducit vulpes ſpecie ſocietatis, etiam ipſa

ipſa adhæreſcit & impeditur. Tum leo vulpeculam prius deuorat, atq; ita aſino ocio sè ſolus potitur.

Dici poteſt fabula in ſociorum fraudulentam infidelitatem, cuius hic eſſe finis ſoleat, ipſorum poſt proditos ſocios interitus. Talis fuit Alcibiadea fere ſocietas. Expoſuimus & ſupra hanc fabulam, ſed conſideratio perfidi ſæculi in cauſſa fuit, vt repetere liberet. Non enim τὰ καλὰ modo δὶς καὶ τρὶς laudabiliter memorari, ſecundum Græcum prouerbium, exiſtimandum eſt, ſed etiam ac multo quoque magis τὰ ὠφέλιμα.

De Patre & Filia. 482

OBIVRGABAT crebro filiam pater quòd diceret, audire ſe illam cum adoleſcentibus fabulari, cõſiſtere, dextram etiã copulare, & alia quæ virgini pudicæ nequaquam conuenirent, facere. Hortabatúrque vt pudicitiam diligenter cuſtodiret. Illa enimuero ſe facere reſpondit in ea tuenda quod omnino poſſet. A virorũ igitur, inquit pater, commercio te contineto. Etiam tu, inquit filia, vngues abſtines cùm veſtes noctu exuis, ne crura perfrices. Non facio, inquit pater, vix enim queam, moderor tamen fricationem. Et ego, inquit filia, cõgreſſus cum adoleſcẽtibus, ſed vitare prorſus nullo modo poſsũ.

Docemur hac fabula, naturalem ſæpe prauitatem, id eſt propoſito malo & educatione ſiniſtra confirma

firmatam,emendari aut tolli non poſſe.

De Lupo auſpicante. 483

Lvpvs auſpicatus prædis faciendis, perquam, vt arbitrabatur, feliciter, proficiſcitur extra ſiluam & ſtatim reperit in via carnes ſalſas ac laridum. Ipſe verò hũc cibum vt minime delicatum ſuperbè con temnere atque præterire. Paulo poſt incidit in panes quos viator quiſpiam amiſiſſet. Ibi lupus his & ipſis ſpretis,ſecũ,Ego, ne, inquit, panibus iam veſcar qui carnes modò faſtidij? non ita hodie auſpicatus fui. Atque in hac contemptione & ſpe ad flumen quoddam peruenit,vbi in ripa cõſediſſe apud corbem veterem ibi à ruſticis forte relictam, videt vulpeculam quæ lupum odiſſet. Hanc intuens atque compellans lupus:Quid tu iſtic, inquit, ocioſa deſides? Quicum tu, inquit vulpes, loqueris? Quicum, niſi tecum? inquit ille. Nam quid tu hîc agis? Mihi, inquit vulpes, poſt epulas acquieſcere ita libuit. Quaſnam illas? inquit lupus. Belliſſimas profectò & delicatiſſimas atq; lautiſſimas, inquit vulpes. Nam ego iſta hodie corbe grandiſſimos piſces cepi ſedecim, quibus differto ventre,nunc hîc,vt vides,proiecta recumbo. Lupus ſecum vim & euentum

auſpicatio

auſpicationis admiratus, qua ſibi exquiſi tas eſcas promiſſas fuiſſe recordaretur, & cupiditate piſcium comedendorum incitatus, quomodo illi capi ſolerent, de vulpe quærit. Illa enimuero, ſe corbẽ præ ſe egiſſe in aquis narrat. Sed multo erit piſcatus copioſior ſcilicet, inquit, ſi tuam ad caudã paſſus fueris alligari corbem, & ego pone ſequens piſces excitauero. Paruit Lupus monitis, atque ita corbem annexam ſibi trahens, per aquas ſurſum verſum, ſic enim faciendum vulpes præceperat, ingreditur. Hæc autem à tergo lupi non ceſſabat ſilices in corbem & ſaxa ingerere, & lupum ſtrenuè vt pergat hortari. Ille ſentiens pondus creſcere, copiamq; eam piſcium eſſe ratus, niti ac progredi lętus, donec iam vires ad corbem producendam deficerent. Ideo ſatis eſſe illo die operæ nauatum dicere, & cupere in terram extrahi corbẽ. At vulpes, enim maius, inquit, onus eſt quàm cui nos ſufficere poſſimus, accerſam alios qui adiutent. Et ad ruſticos vicinos procurrens: Quid vos hîc ſtatis? inquit, quin vlciſcimini perpetuum hoſtem gregis veſtri lupum? qui non contentus caulas veſtras vaſtaſſe, fluuios etiam populatur. Illi mirati rem, cum telis, quæ in feſtinatione cuique oblata fuerant, ad flumen

flumen decurrunt. Quos ſimul conſpicatus lupus, ſimul clamore infeſto audito, totis viribus anniſus eripere ſe imminenti diſcrimini mortis, cùm arctiſſimo nodo & lentiſſimis vinculis cauda reuincta ad corbem aſtringeretur, abruptæ ad corbẽ partem illius reliquit, & in ſiluas aufugit, vbi ſubter arborem ſtratus, deplorare infortunium, & ſe accuſare, ſibíque à diis, vt fit in doloris inſania, peſſimà quæque imprecari. Forte eam arborem paulo ante lignator conſcenderat, is in lupum ſecurim ſuam vehementiſſimo ictu impegit. Tum verò lupus queſtus, quòd ad mala dij tam eſſent exorabiles, in interiorem ſiluam, mutilus, ſaucius, famelicúſque ſe recepit.

Fabula hæc conficta eſt contra faſtidia & leuitatem, & docet quod Græci monẽt, ϛέργειν τὰ παρόντα. & quod ſors cuiq; quoq; tempore obtulerit id gratũ eſſe habendum.

De Mortis nuntiis. 484

CVM Hercules reliquiſſet ſuperatũ Letum ad buſtum Alceſtidos, vbi illud iaceret anhelans & exanimatum, miſertum illius quendam Pheræum qui tranſiens aſpexiſſet, recreaſſe ipſum & perfeciſſe, ferunt, vt vires priſtinas recuperaret. Ob

hoc beneficium Letum promiſiſſe illi memoriam à ſe grati animi, & cùm non prorſus parcere ei poſſet, non tamen ſe oppreſſurum eſſe de improuiſo benefactorem ſuum, ſed miſſurum prius qui monerent quiq́; indicarent, quòd appropinquaret Letũ. His policitis Pheræus elatus, animo ſecuro vitã egit, cũq́; minime metueret, Letũ ad ſe auferendum adeſſe cognouit. Queſtus igitur ille grauiſſimè perhibetur, ſe circumuentum fraude arripi, & Leti vanitatem accuſaſſe: neminem enim prænuntiaſſe aduentum ipſius. Cui Letum narrant demonſtraſſe, plurimos à ſe nuntios ad eum perueniſſe. Nam & annos ante ſex febri, & poſt duos rurſum, grauedine ac deſtillationibus eum laboraſſe. Intereáque ſæpe cum tuſſi, ſæpe capitis doloribus conflictatũ, proximè etiã anhelaſſe. Quibus omnibus vt accedentis Leti nuntiis non longiſſimè illud abeſſe commoneri debuerit. Quin etiã, inquit, paulo ante aduentum meum, germanum fratrem ad te miſi, veternoſum illum ſoporem, in quo aliquantiſper pro mortuo iacuiſti. Ita probata fide ſua, quodq́; promiſſum feciſſet, Pheræum lamentantem & muliebriter eiulantem abripuit.

Docemur de valetudinis imbecillitate & morbis cognoſcen

cognoſcendam mortalitatem, neque mortem omnibus neceſſariò oppetendam, nimium perhorreſcendã eſſe.

De Ioue & Plebeio. 485

PLEBEIVS in humilitate quidam & tenuitate ſua admirans atque concupiſcens ſplẽdorem ac copiam diuitum & locupletum, aſſiduis precibus Iouem flagitabat, ſibi vt honores atque opes largiretur. Iuppiter volens ſe moleſto interpellatore tandem liberare, Mercurium cum honoribus & opibus ad eum mittit, implicatis quidem vtriſq; atq; contectis, illis purpura his auro. Iuſſerat tamen & aperiendi inſpiciendíque diligenter poteſtatem fieri plebeio, & admoneri quoq; eum, ne tam ſolicitè exoptata munera quæ iam offerrentur, temere, neue inconſiderata appræhenſione aliquid mali arriperet. At plebeius ille captus ſpecie ac claritate donorũ cupidè ambo complectitur atq; aufert. Vbi verò contẽplari ocioſe cœpit, inq; illis reperit curas, anxietates, formidines, podagras, omnia deniq; animi & corporis mala, cùm neq; quo pacto his frueretur reperiret, neque carere vt vellet à ſua ſtultitia impetrare poſſet, ita in illis quaſi in pice muſculos ſolere aiunt, tum adhæſit.

Fabula cohortatur homines ad conſiderationem,

& deterret ab imprudẽtia, cupiditatéſque coheroet, neque temere quæ niteant & ſpeciem habeant præclaram, arripienda eſſe monet.

De apicula deſertrice generis ſui. 486

ANIMADVERTENS apicula fucos ocioſos in copia non minore vitam degere quàm laborioſiſſimũ genus apicularũ, eos imitari & non magis opus facere velle decreuit. Sed cùm quaſi penſum cotidianum ab illa exigeretur, deſertis ſuis ad fucos tranſiit, intérque illorum furta ſuppetente etiam vbique pabulo, æſtatem ſatis, vt rebatur, commodè tranſegit. Sub hiemis autem frigora fuci in ſuas lamulas diſperguntur, & ſe quaſi ſepeliunt intra cauernas. Apicula igitur reuolare ad genus ſuum & aluearia repetere: verùm omnibus foraminibus & oſtiolis alueorum obturatis, celeriter gelu hiemis & imbribus oppreſſa interiit.

Fabula contra fugam laborum & deſidiam, déque proditoribus narrari poterit.

De Auaro & Familia. 487

QVIDAM admodum locuples, ſed mirabiliter auarus atq; parcus, familię omnia iniquiſſimè præbere ſolebat, ſed vinũ inprimis, cuius haberet totas cellas refertas.

Accidit

Accidit vt in ſenecta oculis ille caperetur: hac occaſione familiares vſi, perſuadent cellario ſaltem vini vt pluſculum ſibi vellet promere. Tum igitur aqualibus vinum indere & efferre ſolebant de cella. Quodam tempore cùm ſenſiſſet multum illos bibere paterfamilias, quærit quonam potu tam iucundè vtantur? Quonam verò, inquiente vno, niſi aquæ? nam vinum quod tuo iuſſu nobis præbetur, labra quidem fortè madefecerit, guttur humectare non poſſit. Sedamus igitur in hoc æſtu ſitim aqua. Senex ſiue ſuſpicans dolum ſubeſſe, ſeu verè appetens & ipſe aquæ, ſe quoq; de aquali bibere velle ait. Ibi famulus, minime tu, inquit, here de ſemipleno, & poſt nos, ſed afferam recentem, atque vino profuſo aquam de puteo ſeni attulit.

Fabula docet, auaritia & ſordibus familiam corrumpi, & rem familiarem quoque lacerari. Debetur autem, ſecundum Ariſtotelem, familiæ etiam victus. Nam ille in Oeconomicis ſic inquit:
ὄντων δὲ τριῶν ἔργου καὶ κολάσεως καὶ τροφῆς, τὸ μὲν μήτε κολάζεσθαι μήτε ἐργάζεσθαι, τροφὴν δὲ ἔχειν, ὕβριν ἐμποιεῖ, λείπεται δὴ ἔργα παρέχειν καὶ τροφὴν ἱκανήν.

De Auicula & Meſſe.



Messis inſtabat tempus, erantqu
auiculæ cuiuſdam pulli adhuc implume
in illa depoſiti. Hæc verò quoties ad pa
ſtum auolabat, diligenter meminiſſe iu
bebat pullos, omnium quæ interea dici a
diiſſent aut fieri vidiſſent, ſibi reuerſæ
narrare poſſent. Dicunt illi quodam ter
pore, affuiſſe cum filio adoleſcente adu
& valente, dominum agri, & conſtitui
frumenta poſtero die amicis corroga
demeſſurum ſe eſſe. Hoc nuntio auic
nequaquam territa, poſtridie, vt conſu
rat, ad victum quærendũ auolat. Cùm
diiſſet, audit conſtituiſſe dominũ agri
ad meſſem conſanguineorũ & propin

rum opera vſurum eſſe. Negat illa in hoc etiam periculum ineſſe. Poſtea verò quàm cognouiſſet, dixiſſe dominũ ſeipſum cum filio & ſeruis affuturum vt frumenta demeteret, ibi demum non dubitans quin ſuam rem dominus curaturus eſſet, de ſegete migrat & pullos ſuos aſportat in aliũ locum tutiorem.

Fabula vetat alienis homines fretos eſſe in adminiſtratione rerum ſuarum. Eſtq́ à Gellio illa quidem narrata copioſiùs, ſed nobis tamen ſimplici & æquabili expoſitione eandem retexere viſum fuit. Huius fabulæ verſus exponuntur à Suida Babrij ſeu Babriæ hi:

Νῦν ἐστὶν ὄντως παῖδες ἐκ τόπων φεύγειν,
Ὅτ᾽ αὐτὸς ἀμᾷ κοὐ φίλοισι πιστεύει.

Nunc filij, verum fugæ eſt tempus, mei,
Quando ipſe metit, atque haud amicis fretus eſt.

Pater & Filius. 489

GLORIABATVR quodam tempore coram patre ſene adoleſcẽs filius, quòd opera & gratificatione ſua magnam copiam amicorum ſibi comparaſſet. Senex leuitatis iuuenilis errorem intelligens, & cupiens inſtruere filium conſtantia & grauitate, quærit an etiam periculum fecerit voluntatis & fidei amicorum erga ſe. Maximè, inquit ille, & perſpexi quidem omnium eſſe propenſionem animarum er-

ga me mirificam. Sed aliquo certo, inquit ſenex, caſu experienda illa eſt, quare ſic ages. Occiſum vitulum indes in ſaccum, eumq́; cruentum deferes ad amicũ quem pro ſingulari & eximio habes, rogabisq́; vt tibi auxilio eſſe velit in celando facto tuo, nam te in rixa hominem occidiſſe. Paret adoleſcens monitis paternis, venítque ad eum quem principem amicorum ſuorum eſſe credebat, cum ſacco ſanguine reſperſo, & oratione à patre ſubiecta. Hic verò illum auerſari, & verbis etiã aſperis repellere, negareq́; ſe ſocium ſceleris illi futurum eſſe. Redit adoleſcens igitur ad patrem, & quid acciderit ei refert. Viden' inquit ille, amici iſtius ſpecie quantopere deceptus fueris. Sed tenta & aliorum animos. Exequitur paterna iuſſa filius, & ab omnibus amicis deſtituitur atque refugitur. Fatetur igitur apud patrem errorem & ſtultam credulitatem ſuam. Tum ſenex: Ego, inquit, in tota vita mea, quæ quãta ſit noſti, vix dimidium amici reperire & acquirere potui. Sed & huius animum exploremus. Accedito igitur ad eum (demonſtrauitq́; ſimul hominem & ædes) ac cuius filius ſis indicato, & petito vt in facinore tegẽdo te adiuuet. Fecit adoleſcens vt pater præceperat: cumq́;

ad

ad illum paternum ſemiamicum veniſſet, & rem, vt compoſita erat, expoſuiſſet: Celeriter, ille, de via intro, nam foris hæc agi neutiquam conuenit, atque ita ſe in ſecreta domus parte, ad ſolum offodiendum vbi interfectus ſepeliretur, accingit. Tum adoleſcens cognita amicitiæ fide, rem omnem illi aperit, & gratias agit, ſeq́; vt & ipſum tanquam alter parens amore complecti velit, orat, reuerſusq́; ad patrem prędicat vnici neque integri, vt diceret, illius amici fidelitatem, & ſuam copiam damnat. Audit verò à patre & alia exẽpla veræ amicitiæ & fit inſtructior, atque cautior ad iungendas familiaritates, & credendum blandis verbis ſimulatæ beneuolentiæ.

Docet fabula, amicitiam eſſe rem neutiquam vulgarem, & ſubijcit id quod de Menandro contra perfidiam falſorum amicorũ adducitur, εὔχου μὴ πᾶ-ϛαρ λαβεῖν φίλων *Nam ſecundum notiſſimos, ſed & elegantiſſimos verſus Ouidij:*

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.

Plutarchus autem in diſputationibus ſuis περὶ πολυφιλίας *&* φιλαδελφίας *refert etiam ſententiam Menandri talem, Præclare agi cum eo qui amici vmbram conſecutus ſit.* τὸν παρὰ τῷ Μενάνδρῳ, *inquit,* νεανίσκον ὑπερφυῶς ἐπαινοῦμεν εἰπόντα θαυμαστὸν ὅσον νομίζειν ἀγαθὸν,
ἕκαστος ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.

Pediculi & Pulices. 490

GRAECI moleſtum & fœdum animal φθεῖρας vocant, Latini pedes dixere & pediculos. Hi ſanguine aluntur quem de aliis animantibus exugunt. Sed & pulices ſimili pabulo vtuntur, & morſu ſuo infeſti ſunt cuti animantum. Ab his inuitat quodam tempore pediculi, ad pinguis & adipoſi corporis dormientis hominis opi peras epulas, cùm auidius appeterēt illum ſuccum perdulcem, excitatur ſopitus & lumina poſcit, quibus illatis celeriter pediculi reptantes capti necantur, pulices ſaltu fruſtrantes captatores ſalutem ſib pepererunt.

Fabula docet, inertia & deſidia, facultates exiſt mationem, ipſam vitam maximè lædi.

De Mortuo & Miſericorde. 49

QVIDAM forte conſpicatus mortu humi ſtratum miſericordia motus acce dit vt iacentem erigat, & manu præhen ſa eum ad ſurgendum hortatur. Cumq cerneret ſic minimè excitari illum, omn bus viribus anniſus in pedes cōſtituit, r clinatum ad parietem. Recidētem aute in terram iterum attollit & vt poteſt ſt bilit: hic iterum collabitur. Tum ſe fruſ

lab

laborare ille ſentiens : Profectò , inquit, nihil , vt video , profecerit in iſto opera mea,ad conſiſtendum enim intus eſſe aliquid oportebat.

Plutarchus in Laconicis narrat hoc factum, & refert dictum Laconis , καὶ τὸ σιῶ ἔνδον τί ἔχει δεῖ. Docemur autem hoc , omnibus in rebus per ea quæ apparent exercere vim & effectionem ſuam , intus aliquid latens ἀειδὲς, vt Plato vocat, ſine quo omnia iaceant & inania ſint. Vt in oratione ſententiam, in actionibus cõſilium & rationem, in corpore animam, in vniuerſitate rerum numen diuinum.

De Muſca & Plauſtro frumenti. 492

CVM ruſticus demeſſa frumenta, magno in æſtatis calore per puluerulentam viam plauſtro impoſita deueheret ex aruo, concedit muſca in manipulo atque ita vnà ad horreũ peruenit. Cùm plauſtrum iam ſtaret & equi ac vector puluere reſperſi acquieuiſſent , prouolat muſca , ac Deum immortalem, inquit, quantam ego pulueris vim commoui?

Fabula narratur glorioſæ ſtultitiæ , & ijs qui vt ille Thraſo, alieno labore partam laudem in ſe transferunt, & appoſitiſſimè iſtis ſcriptorculis magnorum & doctorum virorum reprehenſoribus , qui ſibi aliquid in illis certaminibus , adhærentes ad excellentiam illorum, videri ſolent.

Conſul

Conſultatio. 493

QVAEREBATVR aliquando in neſcio qua ciuitate, de oppido muniendo. Cenſebant fabri lignarij muros faciendos ligneos, Cemẽtarij lapideos, at Cerdo, immo pellibus, inquit, cingatur oppidum.

Fabula oſtendit vulgus in deliberationibus de republica ſuum ſpectare commodum.

Filius dialecticus. 494

REVERSVS aliquando domum ad parentes ruſticanos filius de ludo litterarum, vbi & quædam arithmetica & dialectica præcepta audierat, oſtentare cupiebat eruditionem ſuam. Quodam tempore cœnantibus parentibus & ipſi vna apponũtur tribus oua tria. Ibi pater, quàm parcè, inquit, hodie cibus præbetur, ac cur non ſingulis bina oua data ſunt? Tum filius occaſionem glorię offeri ſibi gauiſus, immo, inquit, ſex adſunt oua. Non video equidem pater inquit: At faciam, inquit filius, vt videas, traditisq́ue duobus patri, nõne hæc duo ſunt? inquit. Ita ſunt, inquit pater. Et hoc vnum? Sic eſt. Et vniuerſa tria? Scilicet. Quot ſunt igitur, duo, vnum, tria? Certe ſex. Viden' ergo, inquit filius, ſex adeſſe oua, teq́; ſine cauſſa ſtomacha-

tum

tum fuiſſe.Pater ineptias illius refutaturus,ſimulabat ſe admirari ſapientiam filij, & vxori vno tradito ouo, ſibi retinebat duo reliqua.petente autẽ & partem ſuam filio:Tibi,inquit,tria reliqua ſunt, nempe dimidiũ de ſex, quot tu paulò ante adeſſe nobis probaſti.

Docet fabula, in ſe ipſis plerunque argutias euaneſcere & fallacias ſeſe interdum ipſas,vt Polypum fibras adedere atque conficere.

Leporum incrementa. 495

ANAPHAEVS quidã ad vicinos Aſtypalæenſes duos aliquando lepores detulit. Qui ignorantibus & non curantibus inſulanis breui tantã fœturam ediderunt, vt Aſtypalæenſes in periculum venirent patriæ deſerendæ.Miſerunt ergo qui oraculum conſulerent: Quid,vt malo illo liberarentur,facere ipſos oporteret? Quibus reſpondiſſe Pythiam accepimus ad hunc modum:

δίζη τετραπόδων ὅππος ἀπὸ λοιγὸν ἀμύνης
ἀλλὰ σὺ τετράποδας, δίποδας τ' ἀπεναντίον
ἄσκει. id eſt:

Quadrupedũ auxiliũ quo pellas dãna requiris.
At tu quadrupedes contra bipedéſq; parato.

Alij tradidere Pythiam apertè iuſſiſſe, eos venatores & canes alere.

Fabula

Fabula notat eos qui in paruis ſine cauſſa potentium opem implorant.

Talpæ deprecatio. 496

CVM talpa protuliſſet in cœtu beſtiarum tabellã in qua regiones & loca Græciæ ſe deſcribenda curaſſe diceret, petiit vt illum laborem quem reipublicæ cauſſa ſuſcepiſſet, boni conſulere gratoque accipere animo vellẽt vniuerſę, & ſibi ignoſcere, ſicubi forte in deſcribendo erratum eſſet: nam ſibi aciem oculorum, vt ſcirent, deeſſe. Tum vulpes dixiſſe fertur, fodere illum debuiſſe, ita non fuiſſe excuſatione opus.

Alij ſic narrant fabulam:

Teredines aliquando ægrotanti vulpi medicinam oſtẽdiſſe herbulas & folia arborum, ſed hanc reſpuiſſe vulpem, quòd diceret à fabris ſe medicamenta non accipere.

Fabula coherceet audaciam imperitam, & refutatur alicubi ille grauiter cui dicitur:

τέκτων γὰρ ὢν ἔπρατλες οὐ ξυλουργικά.

Mendaciorum expolitio. 497

MENDAX quidam, ſed ita vt mirabiliter expoliri mendacia ſciret, mittit

quodam tempore ad amicum ſuum, hominem potentem, certis de rebus miniſtrum ſuum. Qui cùm peregiſſet mandata heri ſui, interrogatur, vt fit, ecquid noui audiuiſſet, aut vidiſſet? Nihil ille inquit, volens imitari mentiendo dominum, audiui equidem, ſed in via dum huc contendo, vidi volantem porcellum. Volantem, inquit, porcellum, is qui interrogarat: quæ hæc impudens eſt vanitas? Sed non tu me ſine malo tuo deriſeris ſcelus, ac ſimul eum vinciri iubet. Hoc cognito qui eum legarat, cum amico acrem expoſtulationem inſtituit, quòd diceret illi meliorem fidem apud ſe fuiſſe quàm vt tale quippiam auſurum eſſe ſuſpicaretur. At ego, inquit alter, pati non potui tanto & tam impudente mendacio hunc mihi impunè illudere. Quid dixit igitur? inquit alter. Volantem ſe conſpexiſſe porcellum, quod neque factum eſt, neque fieri queat. At tu, inquit alter, homo ſanè es incogitans, qui non intellexeris errorem ſimplicis miniſtri mei. Ille enim raptũ ab aquila aut vulture intra vngulas eius apparẽtem porcellum cõſpicatus, volare ſcilicet eum credidit. Verum profectò memoras, inquit alter, & iniuriã miniſtro tuo factam eſſe confiteor. Receptum autem miniſtrum

ſtrum

ſtrum fertur monuiſſe herus, ne prius mentiri auderet, quàm mendacia expolire didiciſſet.

Fabula narratur de impudentia mendaciorum, & explicat prouerbium Teutonicum quo dicitur, Mendacia debere eſſe conſentanea.

Floſculus & Quercus. 498

FLOSCVLVS enatus non procul ab arduis quercubus ſuperbè contemnebatur, vt cùm breui tempore durans naturaliter, tum expoſitus iniuriis carpentium puellarum quoque. Atq; vnà illi verbis inſultans: Quàm venuſtè, inquit, pictus es, & factus belle ad ventorum ludibria & delicias hominũ, ſi fortè à beſtiis tibi parcatur, vel comedendo vel conculcando. Tacuit floſculus, neque cum tanta arboris mole ſibi putauit litigandum. Paulò pòſt adueniũt fabri cum ſecuribus, & maximè quamque proceram quercum cædere incipiunt. Quibus ad ictum ingemiſcentibus, quo maius eſſet robur ipſarum & longius quaſi æuum, hoc dolere grauiùs eas interitu floſculus intellexit, & boni conſuluit ſuę tenuitatis & breuis vitæ conditionem.

Fabula docet id, quod ait Horatius:
Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Et

Et iubet unumquenque ſibi diuinitus vita ſpacio & bonis conceſsis contentum eſſe debere. Praeclare autem, vt omnia, ſcripſit Cicero hoc quoque: Nihil eſſe longum, in quo ſit aliquod vltimum.

Parricidæ interitus. 499

DECVBVERAT ad ruinoſum parietem quidam facinoribus parricidij pollutus, vt ibi ſomnum caperet. Huic oblatus per quietem Sarapis, monuit eum vt ſurgeret atque diſcederet, & alibi, ſi videretur, obdormiſceret. Paruit ille & ſurrexit atque abiit, cùm ſtatim paries ille corruit. Manc gratias agens hic diis ob conſeruatam ab ipſis vitam ſuam cum gaudio rem diuinam fecit, quaſi parricidæ numini diuino cari eſſent. Rurſum autem Sarapis dormienti ſuam ſpeciem oſtendit, &: Cenſen' tu, inquit, ſceleſte, mihi curæ eſſe improbos atque malos? Immo ſi tu nunc iſto pacto obiiſſes mortem, fuiſſet ea ſingularis doloris & infamiæ expers. Quam ideo nunc effugiſti, quia ſeruaris crucis merito ſupplicio.

Hoc dicitur, impietatem & ſcelera debitas pœnas non effugere, quæ quo diutius differantur, eo eſſe illas miſeriores. Epigramma de hoc extat Græcum libro primo Epigrammatum, & ante illud alterum de coruo rapiente ſcorpium, à quo ictus interiit, docens ſæpe aliquem alteri fraudem ſtruentem ſibiipſi eſſe exitio.

Canum conatus ebibendi mare. 500

CERNEBANT canes, qui fortè in littore conſtiterant, pelles natare in mari: harum cupidi, cùm eas fluctibus diſici viderent, aggreſſi fuerunt potando exhaurire mare, vt ad pelles aditus pateret. Sed priùs accidit vt nimio potu exſtinguerentur, quàm ad pelles peruenire poſſent.

Notat fabula infelices conatus copiæ parandæ. Et dici poteſt in auaros. Plutarchus de doctrina inutili Stoicorum hanc recitauit, in diſputatione de communibus notitijs, hoc modo:

οὗτος ὁ λόγος ἡμᾶς μεθύσκει, καὶ τοσαύτης καταπίμπλησι ταραχῆς, καὶ παραφροσύνης. οὐδὲν δ᾽ ἀπολείπονται τῶν κυνῶν, ἅς φησιν Αἴσωπος δερμάτων τινῶν ἐμπλεόντων ἐφιεμένας, ὁρμῆσαι μὲν ἐκπίνειν τὴν θάλασσαν, ῥαγῆναι δ᾽ πρότερον ἢ τῶν δερμάτων λαβέσθαι.

Cuculus & Auiculæ. 501

INTERROGABAT cuculus paruulas aues, quare conſuetudinis ſuæ vſum refugerent? Quia enim inquiunt illæ, generis accipitrum es.

Fabulæ docet naturam & genus in omnibus actionibus atque conſilijs ſpectari ſolere, & ſæpe præclaris conatibus ſuſpicionem conditionu nocere. Plutarchus hanc fabulam de Lyſiada Megalopolitarum Tyranno

Tyranno narrauit in Arato, hoc modo:
καθάπερ τῷ κόκκυγι, φησὶν αἴσωπος, ἐρωτῶντι τοὺς λεπτοὺς ὄρνιθας, ὅ, τι φεύγοιεν αὐτόν; εἰπεῖν ἐκείνους ὡς ἔσοι ποτὲ ἱέραξ.

Draconis caput & cauda. 502

CONTENTIONIS exorta inter caput Draconis & caudam, peruicit tandem cauda, vt ſibi viciſſim antecedendi & ducendi dignitas tribueretur, ne perpetuò ſequi cogeretur. Hunc principatum illa adepta cùm male accipi ipſa quæ progrederetur ſine ratione, tum caput affligere & lacerare, quod contra ſuam naturam attraheretur, à cæcis & ſurdis partibus.

Fabula dicitur in eos, qui in republica, aut quocunque loco, cùm principes eſſe deberent, ipſi populares eſſe malunt, & vulgus non ducere, ſed gratificando huic obſequi. Plutarchus fabulam inſeruit narrationi de Agide & Cleomene, hoc modo:
συμβαίνει γε καὶ οὕτως τὸ τοῦ δράκοντος, οὗ φησιν ὁ μῦθος τὴν οὐρὰν τῇ κεφαλῇ στασιάσασαν ἀξιοῦν ἡγεῖσθαι παρὰ μέρος, καὶ μὴ διαπαντὸς ἀκολουθεῖν ἐκείνῃ. λαβοῦσαν δὲ τὴν ἡγεμονίαν, αὐτήν τε κακῶς ἀπαλλάττειν ἀνοίᾳ πορευομένην, καὶ τὴν κεφαλὴν καταξαίνειν, τυφλοῖς καὶ κωφοῖς μέρεσιν ἀναγκαζομένην παρὰ φύσιν ἕπεσθαι.

Aquila & Regulus. 503

De celeritate volandi contendiſſe ferunt aliquando aquilam & regulum. Eſt autem paruulus ales omnium maximè is qui hoc nomine appellatur. Atque certamine inſtituto, clanculum ſupra dorſum aquilæ conſedit regulus, & ſic deportatus ad præfinitum locum ſubitò inde euolauit, & ita anteuertit.

De eis narratur fabula, qui imbecilliores & futiliores perficiunt calliditate & aſtutia, ut præferantur potioribus atque excellentioribus. Relata eſt à Plutarcho ita in librum, quo præcepta traduntur gerendi rempublicam:

τούτων οὖν ἔχεσθαι δεῖ τῶν ἀνδρῶν καὶ τούτοις ἐμφύεσθαι, μὴ καθάπερ ὁ αἰσώπου βασιλίσκος, ἐπὶ τῶν ὤμων τοῦ ἀετοῦ κομισθεὶς ἀφνίδιον ἐξέπτη καὶ προέφθασεν, οὕτως τὴν ἐκείνων δόξαν ὑφαρπάσαντας αὐτοὺς, ἀλλὰ παρ᾽ ἐκείνων ἅμα μετ᾽ εὐνοίας καὶ φιλίας λαμβάνοντας.

Pedes & Agricola. 504

Pedes, quos & pediculos vocarunt, morſu erant moleſti aratori: ille tuniculam excutiendo iterum atque iterum expurgare, & relinquere interea arationem. Cùm autem mordere eum pedes non ceſſarent, ne ſæpius eſſet opus intermit-

termittendum, tuniculam detractam in ignem coniecit, & vna cum pediculis combuſſit.

Monet fabula improbos & petulantes, ne pertinaciter iritando aliquos, ſibi interitum & exitium, alios quoque inuoluentem accerſant. Narrauit fabulam Syllæ verbis Appianus bellorum ciuilium libro primo:

φθεῖρες γεωργὸν ἀροτριῶντα ὑπέδακνον, ὁ δὲ δὶς μὲν, ἔφη, τὸ ἄροτρον μεθεὶς τὸν χιτωνίσκον ἐκάθηρεν, ὡς δ' αὖθις ἐδάκνετο, ἵνα μὴ πολλάκις ἀργοίη, τὸν χιτωνίσκον ἔκαυσε. κἀγὼ τοῖς ἡττημένοις παραινῶ τρίτου πυρὸς μὴ δεηθῆναι.

Momus. 505

ALIA vt perperam facta in corporibus aliarum animantum notaſſe Momum accepimus, in tauro autem hoc repræhendiſſe, quòd non eſſent cornua beſtiæ humeris inſita, ac potius parti imbecilliori capiti, cum illo pacto plagæ vehementiores impingi potuiſſent.

Refutari poterunt hac fabula temerarij & inepti bonorum operum vituperatores. Et fecit huius fabulæ mentionem Ariſtoteles libro tertio de partibus animalium, qui parum acutè hæc culpantem Momum vidiſſe ait.

Paſtor & Cocus. 506

FACIEBANT vnà iter commune

paſtor & cocus. Forte accidit vt ouicula pinguis aberrans à ſuo grege eis veniret in conſpectum. Ad hanc prorumpunt ambo. Atque illis temporibus beſtiæ ſermone vtebantur humano. Interrogat agnus qui nam ſit vterque eorum? qui manus admouere ſibi ſeq; abducere velint. Cognita autem rei veritate, & quas profiterentur artes, confert ſe ad paſtorem, eiq; ſe tradit. Coco autem dicit, Eſſe eum carnificem quendam trucidantem greges, cum paſtore verò præclarè congruere mores ſuos.

Monet fabula vt malorum conſuetudinem & vſum fugiamus, & perſequamur bonorum. Quorum altero pernicies, altero ſalus continetur. Fabula extat in diſputatione nona Maximi Tyrij, quam viſum eſt ſubijcere.

ποιμὴν ἀνὴρ καὶ μάγειρος ἐβάδιζον ἄμφω κοινὴν ὁδόν. ἰδόντες δὲ ἐκ ποίμνης ἄρνα εὐτραφῆ πλανώμενον ἀπολειφθέντα τῶν συννόμων, ὥρμων ἐπ' αὐτὸν ἄμφω. ἦν ἄρα τότε ὁμόφωνα καὶ τὰ θηρία τοῖς ἀνθρώποις. ἐρωτᾷ ὁ ἀμνὸς τίς ἂν ἑκάτερος ἐθέλει αὐτὸν μεταχειρίσασθαι καὶ ἄγειν; ὡς δὲ ἐπύθετο τὸ ἀληθῆ αὐτὰ καὶ τὴν ἀμφοῖν τέχνην, φέρων ἑαυτὸν ἐπιτρέπει τῷ ποιμένι λέγων πρὸς τὸν μάγειρον, σὺ μὲν γὰρ δήμιός τις εἶ καὶ μιαιφόνος τῆς ἀρνῶν ποίμνης, τούτῳ δ' ἐξαρκίσθε καλῶς τὰ ἡμέτερα ἔθη.

Verce

Verecundiæ color. 507

PRISCA fama eſt fuiſſe olim in genere humano nullum diſcrimen, habitosq́; improbos multos, qui probi, & cõtrà probos, qui improbi eſſent: Itemq́; in honore minime dignos, & virtute præſtantes viros iacuiſſe neglectos, ſine meritorum iuſta compenſatione. Tandem prauitatis dominatio non effugit animaduerſionẽ Dei, qui cum indignatione ſic locutus fertur: Non æquum neq; fas eſt, eſſe idem decus bonorum & malorũ. Ita enim vitia abundarent. Quapropter euidente ſigno diſtinguam probos ab improbis, vt inter hos differentia appareat. Quæ cùm dixiſſet, rubore tinxit genas proborum, ſuffuſo cuti ſanguine, quoties pudor exiſteret. Idq́; ſexui muliebri accidere potiſſimum voluit, in quo eſſet forma ſubtilior & magis tenerum cor. In improbis autem rigidum illud & durum eſſe iuſſit, interiuſq́; immotum, itaque nihil prorſus ad pudorem ab hoc confertur.

Fabula commendat verecundiam & pudorem, quẽ rubor conſequi ſolet, color vt veterum quiſpiam, Diogenes niſi fallor, perhibuit, virtutis. Hanc ſumus interpretati de verſibus ſane elegantibus Gregorij Nyſianſeni, quos & ipſos adſcribendos duximus.

Εἶδ' ἄγε σοι καὶ μῦθον ἐοικότα μυθολογήσω
  αἴσχεσιν ὑμμετέροις. ἡ πολιὴ δὲ λάλον.
ἄκουσον δὴ τὸ πάροιθε βροτῶν γένος, ὅστε φέριστος
  ὅστε χερειότερος. ὡς φάτις ὠγυγίη.
πολλοὶ μὲν δοκέεσκον ἀνάρσιοι, ὄντες ἄριστοι,
  πολλοὶ δ' αὖτ' ἀγαθοὶ ἔμπαλιν ἀφραδέες.
κῦδος ἀλιτροτάτοισιν, ἀτιμίη δ' ἔτ' ἀρίστοις
  ἔσπετο, οὔτι δίκη τῶνδ' ἐπιμεδομένων.
ἀλλ' οὐ λῆθεν ἄνακτα θεὸν κακίη μεδέουσα,
  ὀψὲ δ' ἀλαστήσας τοῖον ἔειπεν ἔπος·
οὐ θέμις ἔστ' ἀγαθοῖσιν ὁμὸν κλέος ἠδὲ κακοῖσι
  ἔμμεναι, οὐδ' αὖ ἔοι πλειοτέρη κακίη.
Τοὔνεκα τοῖσι ἐγὼ σημήϊον ἐσθλὸν ὀπάσσω
  ὄφρ' εὖ γινώσκῃς, ὃς κακὸς ὅστ' ἀγαθός.
ὣς εἰπὼν ἐρύθηνε παρήϊα τοῖς ἀγαθοῖσιν,
  αἷμ' ὑπὸ δέρμα χέας αἴσχεος ὀρνυμένου.
θηλυτέραις δὲ μάλιστα, ἐπεὶ καὶ εἶδος ἀραιαὶ
  καὶ κραδίην ἁπαλαί, πλεῖον ὑπεσκέδασε.
τοῖς δὲ κακοῖσιν ἔπηξε καὶ ἄτρεπτον ἔνδον ἔθηκε
  τοὔνεκεν οὐδ' ὀλίγον αἴσχεσι συμφέρεται.

Charybdis. 508

In freto Siculo mare vorticoſum & ſæuitia clarum, fabulis poëtarum Scyllæ & Charybdis appellationibus eſt nobilitatum. Charybdis quidem vt Homerus ait:

ἀναῤῥοιβδεῖ μέλαν ὕδωρ
τρὶς μὲν γάρ τ' ἀνίησιν ἐπ' ἤματι, τρὶς δ' ἀναροιβδεῖ.

De quo nunc plura dici nihil attinet. Æſopus autem de hac ita fabulatus eſt: Primo abſorbentem aquas Charybdin aperuiſſe montium iuga. Secundò inſulas exhibuiſſe. Tertiò autem & vltimò cùm forte abſorbuerit, tum fore ſicca loca omnia.

Fabula narrari de ijs poteſt, qui accumulant exactiones, quibus tandem facultates hominum penitus exhauriri neceſſe eſt. Atque ita narraſſe Aeſopum indicari videtur ab Ariſtotele. μετεωρολογικῶν β. αἴσωπος ἐμυθολόγησεν, ὡς δὶς μὲν ἡ χάρυβδις ἀναῤῥοφήσασα, τὸ μὲν πρῶτον τὰ ὄρη ἐποίησε φανερά, τὸ δὲ δεύτερον τὰς νήσους, τὸ δὲ τελευταῖον ῥοφήσασα, ξηρὰ ποιήσει πάντα.
Atq; hāc fabulā ait illū aptè narraſſe iratū portitori.

Gallus gallinaceus & Equi. 509

FORTE deuolarat in ſtabulum equorum gallus gallinaceus, vbi ille ingredi, & tandem apud equos in ſtramentis conſidere cœpit. Dum equi autem, hæc, vt ſolent, interdum calcibus conuertunt, & ferocia exultant, gallus reſpectans & ſibi metuens ne conculcetur: ô ſocij inquit, videndum ac cauendum eſt, ne nos mutuò premendo lædamus.

Fabula monet, tales cœtus non eſſe frequentandos, vbi fortuita quoq; offenſa aliquis euerti & comminui poſſit. Dici etiam hæc fabula poſſit in imbecilles atque paruos oratione confidente & glorioſa magnis ac robuſtis ſeſe conferentibus.

Cornix & Coruus. 510

CORNIX fuiſſe perhibetur ob ſedulitatem cara famula Mineruæ, & coruus Apollinis miniſter. Sed curioſitate & loquacitate & obſequio præpoſtero, & ingratis indiciis offenſorum beneuolentia dominorum excidiſſe, & odium incurriſſe accepimus vtrunque.

Præcipitur hac narratiuncula attentio & cura inſeruiendi voluntati alienæ, & cohercetur improuida incitatio animi atque leuitas nuntiorum & delationum.

QVÆ SEQVVNTVR FABVLÆ ALI-

quando Græco ſermone expoſitæ à me fuere, quas qui volet requirere poterit.

*

Simius & Circulator.

CIRCVLATOR quidam ſplendidè veſtitus & ſpecie ornamentorum illuſtris, à Simio conſpectus forte fuit, & fatigatus precibus vt ſibi quoq; veſtem ſimilem, atq; ornatum tribueret. Hoc ille ſe factu-

rum

rūm promiſit:ſed neceſſe eſt, inquit, vt catenula quoque deuinciri te ſinas. Atq; ita prolatam veſtem valde pulcram auróque diſtinctam, iuſſit accipere hanc & induere Simium, ſed ea, qua dictum eſſet conditione. Simius ſplendore veſtis ineſcatus, & mirificè cupidus illius amictus, ſimul etiã catenulam iniici ſibi patitur, qua alligatus, ſeruitutem poſtea in vinculis perpeti coactus eſt.

Fabula aſſerit, cupiditates dementium eſſe pernicioſas.

Montes aurei.

AVDIVERAT quidam diuitiarum ſtudioſus, eſſe apud fluuium quendam in India alicubi aureos montes, ac magno apparatu, neque laboribus neque ſumptibus parcens illò contendere decreuit. Cumq; longo tempore abſumpto tandem eum in locum perueniſſet, montes illos hic quidẽ eos reperit, quos fama celebraſſet, aureos, & è longinquo luculentus ſplendor apparuit, ſed ſtatim ibidem comperit præſidere & cuſtodire aurum Griphes, animãtes terribiles, & inacceſſas, vt nullis machinis acceſſio ad montes patefieret. Quapropter poſt labores fruſtra ſuſceptos, & tam longi temporis tantíque ſumptus impendia,

pendia, à tam præclara ſpe delapſus, ita tandem cum triſtitia, & lacrymis atque lamentis plurimis domum fuit reuerſus.

Narrantur hæc contra diuitiarum immodicum ſtudium.

Ciconia, Mus, Rana.

CICONIA eſuriens, cùm ranæ ſubter aquas occultarentur, & mures in cauernis terræ latitarent, cùm quid ſe faceret non haberet, hanc artem excogitauit, ad eliciendum genus quod caperet vtrunq;. Accedit ad paludem, & ibi demerſis ranis narrat: Audiiſſe ſe mures ita loquẽtes de ranis, vt ſuperbiſſimè eas contemnerent, adeò vt prædicarent ab vno ſuorum facilè tres poſſe in congreſſu ſuperari. Ibi ranæ cõmotæ ira, dicere ſe eſſe paratos ad prælium committendũ cum muribus, in aperta campi planitie. Hoc perfecto auolat ciconia ad muſculorũ cauernas. Ante quas cùm cõſtitiſſet, compellatis illis intus auſcultantibus, permulta narrat de ranarum elatione & ſuperbia. Quodq; eſſet dictũ: Vnam ranã in certamine cum muribus, totas facilè decurias illorum poſſe vincere, atq; ipſis has iam bellum adeò denuntiare. Tum mures non minus iritati & ipſi, quòd prouocarentur, nequaquam ſe conflict

conflictum defugere dixerunt. Quæritur igitur campus magnus, æquabilis, apertus ad cõflictum, & eo inuento tam à palude, quàm muſculorum cauernis remotiore, in hoc iam ambæ acies inſtructæ procedebant. Atque ita illæ copiæ militares egregiæ, vtræque à Ciconia interficiebantur, ſuppetebatq; cibi plurimũ ciconiæ. Ranæ autem & mures falſis calumniarum nuntiis inter ſe commiſſi, & facti hoſtes, omníq; conſilio & ſpe ſalutis deſtituti, funditus, vt dicitur, ibi interimebantur atque conficiebantur.

Non eſt habenda hoſtibus fides, & cohercenda ira. Nunquam enim ira prouidet.

De Nauta qui Agriculturam vellet excercere.

QVENDAM vitæ nauticæ pertæſum cepit cupiditas colere agros & fruges conſerere. Atque nactus ille quidem aratrum, in penuria boum, tale quiddam excogitat. Pannos abiecti veli forte repertos expandit in pertica, & hanc defigit in aratro. Atque ita ſtiua præhenſa opem diuinam implorat, qua fortunetur labor operis. Iámque ventus ſecundus inflabat pannos, nihilo tamen magis procedebat aratio. Hoc grauiter ille moleſtéque ferre, quem

quem tam bona præclaraq; ſpes fruſtrata eſſet. Præteriens autẽ forte notus illi quidam, qui conſiliũ conatus illius intellexiſſet: Heus tu inquit, Bobus opus eſt, ſi progredi aratrum debeat. Quo pacto igitur, reſpondit hic, cùm nuper in velum nauis, non admodum vehemens incidiſſet ventus, prouecta illa fuit ſtrenuè, ſuumq; curſum confecit, quamuis mercibus in eam illatis onuſta? At enim, inquit alter, res ſimilis non eſt. Nam in mari ad nauigandum ventis opus eſt, in terra verò ad arandum bobus.

Fabula coarguit ſtultitiæ futiles & inanes abſurdasq; cogitationes.

Duo Erinacei fratres.

ERINACEVS quidam in terra relictis filiis duobus acerbo piro ſuffocatus deceſſerat. At filij orbi patre communiter habitare paternum ſpecum ſtatuerunt. Diuiſerunt tamen in illo tanquã bona paterna, quaſi ædes quaſdam, vt vnus incoleret partes vergentes ad ortum ſolis, alter ſpectantes occaſum, cùm ſpecus foramina haberet vtrinque veluti oſtia, & in medio ſeptum quoddam interpoſitum eſſet. Cùm aliquantiſper vitam hoc modo produxiſſent, alter ex his proſerpens longius atque confi

cõfidentius, neſcio quo caſu interiit. Quo cognito alter luctu ille quidem vt decuit, affectus fuit, ſeptũ tamen illud in ſpecu medium interiectum remouit ſtatim, tanquã dominus iam ſpecus totius. Cumq; aliquãdo acceſſiſſet vulpecula, lamẽtari hic & grauiter conqueri deplorando ſolitudinẽ ſuã, & ereptum fraternæ conſuetudinis vſum. Vulpecula autẽ conſolans ipſum: Bonum animũ habe, inquit, de cætero enim ſolus tu deinde frueris paternis bonis: Quamuis enim non poſſit non eſſe triſte tibi deſiderium fratris mortui, medebitur tamen certè malo paternarũ facultatum tutũ incrementum, præſertim cùm mortui in hanc vitam non reuocentur lacrymis. His auditis erinaceus, quid enim faceret aliud? vitam poſtea egit hilariorem & lætiorem.

Narratur fabula ſimulantibus luctum in morte cognatorum, vnde ipſis aliquid diuitiarum accedit.

Teſtamentum ambiguum.

QVIDAM ſcripſit in teſtamento ſuo hæc: Si quid mihi acciderit lego huic & iſti, hæc & iſta. Inq; his diſertè explicabatur tale quiddam: Equum meum Pannonicum meus hæres Publio donũ à me dato, aut venditi precium, quantocunque

ex ſententia hæredis mei venierit. Sit autem electio penes hæredem. Cùm ille deceſſiſſet, tabulis teſtamenti apertis, elegit hæres precij equi venditi perſolutionẽ. Atque fama ſparſa: Venire equum illum qui iampridem celebraretur vt admodum ſtrenuus & precioſus, acceſſere permulti viſẽdi cauſſa atque etiam emendi. Iuſſerat autem produci illum Dominus inſtructũ & exornatum tam ephippio quàm phaleris, cumq́; aliquis indicari preciũ poſtularet, dicebatur ei non vendi aliter equũ quàm inſtructum atque exornatum. Eſséque precium equi minam, inſtrumenti verò & ornatus talentum. Ac vendito equo tandem hoc modo, mina datur legatario. Ille autem non accipere, & dicere ſibi deberi vel equum vel equi precium quãto vendi poſſet. At hæres precium eum dixit habere quo veniiſſet arbitrio ſuo. Mansítque ita res dubia atque controuerſa, neque decidi ad hodiernum vſque diem potuiſſe perhibetur.

Referatur hoc ad nauiculam & vmbram aſini.

Fabula Ægyptiaca.

PROMETHEVS omnibus partibus corporis humani iam effictis, cùm vellet periculũ facere concordiæ inter homines

poſt

poſtquam lucem illi aſpexiſſent, priuſquã accommodaret ceruici caput, ſeorſim aliquot(nam in ea parte collocare placuerat vim rationis mentíſque & conſilij)in ſacculum coniecta capita permiſcuit, & delata in locum editiorem, ſacculo ibi laxato ſiuit delabi inde capita. Quæ diſperſa ſtatim hac illac decidentia ferebantur, aliud alio ruens. Atq; nonnulla in ſeſe mutuò illata allidebantur. Et ita tandem conflictata diſſipata fuerunt. Quæ cùm ad hũc modum acciderent, plane intelligendo perſpexit Prometheus, Quanta humanarum ſententiarum futura eſſet diſcrepantia, nimirũ numero æqualis hominum capitibus.

Fabula hoc dicit: Quot homines tot ſententiæ.

Alia.

FABVLAM narrare vobis velim ſi ad audiendum otium ſuppetat. Suppetit autem, vt opinor, fabularum amatoribus otium ſemper ad audiendum aliquid narrationis concinnæ & elegantioris. Quemadmodum deſidibus ſemper eſſe ferias aiunt. Epimetheum fratrem minorem fuiſſe Promethei, iamdudum ſcilicet auditum aut lectum apud Poëtam qui hoc tradidit nouiſtis. Prometheum autem hoc

munus à Ioue mandatum habuiſſe acce-
pimus, vt fictor eſſet hominum. De quo
in præſentia dicere plura non eſt propoſi-
tum. Prometheum ſane miſcuiſſe terram
aqua & de illo luto conformaſſe homines
aiunt, opus hoc elaborantem in quodam
ſubterraneo loco, vt fatali tēpore ſuo pro-
ferret in lucē fabrefactos & exornatos, &
viribus facultatibúſque propriis inſtru-
ctos ſingulos. At Epimetheus, qui neque
prudentia magnopere præditus, & futi-
lis atq; curioſus eſſet, in illum officinæ lo-
cum aliquando ſubiit, aliis rebus fratre oc
cupato & abſente. Conſpectáque materia
effectionis hominū, & cognitis figuris ac
deſignationibus generis humani, deſide-
rio afficitur imitandi à fratre expreſſa ope
ra, quorum ibi aliqua iacerent ſemiperfe-
cta. Aſſilit igitur, & antequam frater reuer
tens ab iſto cum ſtudio repelleret & eiice
ret officina, feſtinans imagines humanæ
formæ elaborare, & relinquere etiam ſui
aliquod monumentum: ita ſane non pau-
ca quædam ſimulacra informando abſol-
uit cum magna incitatione & celeritate.
Et cōſtitutis his inter opera fratris ita diſ-
ceſſit, in opinione rem eſſe præclarè & feli
citer geſtam. Poſt hæc cùm tempus adue-
niſſet quo prodire homines oportebat,
Prome

Prometheus,quemadmodũ dicitur,accepto ſpiritu à Ioue vitali, & ſenſus rationis q; participe, animã indidit in conformata ſimulacra vniuerſa, tanquam ſuum opus, nõ ſecretis iis quæ frater ſuppoſuerat,quã quam intuens & nonnihil addubitans. Atque ita procreati fuere ſecundum hanc fabulam homines, Promethei quidem filij, ingenioſi & prudentes & ſolertes,& ſagaces, Epimethei verò liberi pro patris natura,fatui aliquantulum, & imprudentes & dementes, & futiles, atque inertes & incauti. Quorum amborum ſoboles in poſteritate remanſit,& nunc quoque reliqua eſt,vtrique ſimilès originis ſuæ,parenti & effectori.

Fabula indicat diuerſas eſſe naturas hominum & pariter diſsimilia ſtudia & diſcrepantes mores.

Alia.

OSIRIS priſci fuit, ſecundum hiſtoriam Ægyptiorum,Ori filius, habuítque fratrem Typhonem. Vt autem beneficus fuit Oſiris & inuentor multarum commoditatum ad vitam humanam faciliùs atque feliciùs degendam:Sic Typhon ille nocendi, lædendíque alios viribus ac volũtate præditus fuiſſe perhibetur. Cùm autem intelligeret cõciliari beneficiis ho

minum ſtudia maximè, cogitauit aliquan do quo pacto & ipſe inuētum aliquod vtile humanę vitæ conferre poſſet, ſimul ipſe beneuolentiæ aliquid vt colligeret, ſimul vt gloriā detractam fratri ſibi applicaret. Quodq́; cerneret Oſiridem eſſe inuento aratro laudem conſecutum, quòd ita arua redderentur fertiliora, immiſit ipſe in illa magnam ſuum multitudinem, à quibus ſolum euerteretur, minore & negotio & impendio. At hi ſine diſcrimine, quippe ſues, tam culta quàm inculta atque conſita, effodientes, non plus proderant quàm nocebant culturę. Rurſum videns fratrem celebrari ínque honore eſſe ob demonſtratum vſum vini, ipſe quoq; potum quendā docuit cōficere hordeo cocto. Cuius cùm nulla videretur eſſe ad vini ſuauitatem cō paratio, celeriter ille ab hominibus contemptus fuit, potum iſtū Zythum & Bryū appellantibus. Typhon autem fruſtrationem opinionis ſuæ contumeliam interpretatus, magis ad mala facinora incitatus, primum fratrem interfecit, deinde crudelitatem exercuit in omnes, & calamitate compleuit terram.

Fabula oſtendit improborum actiones imitationes eſſe peruerſas, & ſi illæ non procedant, fieri hos acerbiores & deteriores & immaniores.

NARRA

NARRATIONES
Fabularum Aliarum.

FABVLAE *Aegyptiacæ nonnihil videntur ab ipſo genere Æſopicarum recedere: atque hæ aliquid innuunt ambagibus verborum occultatum & tectum, vel de rerum natura, vel de dijs, vel de moribus & prudentia vitæ communis. Hanc quandam philoſophandi rationẽ in illa gente viguiſſe multis argumentis indicatur, quæ fuit Græcis quidẽ admirabilis viſa: & tamẽ nõ multi Aegyptij ſapientiæ fama celebres, pauciq; Græcorum doctrina illa magis eruditi atq; perculti, quàm deprauati fuere: vnde vt exiſtimo, & à tali conſideratione prouerbium natum:* οὐ πολλοὺς αἴγυπτος, ἐπὰν δὲ τέκῃ μέγα τίκτει. *Nam talis eſt ratio hæc, vt vulgo & imperitæ multitudini nequaquam conueniat, ſed excellentibus duntaxat ingenio viris, & ſingulari natura præditis, qui & eximij quidam, & perpauci quidem ſunt: reliqui vel animis ferociores, de iſtiuſmodi mirabilibus ſermonibus contemptum hauriunt Dei atque hominum, vel imbecilliores, ſuperſtitionibus implicantur, id quod quibuſdam neq; ſtultis neq; indoctis viris ſtudioſis*

philoſophiæ Platonicæ vſu venit. Hoc autem fabularum genus quale ſit, optimè poterit intelligi exemplo & comparatione veterum fabularum nationis & gentis Teutonicæ, quas pleraſq; iam obliuio obruit. Nam & in illis expoſitionem ad abhorrentem quendam modum deflexam, & repugnantem ſenſibus, vſurpari ſolitam fuiſſe ſcimus, atque meminimus narrationum portentoſarum, quibus vulgi & puerorum mentes, terrore, formidine, ſpe, lætitia, opinionibus aptis quieti, denique religione quadam imbuerentur: Vnde ſuperſtitione poſtea nocente & intolerabili, cùm hæc minus ſcite & grauiter tractarentur, omnia compleri cœpta. ſed de his hactenus.

Reliquæ narrationes, inq; primis poëticæ, ſunt & ipſæ pleræque eiuſmodi, vt mirificæ res atque incredibilia facta, aliquam intelligentiam vtilem & bonam complectantur: quæ interdum eſt manifeſtior, interdum obſcurior, vel hiſtoricæ veritatis, vel cauſſarum naturalium, vel inſtructionis ad prudentiam, virtutem, decus. Apud Platonem quidem in Phædro, Socrates, in his exquirendis qui verſari velit, eum peracrem & minus felicem videri ait. nam affluere quandam turbam monſtrorum, vt Hippocentauros, Chimeras, Gorgonas, Pegaſos, quibus explicandis agreſtem philoſophiam ille philoſophari cogatur: additq; ſe minimè talibus

libus ſubtilitatibus vacare poſſe, quòd in ſui etiam tunc cognitione laboraret. Qua quidem oratione reprahendi ab hoc perſpicuum eſt, nimium quorundam ſtudium, qui nihil apud Poëtas relinquere vellent, ſed omnia conformarent ad ſenſum quendam veritatis: quod neque rectè neque vtiliter, neque ſine maximo negotio fieri poßit. Quidam enim Poëtarum fabulas ita tractarunt, vt diuina humanaq; omnia de his exculperent, in ſyllabis etiam atque interdum literis quaſi arcana quædam ſacra & myſteria conſtituentes: qui certè ridiculi videntur. Nam, vt exempli cauſſa vnum commemorem, quis non leue ducat? id quod neſcio cui grauißimum & diuinum viſum, apud Homerum:

ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων,
ῥεῖ᾽ ἔγνων ἀπίοντος,

de Neptuno dictum: non eſſe, facilè cognitum Neptunũ digredientem, ſed cognitum, digredientem ῥεῖα, *quod ſignificat* ῥέοντα ἐν τῇ πορείᾳ, *quia non incedant dij humano quodam more promouentes pedes, ſed impetu aërio & vi expedita magis auras findant, quàm tranſeant. Talia igitur relinquemus, & quæ in promptu ſunt, quæq; ab illis offeruntur nobis ad intelligendum, ea libenter amplectemur, & conuertemus tanquam callidi mercatores ad noſtros vſus.*

Narratio Platonica ex Dialogo qui inſcribitur Πρωταγόρας ἢ σοφισαί.

*

FVit tempus cùm dij quidem eſſent, ſed mortale genus nullum adhuc extaret. Quorum cùm tandem fatale tempus aduenißet, fingunt animalia dij infra terram, terra cōmiſta cum igne aliisq; quę terræ & ignis temperationem recipiunt: cumq; producturi hęc in lucē eſſent, Promethea iubent & Epimethea exornare illa, & aptas quibuſque virtutes attribuere. Tum Prometheum exorat Epimetheus, hoc ſe vt exequi patiatur: ipſe autē conſideret & inſpiciat opus. Itaq; Epimetheus ad rem aggreditur, diuiditq; virtutes inter animantes ſic: quibuſdam robur celeritate deficiens vt tribueret, aliis autē imbecillioribus celeritatem ſuppeditaret. Quædam quaſi armis inſtruxit, aliorum nuditatem ratione incolumem præſtitit: parua enim quæ erāt, ea volucria aut ſubterranea faciebat: quæ autem grandia, ea mole ſua videbantur defendi. Et ad hunc modum pariter diuidebat ſingulis ſingula: atque hæc ita diſpenſabat, quòd vereretur,

retur, ne quod forte genus peſſundaretur. Poſteaquam verò hoc præſtiterat, ne ipſa mutuis exitiis conſumerentur, contra cœleſtes tempeſtates etiã protegere ſtuduit, partim pilis denſis, partim cute dura muniens, quæ & hiemem perferre, & ſuſtinere æſtus poſſent, & ſtratorum eſſent inſtar, conuenientia quibuſque & propria illorum, ſi quando recubare vellent. Præterea pedibus aliorum vngulas, aliorum pilos, aliorum durã & exanguem cutem ſubdidit. Poſt hæc aliis alia nutrimenta parauit: quibuſdam herbas è terra naſcentes, quibuſdam arborum fructus, nonnullis radices, neque non aliquibus eſcas eſſe diuerſas animantes voluit. Tũ deinde quædam gignere paucos fœtus, alia verò quæ ab his conficerentur perfœcunda fecit. Inter hæc Epimetheus, qui non admodum ſapiens eſſet, non animaduertit, omnes ſe virtutes diſtribuẽdo animantibus expertibus rationis cõſumpſiſſe: relinquebatur igitur genus humanũ inornatum: cumq; dubius animi, quid faceret cogitaret, aduenit Prometheus inſpecturus diuiſionem illius, videtq; animãtes cunctas præclarè omnibus rebus conuenientibus inſtructas eſſe, ſolumq; humanum genus oberrare nudum, calceamentiſq; & ſtra-

gulis carens, & inerme:ac aderat iã fatalis dies,quo in lucem etiam hominẽ prodire oportebat. Anxiè igitur quærens Prometheus, quid ad ſalutẽ cõſeruãdam homini conferret,tandẽ ſuffuratur artificioſam ſapientiã Vulcani & Mineruę vna cum igne (nam ſine hoc neque teneri illa,neq; prodeſſe potuiſſet) illamq; homini largitur: ac hominis quidem hæc fuit conſtitutio, quòd ad ſapientiam vitæ attineret. Deerat autem ſcientia ciuilis, quæ penes Iouèm erat,cuius in arcem atque domicilium acceſſio Prometheo non eſſet, terrebatur etiam Iouis cuſtodia:itaque in Vulcani ac Mineruæ officinam communem, vbi artificiis operam dabant illa duo numina, clanculum irrepit, ſubtractúmque tam Vulcani quàm Mineruæ ignitum artificium, attribuit homini, atque hoc pacto victus abundans contigit hominibus. Promethea autem, vt fertur, poſtea furti Epimetheus poſtulauit. Sed homo particeps diuinitatis factus, primùm quidem de cognatione deorum ſolus animantum omniũ deos eſſe cenſuit, aggreſſusq; fuit cùm aras extruere,tum ſimulacra ſtatuere illorum, poſtea vocem & nomina rerum celeriter arte ſua perfecit atque diſtinxit: tum domicilia, veſtes,calceamenta, ſtrata,

ta,

ta, & cibum, quem terra ederet, ſibi parauit atque reperit. In hoc primo ſtatu homines degebant promiſcuè & ſparſim, nam oppida nondum erant: interimebantur ergo à feris, quippe qui illis vndiq; eſſent infirmiores. ac opificiorum artes alimoniæ quidem illę parandæ ſufficiebant, ſed contra vim ferarum non ſufficiebant: non enim aderat ſciētia adhuc ciuilis, cui belligerandi ſcientia ſubiicitur. Homines tamen congregationibus & ſaluti ſuę ſtudebant, & oppida condebant. at ipſi in ſuis quoque cœtibus ſeſe mutuò iniuriis afficere: deficiebantur enim ſcientia ciuili, & ita rurſum diſpergi atq; interire. Ibi Iuppiter metuens generi noſtro, ne penitus exſtingueretur, mittit in terras Mercuriū, qui adduceret Verecūdiam & Iuſtitiā, quibus ſimul & ornarentur & continerētur ciuitates, in amicitiæ coniunctione. Petiit autem Mercurius doceri ſe, quonam pacto cōferre deberet illas hominibus: Vtrū'ne, inquit, ita diuidere me oportebit, vt artificia diuiſa ſunt: ſic autem illa ſunt diuiſa, nempe vt vnus qui medicinam ſortitus eſt, multis aliis huius imperitis vſui eſſe ſoleat, ſimiliter & aliarū artium opifices. ergo Iuſtitiam atque Verecundiam itáne hominibus tradi vis, an proponi vniuerſis?

ſis? Vniuerſis, inquit Iuppiter, proponi & & copiam fieri harum volo. Non enim ſtare ciuitates poſſent, ſi his pauci potirētur, vt fit de aliis artibus: quinetiam hanc à me illis legem feres, vti quicunque à iuſtitia & verecundia alienus repertus fuerit, is tanquam peſtis ciuitatis ſuæ interficiatur.

Ex Sympoſio Platonis.

Amorũ origo.

In lucem edita Venere, ad conuiuium vocati epulabãtur cùm alij dij, tum intelligentiæ, quæ græcè μῆτις vocatur, filius πόρος, quem Prouētum poſſumus vt opinor, interpretari. Cœna peracta, ſuperuenit Egeſtas vt mendica ad conuiuiũ, & ad fores conſtitit. Prouentus forte in conuiuio, vt nectare ſeſe ingurgitauerat (nondum enim erat vinum repertum) ebrius ſeceſſit in hortos Iouis, atq; ibi oppreſſus fuit ſomno. Egeſtas autē viſo inſidias ſtruxit, cupida propter inopiam ſuã, cõcipiendæ de ipſo ſobolis, accumbitq; prope illum, & impletur Amore. Eamq; ob cauſſam pediſequus Amor & famulus Veneris exſtitit, quippe qui natali eius feſtiuitate ſatus eſſet, quiq; eſſet pulcritudinis maximus amator, neq; quicquam reperiretur

Venere

Venere pulcrius. Amoris igitur, qui haberet parentes Prouentũ & Egeſtatẽ, hæc eſſe fortuna cœpit, primùm vt egeret perpetuò, tantũ enim abeſt vt ſit tenellus atq; bellus, quemadmodum multi rentur, vt etiã in aſperitate & ſqualore nudis obambulet pedibus, & domo careat, & ſemper humi cubet abſque ſtragulis, ſub cœlo aperto, ante fores & in viis iacens, matris nimirum referẽs naturam, in perpetua indigentia viuens. Contra à patre hoc habet, bonis ſemper formoſiſq; vt inſidietur, fortis, audax, attẽtus, venator mirificus, nunquam non aliquid fraudis nectens, prudentiæ appetens & acquiſitor, totam vitã in ſapientię ſtudio degens, mirificus præſtigiarum artifex & veneficus atque ſophiſta. Quem neq; mortalis neq; diuini generis dicere poſſis: quippe qui modò in copia ſcilicet, vno eodemq; die vigeat atq; floreat, modò intercidat & moriatur, idemq; de paterna natura mox reuiuiſcat. Huic parta ſtatim effluunt, vt neque diues, neq; pauper Amor eſſe videatur, itidemq; in medio ſapiẽtiæ & dementiæ verſatur. Nam res ſeſe habet ad hunc modum, nemo deorũ immortalium ſtudioſus eſt ſapientiæ, neque cupit euadere in ſapientẽ, ideo quia iã eſt ſapiens. Etiam alius

alius quiſquis ſapiens eſt, is ſtudio ſapientiæ minime tenetur: ſtolidi verò ne ipſi quidem ſapientiæ ſtudioſi ſunt, neque cupiunt euadere in ſapiẽtes. Nam hoc eſt in ſtultitia deterrimũ, quod ab honeſtate & virtute ac prudentia alieni, his omnibus præſtare ſeſe opinantur. Qui verò nihil ſibi deeſſe putat, is nimirũ id quod ſibi requirendum nõ putat, ne expetit quidem. Qui ſunt igitur, ſi neque ſapientes neque ſtolidi, ſapiẽtiæ ſtudioſi? Hoc iam vel puero appareat, quòd medij inter hos quidã, de quorũ numero & Amor. Eſt enim res vna de pulcerrimis ſapientia: at Amor, pulcritudinis Amor eſt, ideo neceſſariò ſequitur eſſe Amorem ſtudioſum ſapientiæ, quem φιλόσοφον appellamus. Cùm autem ſtudioſus ſit ſapientiæ Amor, medius erit quidam inter ſapientem & ſtolidum. Horum verò cauſſa eſt procreatio illius, cùm habeat patrem ſapientem & copioſum: matrẽ verò neque ſapientem & inopem. Atque hæc natura eſt iſtius diui. Quem autem plęrique Amorem eſſe ſentiunt, & laudant vt potens numen, & inter pulcra atque bona numerant, communi quodam errore, id quod amatur, non quod amat, Amorem eſſe credunt, ideoq; perpulcer ille videtur. nam amabile profectò,

ſectò, quod eſt, idem reuera eſt pulcrum & tenerum, & abſolutũ ac beatum: ſed eius quod amat eſt alia quædam hæc, quam oratio expreſſit, forma.

Ex Phædro ſcripturæ incommoda.

AVDIVI circum Naucratim Ægyptiacam olim priſcum quendam indigetem deum, cui & auem conſecrarũt eam, quæ Ibis nominatur: & huic nomen fuiſſe Theuto: eumq; primũ omnium reperiſſe numeros & rationes, nec non Geometriam & Aſtronomiam, præterea cùm ſcrupoum & teſſerarum ludum, tum etiam litteras. Ea tẽpeſtate imperio totius Ægypti rex præerat Thamus nomine. ad hunc in magnã vrbẽ ſuperioris regionis (Græci Ægyptias Thebas, & loci numen Ammonem vocãt) venit Theutus, & inuenta artium illi demõſtrauit, cenſuitq; etiam inter alios Ægyptios diſtribui oportere. At rex ſciſcitari, quid in vnaquaque vtilitatis ineſſet: eiuſque in expoſitione pro eo ac quidq; vere ab illo aut falſo commendari iudicaſſet, repræhendere aut collaudare. Ac multa quidem vtranq; in partẽ de ſingulis artibus Theuto probaſſe Thamum ferunt:

ferũt:quæ ſi exequi vellem,lõga oratione opus eſſet. Poſtquam verò ad litteras peruentũ: Hæc ſanè,inquit Theutus, doctrina,ô rex, Ægyptios reddet ſapiẽtiores, & augebit memoriam illorum: remedium enim hoc ſapientiæ & memoriæ, inuenimus. Tum rex: ô inſtructiſſime artibus, Theute,inquit,alius valet in gignẽdis artibus,alius in diiudicãdo quid in illis prodeſſe noceréue poſſit vtẽtibus. Ac tu quidem litterarum parens,fauore illarũ contraria cõmemoraſti effectioni: hæc enim doctrina debilitãs meditationes,obliuionem inducet in animos diſcentium, cùm non ipſi intra ſe ſibi autores iam erũt memoriæ, ſed de externa ſcriptura & alienis figuris recordabũtur. Quare nõ memoriꝗ ſed reminiſcẽtiæ remediũ inueniſti:ac diſcipulis tuis,non veritatẽ ſapiẽtiæ,ſed opinionẽ ſuppeditas. Illi enim multa audiẽtes quæ nemo explicet, perſuaſione induẽtur multiplicis intelligentiæ, cùm maxima pars intelligentia deficiatur:itaq; illorum cõmercia vix ferenda,& ipſi ſapientes ſibi videbuntur,non erunt.

EX GORGIA.

Cohortatio ad iuſtitiam & pietatem colendam in hac vita.

IVPPITER,Neptunus,Orcus,vt Homerus

merus ait, acceptum à parente regnum diuiſere. Imperante autem Saturno ſancitum legibus fuit, quemadmodum nunc quoque eſt ſempiterna deorum obſeruatio, vt quicunq; homines in hac vita iuſtitiam & pietatẽ coluiſſent, ij poſt mortem deducti in beatorum inſulas extra mala in omni felicitate degerent: iniuſtos autem & impios, deferri placuit in vltionis & ſupplicij carcerem, quem Tartarum vocant. Hæc à viuis iudicibus ſub Saturno & inter exordia imperij Iouis, de viuentibus conſtituebantur, illo ipſo die quem quiſq; obiturus erat extremum: ita fiebat, vt iudicia fierent perperam. Ibi Orcus, & alij, quorum illæ curationes eſſent, de inſulis beatorum accedunt Iouem, & indicant ei demitti vtroque eos, quos non oporteat. Tum Iuppiter: ego, inquit, prouidebo ne poſthac accidat. Nunc enim perperam iudicia fiunt, quod de palliatis cognoſcatur, nam de viuis cognoſcitur. Itaq; multi prauis animis præditi, corporibus elegantibus & generibus & opibus amiciuntur, & ad iudicium adducunt teſtes plurimos iuſtitiæ in vita ſuæ. At iudices his percelluntur, atque etiam ipſi cum amictu iudicant, animusq́, oculis, auribus, denique corpore toto obuolutus eſt. Hæc igitur

omnia illis opponuntur, cùm ſua inquam, tum reorum veſtimenta. Primùm igitur remouenda eſt mortis præſenſio, nã nunc finis illis vitæ notus eſt: atque id ipſum in mandatis iam habet Prometheus, vt de hominibus remoueat. Deinde iudicabuntur nudati iſtis quæ diximus vniuerſis, nã mortui iudicabuntur. Similiter & iudex erit nudus, nempe mortuus, qui mox demortui vniuſcuiuſq; ipſam animam, anima ipſa contempletur, neq; neceſſarij aderunt vlli, & relinquetur in terra ornatus omnis, vt iudicium iuſtum fiat. Atque hæc à me prius conſiderata fuere, quàm à vobis, ideoq; ad filios meos, duos Aſiaticos Minoëm & Rhadamanthum: vnum Europæum, Æacum, iudicia tranſtuli. Hi igitur de mortuis cognoſcent in triuio prati, viæ vbi concurrunt duæ, quarum vna in beatorum inſulas, altera in tartarum ducit. Cognoſcet autem Rhadamanthus de Aſiaticis, de Europæis Æacus, at Minoïs honorarium erit arbitrium, vt exequatur deciſione ſua ea, quæ alterutrum illorum fugerint, ne erretur in ſententia de itinere, quod quemque facere par fuerit: nudata enim anima corpore præ ſe feret manifeſtam naturam ſuam, & morbos, quos de ſtudiis quarumcumque rerum contraxerit.

rit. Poſtquam igitur ventum erit ad iudices, Aſiatici ſtatim ad Rhadamãthum deducentur, quos ille ante ſe conſtituens, ſingulorũ animas contuebitur, ignarus cuius eæ fuerint in vita. Itaque ſæpenumero appræhenſo Perſarum, alióue rege, aut principe, animaduertet totam eſſe vitioſam animam, loriſq; conſciſſam & refertam cicatricibus, periurij & iniuſtitię, de vniuſcuiuſque illi actionibus impreſſis: tum diſtorta in illa plæraque mendaciis & vanitate, neq; rectum quicquam propter educationis peruerſitatem & falſitatem, aſpiciet, & omnia plena deformitate & turpitudine, concepta de licentia deliciis, petulantiaq; & intemperantia. Hæc conſpicatus, miſeram illam animam in cuſtodiam tradet deducendam cum ignominia, quæ meritas pœnas illic ſufferat. atq; ſanabilibus quidem morbis, quaſi medicina ſuppliciorũ præfinietur: inſanabilibus autem nihil proderunt quidem ſupplicia, ſed exempla tamen illa ſtatuentur cùm ad ſpectaculum, tum inſtructionẽ omnium, qui ad inferos peruenerint. Imprimet autem quibuſq; ſignum iudex, de quo ſciri poſſit vtrum malũ medicabile, an ſecus eſſe iudicauerit. atq; hoc erit iudiciũ malorum. Sed adducentur ſcilicet interdum animæ

quoque hominum, qui vitam cum pietate & veritate traduxerint, cùm priuatorum, tum aliorum, ſed plurimę ſtudioſorum ſapientiæ, alieni qui fuerint in vita à leuitate & cura rerum alienarum, harum iudex conſpectu lætus, abire illas iubebit in inſulas beatorum. Eandem rationem iudiciorum ſequitur & Æacus. Cæterum vterque præſidebit cum virga. At Minos reſidebit inſpector iudicationum, cum ſceptro aureo, quemadmodum ſe illum vidiſſe dicit apud Homerum Vlyſſes, ſceptrum aureum geſtantem & adminiſtratorem iuris apud mortuos.

Ex Plutarcho fabula Iſidis & Oſiridis.

Ad Aſtronomica & μετέωρα.

RHEA occultè cum Saturno commiſceri ſolebat: hoc comperto Sol diris illam execrationibus proſequitur, vt neque annus neque menſis, quod ex ipſa natum eſſet, aſpicere vellet. Conſueuerat autem cum dea hoc amore captus & Mercurius. Hic ſcrupis quodam die ludens cum Luna, furtim aufert de ſingulis lucibus illius portionem ſeptuageſimã, de quibus confectæ dies quinque acceſſere trecentis &

ſexagin

ſexaginta anni diebus, quas nunc etiam ἐπαγομένας, id eſt, intercalares, Ægyptij appellant, atq; iiſdem natales deorum celebrant. Prima quidem die natus fuit Oſiris, & ſimul exaudita vox, prodiiſſe in lucem, vniuerſarum rerum dominum. tum Pamyle quædam aquam hauriens Thebis ex fano Iouis, vocem audiuit iubentem, cum clamore illã annuntiare, natum eſſe magnum regem & beneficum Oſirin: ob hæc illa accepiſſe fertur à Saturno enutriendum Oſirin, atque huius eſſe feſtum diem Pamylia, non abſimilem feſto, cui nomen in Græcia fuit φαλληφόρια. Secunda die, peperit Rhea Aruerin, qui & Apollo, & à quibuſdam Orus maior nominatur. Tertia naſcitur Typhon, non ſuo tempore, neq; conſueto partu, ſed vi percuſſo latere erumpẽs. Quarta edita fuit in lucem Iſis, cum Rhea veniſſet in locum cui nomẽ πανύγροις. Quinta die eniſa fuit Nephthen, quæ appellatur Mors, à quibuſdam Venus, ſed & Iuſtitia. Pater erat Oſiridis & Arueridos Sol, Iſidis Mercurius, Saturnus Typhonis & Nephthes. eam ob rem atrum & nefaſtum tertium intercalarem ducunt, neque reges illo die ius dicunt, neq; corpora curant ante noctem. Typhoni nupſit Nephthe. at Oſiris

& Iſis amore & conſuetudine implicati clanculum fuere priuſquam gignerentur, deq; his ita procreatum Aruerim & maiorem dictum Orum fuiſſe, aliqui perhibent, eum qui ſit Græcis Apollo. Cùm regno Ægypti potitus eſſet Oſiris, ſtatim à feritate & miſeria vitę abduxit Ægyptios, cùm & vſum illis frugum demonſtraſſet, & leges ſanxiſſet, cultúmque tradidiſſet deorum immortalium. Qui poſtea eadem beneficia per totum orbem terrarum diſtribuit, & omnia loca obiens manſuetudinem & humanitatem introduxit in vitam: nequaquam vi bellica & armis, ſed eloquentia atque ſuauitate orationis, & carminibus atq; Muſica plæroſq; demulcens: quam ob rem hunc Liberum eſſe Græci arbitrantur. Cùm abeſſet Oſiris, Typhon diligente cuſtodia & attentione Iſidos pudiciſſimæ fœminæ, impeditus, nihil poterat moliri nouarum rerum: quare adoriri ſtatuit dolo reuerſum. Aſſumit igitur coniuratos ſeptuaginta duos, & ad illius facinoris ſocietatem aſciſcit reginam Æthiopiæ, Aſo nomine: & ſecundum magnitudinem Oſiridis, quam occultè emenſus fuerat, apparari arcam magnoq; artificio & exquiſito opere elaborari iubet, camq; in conuiuium quodam die,

die, cui Oſiris quoq; intereſſet, inferri imperat. Cùm omnes hanc ſpectarent & admirarentur, deq; aſpectu magnam caperent voluptatem, tum hilari vultu Typhonem ferunt policitum ſe arcam ei dono daturum, ad cuius corpus illa quadrare reperiretur. Cùm ſingilatim experirentur omnes, neq; cum vllius corpore arca congrueret, tandem imponitur & Oſiris: ibi celeriter accurrere coniurati, & operculum iniicere, atque alias partes clauis affigentes, aliis liquefactum plumbum effundẽtes, in fluuium arcam vnà cum Oſiride proiecere, quæ delata mox fuit per oſtium Tanaiticum in mare: Eaq; cauſſa putatur, cur nunc etiam deteſtabile & infandum habeatur oſtium illud ab Ægyptiis. Hæc geſta fuere XVI. Calendas Nouembris, id eſt, die XVII. Octobris, qui menſis Ægyptiaca lingua Athyr nominatur, cùm Sol Scorpij ſignum peragrat, Imperij Oſiridis anno XXVIII. etſi hoc ſpatium fuiſſe vitæ illius non regni, fuerunt qui aſſererent. Incolebant tũ loca circa Chemmin, Panes & Satyri, qui illum caſum cùm primi reſciuiſſent, & rem diuulgaſſent ſermonibus ſuis, prouerbio cauſſam dediſſe creduntur, vt nunc quoque ſubiti tumultus & motus terribiles, Panici di-

cantur. Iſis quid factum eſſet, cùm cognouiſſet, detondit eo in loco partem comæ, & veſtem lugubrem induit, vnde nomen remanſit vrbi Copto, vel à planctu, vel (vt aliis videtur) ab ereptione: id enim verbo ſignificari aiunt. Cùm autem ignara quò ſe verteret, per omnia loca oberrans, neminem prætermitteret, ne pueros quidem, quin compellaret & percontaretur de arca: incidit in pueros, qui viderant arcam, atque hi oſtium indicarunt Iſidi, ad quod demerſa illa fuerat ab amicis Typhonis. Hinc in pueris vaticinandi quandam vim ineſſe Ægyptij exiſtimant, deq; horum vocibus imprimis omina capere ſolent, ludentium in templis & fortuito aliquid effantium. Cùm verò Iſis concubuiſſe cum ſorore ſua Oſiridem, amoris violentia impulſum, quam quidem putaret Iſidem eſſe, idq; Melilotini ſerti indicio, quem apud Nephthen reliquerat Oſiris, depræhendiſſet: puerũ ex Nephtha ſuſceptum quærit, & ægrè, canibus prodentibus, repertum, curat nutriendum. Hic poſtea ſatelles & miniſter fuit Iſidis, vocatus Anubis: qui diceretur deorum eſſe cuſtos, non aliter quàm canes hominum. Ex eo reſciuit arcam fuiſſe tempeſtatibus in littus Bybliorum eiectam, &

placidè

placidè appulſam ad Ericam: at Erica paruo tempore frondes extulit pulcerrimas & proceriſſimas, & illis circumfuſam arcam obtexerat. Huius, terræ illius rex admiratus magnitudinē, recidi iuſſit ſinum, in quo arca latitans includebatur, & ſuppoſuit tecto domus ſuæ tamquam columnam. Cùm hoc de quodã diuino ſpiritu famæ cognouiſſet Iſis, in Bybliorum regionem venit, & ſe cum lacrymis abiecit ad fontē, cum nemine colloquens, præter famulas reginæ, quas & blandè ſalutare, & quarũ crines ornare conſueuiſſet, aſpirato ſuauiſſimo Ambroſiæ odore, de quo totum corpus illarum fragraret. Ita accerſitam in regiam & familiariter habitam accepimus, cùm puer regius quoque ipſi tanquam nutrici committeretur. Regi nomen fuiſſe traditur Malcandro, ipſam verò ſeſe vel Aſtartem vel Saoſin vel Nemanum vocaſſe, id quod græcè Athenais, latinè Mineralis ſonat. Aluiſſe puerũ memorant non papilla in os, ſed digito inſerto. Noctu autem ſolitam amburere mortalia corporis ipſius: & deinde conuerſam in hirundinem, circumq; columnam volitantem lugubrem cantum edere, donec regina obſeruans illam exclamarit, cùm vri puerum cerneret, & ademerit illa

quidem immortalitatem puero: ſed ex eo diuinitas Iſidis patefacta fuerit. Petiit igitur à rege columnam domus: eaq; impetrata, leui momento Ericam diripit, quam faſciis obuolutam & vnguentis delibutam tradidit regibus, ac nunc quoq; apud Byblios lignum Ericæ colitur repoſitum in templo Iſidis. Tum arcæ in qua conderetur corpus fratris circumfuſa tãtos eiulatus edidit, vt clamore minor natu filiorum regiorum necaretur, ipſa maiorem natu vna cum arca in nauem impoſuit & auecta fuit. Erat fluuius per quem nauis ferebatur Phædrus nomine: is matutinam auram emiſerat aſperiorem, eam ob rem illa indignata ſiccauit execratione alueum fluuij. Cùm autem ſolitudinem nacta primum fuiſſet, arcam illa aperit, & os ori imprimit, complectitúrque corpus fraternum lacrymans. Hoc puer, vt à tergo tacitè acceſſerat conſpicatur: ad quem illa irata ita terribilem aſpectum conuertit, vt ferre puer non poſſet ac exanimaretur præ formidine. Alij territum, vt diximus, non mortuum, ſed in mare ſaltu delatum fuiſſe tradidere, & honores conſecutum deę nomine: nam hunc eſſe Manerota, quem inter epulas Ægyptij cantu celebrare ſoleant. Nec deſunt, qui nomen

pu ero

puero Palæſtino vel Peluſio, & huic cognominem vrbem à dea conditam fuiſſe ſcripſerint: at Manerota, qui in carminibus Ægyptiorum memoretur, Muſicam inueniſſe. Quod ne ipſum quidẽ aliis placet, ſed eſſe vocem hanc propriam & conuenientẽ conuiuiis & compotationibus, qua illa lingua ſignificetur votum quoddam præſentis felicitatis, vt hoc dicatur, quod græcè ſic efferretur, *αἴσιμα τὰ τοιαῦτα παρείη*. hoc enim Maneros ſonat, & Ægyptij acclamationibus ſuis repetere conſueuere: quo ſcilicet & illud ſimulacrum mortui hominis referendum eſt, quod in conuiuiis illorũ circumfertur. Non enim, vt quidam rentur, in memoriam hoc fit Oſiridis & caſus illius: ſed ideo, vt quiſque ſeſe cohortetur ad vtendum fruendumq; præſentibus bonis, cùm cogitet mox ſibi quoq; moriendum, & imaginem induendam illius ſimulacri. hæc eſt cauſſa cur inter comeſſandum inferri ipſum inſtituerint. Sed ad Iſidem reuertamur, quæ profecta in vrbem Butun ad filiũ Orum (ibi enim ille educebatur) arcam ſecreto in loco repoſuit. In hanc Typhon noctu venationibus operam dans incidit, apparentem de Luna: qui agnito Oſiridis corpore, in quatuordecim illud diſſecat fruſta, & paſſim

& paſſim diſiicit. Hoc facinus cùm Iſidi indicatum fuiſſet, conſcendit papyrinam ratem, & paludes peruagatur, conquirens diſſipata membra Oſiridis. Ex hoc Croco dilos negant lædere eos, qui papyrinis ratibus vehãtur, ſiue illi reformidãt has ſeu venerantur, diuæ reſpectu: hinc etiam acci dit, vt plurima ſepulcra viſantur in Ægypto Oſiridis, quòd Iſis vniuſcuiuſq; fruſti proprium ſepulcrũ excitauerit. Id alij inde eueniſſe perhibent: Quia Iſis multa ſimulacra effinxerit, & pluribus ciuitatibus diſtribuerit, vt quęque accipere ſe cor pus Oſiridis crederet, itaq; ille à pluribus coleretur, & verum ſepulcrum ab iniuria Typhonis tutum eſſe poſſet, ſi forte ille Orum viciſſet, & Oſiridis ſepulcrum viola re vellet: deſperaturum enim in tanta mul titudine illud poſſe inueniri. De omnibus autem ſola pudenda Oſiridis Iſidem reperire potuiſſe negant, quòd proiecta fuiſſẽt in fluuium: & arroſa à Lepidoto & Phagro & Oxyryncho, ideoq; ab his piſcibus religioſiſſimè abſtinẽt. Tum Iſis huius lo co effigiem conſecrauit Phali, cuius nunc etiam feſta ſunt apud Ægyptios. Poſthæc ex Orco aduenit Oſiris ad filium Orum: & cùm apud eum maneret, inſtruxit ad bellum, ac quodam die interrogat illum,

Quid

Quidnam eſſe honeſtiſſimum cenſeret? Hic verò reſpondit, Defendere parentes contra aliorum vim, & illorum vlciſci iniurias. Tum rurſum interrogat Oſiris, Quam beſtiam maximè vtilem in præliis eſſe arbitraretur? Reſpondit Orus: Equũ. Miratus Oſiris requirit, Quin potius leonem diceret? Quia, inquit Orus, Leo auxilio quidem eſſe queat, Equus verò fugientem quoque hoſtem diripere & conficere. His auditis admodum ferunt delectatum fuiſſe Oſiridem, quòd ſatis inſtructum paratúmque ad bellum filium eſſe putaret. Cùm auté indies plurimi ad Orũ deficerent, aduenit & concubina Typhonis Tueris, quã cùm ſerpens inſectaretur, ſuccurrunt Ori milites, & ſerpentem trucidant. Ideoq; nunc etiam Ægyptij funiculum in medium abiiciunt, & concidũt. Bello autem ſuſcepto, multis diebus prælium & conflictum durauiſſe accepimus, & ſuperiorem fuiſſe Orum: cúmque deductus fuiſſet Typhon vinctus ad Iſidem, nó ſolum vitam hanc illi, ſed libertatem quoque conceſſiſſe: quod ita iniquè tulerit Orus, vt manus quoque afferret matri & coronã diriperet: tum Mercurium caput ei bubulum impoſuiſſe. His geſtis impegiſſe dicam narratur Oſiridi Typhon,

quòd

quòd non eſſet legitimo partu natus, ſed viciſſe Oſiridem orante cauſſam Mercurio: itaque & Oſiridem legitimo partu editum dij pronuntiarunt, & duobus poſtea prœliis Typhon deuictus fuit. Ipſam autem ferunt Iſidem poſt mortem concepiſſe de conſuetudine Oſiridis filium, ſeptimóque menſe edidiſſe fœtum imbecillem, & debilem pedibus, noménque inditum Harpocratis.

FABVLÆ POETICAE.

Prima Ixion.

Innuens deum quidem peccatis ignoſcere, ſed pertinacem malitiam horribiliter punire. Itemq́ ab impuritate deterret, & cohortatur ad gratiam referendã.

IXIONEM Æſchylus ait fuiſſe filium Antionis, Pherecydes Piſionis, nonnulli Martis, aliqui etiam Phlegiæ: hunc correptum inſania ferunt, & ſeipſum de rupe quadam præcipitem dediſſe, quod rotæ ſupplicio Poëtæ putantur innuiſſe. de quo ita fabula narratur. Vxorem habuit Diam filiam Deionei. Fuit autem in mo-

ribũs veterum, vt ij, qui virgines ſibi deſponderi vellent, donis & muneribus placarent patres, atque etiam poſt deſponſionem illis aliquid afferrent, ſecundum hoc Homericum:

Dona fuere boum centum prima, atq; ita mille
Promiſit capras & oues.

Hac de conſuetudine exigebat à genero & Deioneus munera. Cũq; cogeretur Ixion perſoluere, foſſam præparat ingentem, atque obtegit materia, intus autem ignis extructus fuerat, vocátque ſocerum adconuiuium: qui ignarus inſidiarum, in foſſam decidit & conflagrauit. Cùm omnes dij atq; homines ſcelus execrarẽtur, & autorem ipſum auerſarentur: tandem Iuppiter miſertus illius, expiatum in cœlum recepit, & epulis deorum adhibuit. At Ixion priorum omnium oblitus, & immemor beneficij in ſe collati à Ioue, antiquũ facinus nouo ſcelere accumulat, oculosq; in coniugem Iouis Iunonem coniicit, & audet reginam deorum appellare de ſtupro. Iuppiter re cognita, effingit de nebula Iunonis ſimulacrũ, cum quo Ixion cõcubuit, & inde natũ fuit immane quoddam mõſtrum hominis, diis & hominibus inuiſi, cui nomen factum Centauro. Hic cum equabus ſe Theſſalicis cõmiſcuit, & mon

monſtroſam illam Hippocentaurorum ſo bolem progenuit: verùm Ixionem Iuppiter ad inferos detruſit, & alligauit ad rotam ſempiterni voluminis, à quo raptaretur ſine fine, hanc vt daret pœnam ſceleris ſui.

Fabula 11. Hercules.

Virtutem etiam reſiſtere atque ſuperare fortuitos caſus.

HERCVLEM ferunt etiam cum diis ipſis decertaſſe. Nã cùm veniſſet Delphos conſulturus oraculum, neque reſponderet vates, ille iratus tripodem ſacrum rapit & effert è templo: tum Apollo, vt ſua defenderet, acerrimè depugnaſſe cum Hercule fertur, ſed vicit dei iram virtus Herculis, itaque referre eum tripodem in templum iubet, & reſponſum policetur. Idem & Iunonem ſauciaſſe & Ditem patrem, & Neptunum profligaſſe perhibetur, quæ fabula ſic narratur. Eurytus rex Oechaliæ Bœotiæ, nuptias filiæ ſuæ Iolæ promiſerat præmium ei, à quo arte ſagittarum ipſe, vel (vt tradidere alij) filij ipſius ſuperarentur. Edoctus autem hanc ab Apolline fuerat, acceperátque ab eodem arcum. Victus ab Hercule, præmium dare

re recuſauit. Iratus igitur Hercules, bellum illi intulit, & capta vaſtatáque Oechalia & Euryto occiſo, Iolen abduxit vt ſeruam: neque ita placatus animo ſuo, Iphitum quoque Euryti filium, circumuentum fraude & hoſpitij iure violato interfecit, cùm ille requiſitum equas, quæ de armento aberraſſent, Tiryntha ad Herculem veniſſet. Huius cædis odio & crimine vt ſolueretur, venit Pylum ad Nelea, petítque ab hoc, vt expiare nefas velit: ſed Neleus, quia à filiis ſuis prohibebatur, Herculis petitioni non obſecutus fuit, eumq; à ſe repulit. Acceſſit igitur Deiphobum Arcadiæ regem, & expiationem ſceleris obtinuit. Tum memor repudiationis Nelei, Pylum expugnauit, & Nelea cum vndecim filiis interemit: nam duodecimus Neſtor, idemq; natu minimus, aberat tum patria. Cùm autem adeſſet Neleo & pater Neptunus, & Iuno, quæ Herculem odiſſet, atque his adductus Orcus, vi ſua ipſa numina ſauciata, illa duo quidem (vt diximus) fugaſſe perhibetur. Idē alio etiam tempore Orcum oppugnauit, & ſuperior fuit, cùm eduxit ad ſuperos canem illius tricipitem Cerberum: & Letum domuit, victum in Theſſalia lucta ad ſepulcrum Alceſtidos, quam illi eripuit, &

reſtituit Admeto regi Pheræorũ, quæ qui dem paucis attingere, neque copioſiùs exequi in præſentia viſum.

Fabula III. Otus & Ephialtes.

Exitus impiæ ſuperbiæ, & immanitatis facinorum.

OTVS & Ephialtes crediti fuere eſſe Aloëi filij, cùm ſuſceperit hos de vxore illius Neptunus, vt Poëtæ fabulãtur. Hi fuere immenſa corporum magnitudine, & viribus conſentaneis adhuc in pueritia: nam menſibus ſingulis acceſſiſſe ſtaturæ ipſorum dodrantem accepimus. Robore igitur freti & granditate ſua, cùm diis bellum inferre & cœlum ipſum oppugnare velle ſtatuiſſent: primùm intulere manus Marti, eúmque captum ac vinctum coniecere in ollam æream, in qua tredecim mẽſes iacuit. Cúmque non procul abeſſet, quin extingueretur deus armorum & belli: nouerca Aloidarum, nomine Eribœa, Mercurio indicat quid Marti acciderit, & quo in loco ſeruetur, & in quanto verſetur diſcrimine, illúmque exorat vt ſuppetias ferre miſero, atque vlciſci tam indignum facinus velit. Mercurius igitur clàm quidem liberat Martem, & conſeruat illius ſalutem: ſed aduerſus Aloidas tantum abfuit, vt mouere aliquid auderet,

vt

vt ipſe etiam vim eorũ fugeret. Tum deos adorti, rapere conãtur Iunonẽ & Dianam: & cùm fuga in cœlum diuę euaſiſſent, ibi illi conantur imponere Pelio Oſſam,

Scilicet atq; Oſſæ frondoſum inuoluere Olympũ.

Cùm iam eſſent altitudine vlnarum nouem, latitudine verò cubitorum totidem, nati annos nouem, ſecundum Homerum. De horum interitu bifariam traditur hiſtoria. Homerus enim dicit interemptos fuiſſe ab Apolline, priuſquam veſtirentur lanugine genæ illorum: nam ſi adoleuiſſent, fuiſſe effecturos id, quod pueri conati eſſent. Poſteriores Poëtę tradiderunt, fugientem Dianam obieciſſe Aloidis ſpecie & magnitudine inſignem ceruum, vt illorum impetum à ſe auerteret: hic cùm per ipſos medios tranſcurreret, emiſiſſe haſtas ambos, vno eodémque temporis momento, & celeritate euitante ictus ceruo, mutuis vulneribus Aloidas ipſos ſeſe intermiſſe, penetrante vtriuſq; in alterũ haſta.

Fabula IIII. Tydeus.

Crudelitatem etiam in bonu auerſari & vindicare Deum.

PARVVM quidem fuiſſe Tydea Oenei filium, ſed virum fortem & bellatorẽ, Homerus dicit:

Tydeus corpore erat paruo,ſed fortis in armis,

Quem ferunt mirifico in amore & diligentiſſima cuſtodia Mineruæ fuiſſe, adeò vt illi immortalitatem policeretur. Hunc defendentem patrem ſuum occidiſſe fratris filium aiunt, itaque profugum domo contuliſſe ſe ad Adraſtũ: eodem & perfugerat regno pulſus Polynices. Forte erat frigus, & in regia porticu ſuſpenſæ pelles cùm aliarum ferarum;tum leonũ & aprorum:de illis igitur cùm aliquantiſper duo exules depugnaſſent, tandem apri pellem Tydeus,leonis Polynices obtinuit.Re cognita collocat filias ſuas illis Adraſtus,Tydeo Deipylen,Polynici Argiuam:vel hanc Tydeo,illam Polynici.Extabat enim oraculum tale:

Natq; iunge tuas apro genero atq; leoni,
Veſtibulo quos ante tuæ conſpexeris ædis
Progreſſos ambos,neq; corda tua implicet error.

Alij tradidere, veniſſe indutos pellibus ferarum Argos:alij inſignia armorũ fuiſſe talia, vt Tydei clypeus præferret effigiem Calydonij apri, Polynicis haberet ſimulacrũ Sphingis cum leonino capite. His igitur cùm iudicaſſet Adraſtus ſe iuberi tradere filias, & generos eſſe ſibi, & vtrunq; reſtituere in patriũ regnũ voluit, ſed Polynicem prius. Cogitur ergo exercitus,

ercitus, & expeditæ contra Eteoclem,qui fratre eiecto regnum occuparat, educuntur copiæ,quarum fere duces ſeptem memorantur & celebrantur, cùm hi nequaquam ſoli eſſent virtute & potentia nobiles. Inter hos Tydeus miſſus fuit ab Argiuis, certis de rebus legatus ad Thebanos:ibi inter epulas, vt fit,glorioſè quædam iactantes Thebanos, non dubitauit vnus ipſe plurimos in certamina gymnica prouocare, quamuis iuſſus fuiſſet à Minerua, apud Thebanos quieſcere, neque audere ac furere inter tam multos ipſe ſolus. Sed virtus cohiberi ſe non paſſa,erupit temere illa quidem, ſed non deſtituta tamẽ fuit auxilio diuæ:victor enim euaſit omnium Tydeus, & ſua cum ingenti gloria ac gaudio, Thebanorum dedecore ac indignatione,reuerti ad ſuos cœpit. Sed Thebani, quà redeundum illi erat, idoneo loco in inſidiis quinquaginta validos iuuenes collocarant, iiſque præfecerant duos principes ciuitatis Mæona & Lycophontem:quos & ipſos vniuerſos trucidauit Tydeus,vno Mæone dimiſſo.cùm quibuſdam oſtentis moueretur. Bellum autem hoc maximum omnium ante illud tempus geſtorum fuiſſe exiſtimatur, in quo & victores victos, & eam fortunam

amborum ducum atque exercituum fuiſſe accepimus, vt de exitioſa victoria & lugubri iis qui peperiſſent, prouerbium vſurpatum fuerit, Cadmiæ victoriæ. Cùm autem quodam tunc in prœlio Tydeus vulnus accepiſſet à Melanippo filio Aſtaci, & Amphiaraus interfecti huius caput attuliſſet ad Tydeum, tanta fuiſſe perhibetur odij & iræ immanitas Tydei, vt pertunderet caluam capitis, & cerebrum guſtaret. Illo forte tempore aduentabat cum immortalitatis dono Minerua: ea igitur conſpicata facinus tam tetrum & execrandum, auerſata Tydeum, donum reuocat. quod ille videns petiit ſuo tamen filio cõſeruari immortalitatem, ſed neque hoc impetrauit, quamuis polliceretur dea ſe illi non defuturam eſſe. Etſi ſunt qui immortalitatem à Minerua conſeruatam Diomedi fuiſſe perhibeant, illúmque interiiſſe morte negent.

Fabula v. Melampus.

Sapientiam & doctrinam maximas res efficere, & ſæpenumero eſſe ſalutarem: & eſt celebratio amoris fraterni.

MELAMPVS frater Biantis, filius Amythaonis, maxima fuit in opinione ſapiẽtiæ & cognitionis rerum humanarum atque

atque diuinarũ. Nomen factum illi fertur ex hoc, quòd à matre Rhodope in monte quodam ſtatim à partu expoſitus, toto reliquo corpore tecto, ſolíſque pedibus nudis, & à ſole aduſtis, nigrorem contraxerit pedum. Hic & Prœti filias correptas inſania liberauit morbo, & partes duas regni Argiui prę mij nomine à Prœto accepit, & Argiuum tum regnum in tres partes diuiſum fuit, vt dicerentur alij Prœtidæ, alij Melampodidæ, alij Biãtidæ: nam Melampus præmium curationis ſuæ cum fratre fuerat partitus. Diuina autẽ ſuperbis virginibus & formam ſuam cum forma dearum conferẽtibus, eam vecordiam ira immiſerat, ſeſe vt vaccas eſſe putarent, & in hoc errore agros peterent & mugirent, vt Virgilius quoque cecinit,

Prœtides implerũt falſis mugitibus auras, &c.

Quamuis alij fecerint minus antiquum Melampodem, qui tradiderunt liberaſſe illum tali inſania laborantes communiter mulieres Argiuas, tenente regnũ Argiuorum Anaxagora abnepote Prœti, à quo & Anaxagoridę appellati. Huius frater amare cœpit inſano quodã amore Pero filiam Nelei, quam admirabili forma fuiſſe Homerus quoque ſcripſit, & ab omnibus vicinis principibus expetitam. Sed Neleus

cupidus Theſſalici armēti, cuius præſtantia & bonitas paſſim prædicaretur, illi demum filiam ſe daturum aiebat, qui Iphicli Phylaci filij, à quo vrbi ſub monte Othry nomen inditũ, boues ſibi adduxiſſet. Fuit autem illis temporibus non cura neque ſtudium regibus auri argentíue, ſed maximè boum, nec nõ tamen ouium & aliorum etiam pecorum. Itaq; & inter labores Herculis abactio boum eſt Hiſpanarum: quas cùm in Siciliã deportaſſet, ita vehementer concupiuit Eryx Veneris & Butæ filius, vt prouocato ad ceſtũ Hercule, deponere nõ dubitarit cõtra boues regnum ſuum, quod quidẽ in illa pugna vnà cum vita amiſit. Theſſalicarum igitur Iphicli boum cùm peteret à futuro genero donum Neleus, & impotẽti amore deperiret in filia illius Bias: rem magnã & perdiffi-cilem fratris cauſſa aggrediẽdam ſibi Melampus ſtatuit, vt boues Iphicleas abduceret. Venit igitur in Theſſaliam, & aduerſante fortuna, cùm incautiùs rem tractaſſet, captus fuit & coniectus in vincula à cuſtodibus armenti. poſtea tamen à volente Iphiclo accepit muneri boues, quòd ſua illum ſapientia ex ſterili fœcundum reddidiſſet: atque hoc ita geſtum eſſe memoratur. Cùm depræhenſus in furto Melampus,

lampus, vinctúſque à paſtoribus ad regem adductus eſſet, imperat ille diligenter aſſeruari hominem, & præficit cuſtodiæ familiarem quendam ſuum, cui imprimis fidem habebat: hic ſeruum & ancillam attribuit miniſterio Melampodis, quorum ille perquam ſedulo captiuum curabat, hæc verò negligētius. Non multi dies reſtabant, quin abiret annus, ex quo captus Melampus fuerat: cùm quidem ipſe ſe annum vnum in vinculis & cuſtodia futurum præſciuiſſet: tum quodam die audit ſupra in tigno fabulantes vermes, iam eſſe columnam fermè eroſam, eam in qua conclaue inniteretur. Fuerant autem Melampodis aures in pueritia linguis draconum expurgatæ, & (vt aliqui ſcripſere) viæ harum perforatione coniunctæ, vt omnium animantum ſonos atque voces intelligere poſſet. Cùm igitur, quanto in periculo eſſet, cognouiſſet Melampus, accerſit miniſtros & exorat, vt ſe extra illud cōclaue in lectulo efferre vinctum velint, ac iubet antecedere ad caput ſuum ſeruum, ſequi ad pedes ancillam. atque interea dum effertur ſubſidente columna ruit conclaue, & ancillam, vix ipſo exportato, opprimit. Hoc viſo, accurrit celeriter ad præfectum cuſtodiæ ſeruus,

& quid acciderit nuntiat:ille rem ad Iphiclum ſtatim defert. Accedit ergo ad Melampodem, & qui ſit, interrogat. Ille ſe vatem & diuinum eſſe reſpondit, & ſimul exponit regi, qua cauſſa impulſus aduenerit. Rex & veniam dedit Melampodi, quem fraternus amor periculum tantum ſubire coëgiſſet, & vinculis exoluit, ſecúmque habuit poſtea in magno honore. Quodam tempore queritur ſibi liberos non gigni,ac boues ſuas ſe daturum Melampodi promittit, ſi mederetur ſterilitati ſuæ. Accipit conditionem Melampus, & cæſo boue ſingulis auium generibus ſuas portiones exponit, déque iis ſciſcitatur cauſſam ſterilitatis Iphicli, & nunqua illarum remedium ſubiicere habeat. Negantibus cunctis,adducitur tandem vultur, qui ſolus omnium abfuiſſet: is igitur indicat & cauſſam & remedium mali, quod quidem bifariam proditum notauimus. Alij enim ſcripſere, quòd reperiſſet excidentem genitalia quadrupedum filium, ideo iratum Phylacum cum enſe perſecutum illum fuiſſe, & eo fuga elapſo, illum enſem abſcondiſſe inter carices, cui ibi relicto poſtea corticem circumnatum fuiſſe. Alij perhibuere, cùm Philacus aliquãdo arborem cæderet, aſti-

tiſſe propter eum fortè tum filium paruum adhuc, quem cùm pater per iocum vellet territare, eductam machæram intendiſſe in filium, ſed eo animo, vt feriret arborem, verum ictum delatum fuiſſe in pueri inguina. Sed cùm Melampus cognouiſſet, ſi de reperto enſe deterſam ferruginē in potu hauſiſſet Iphiclus, fœcundum illum futurum eſſe, effecit vt & enſis inueniretur, & offenſa numina placarentur ſacrificiis: atq; ita ſterilis eſſe Iphiclus deſiit, & procreauit Proteſilaum, qui primus Græcorum ad Troiam ab Hectore fuit interfectus, vel ab Ænea vt alij, vt alij Euphorbo, vt alij ab Æneæ ſocio Achate. Homerus nominat neminem, ſed à Dardanio interemptum dicit exiliētem è naui primū. Procreauit & Podarcen, qui mortuo fratre copiis in bello Troiano præfuit. Tum verò Melampus accepit promiſſas boues, & ad fratrem adduxit, qui dedit illas Neleo, & duxit adamatam filiam illius Pero, ex qua ſuſcepit Talaum. Perialcen, Arctum, & filiam Alpheſibœam. Melampodis autem fuere filij Antiphates & Mantius. Talai filius Adraſtus. Antiphatis Oicles Amphiarai pater: ita reperitur de duorum fratrum poſteritate vno gradu inferior Amphiaraus Adraſto.

tis audaciam & ſceleſtos conatus, qui ſibi inferre vim & ſtuprum molitus fuiſſet: Hanc tu(inquit) Prœte contumeliam niſi vltus fueris, deos oro in te vt vindicent. Itaque dolore commotus rex, fecit vt vir prudens, & à neceſſario ac vetere amico ipſe quidem manus abſtinēdas ſibi duxit: vt tamen non impunitum malum facinus eſſet, ablegat Bellerophōtem ad ſocerum ſuum in Lyciam, cum literis, quibus petebatur, vt tabellarium ille curaret interficiendum. Iobates cùm audiſſet adeſſe tabellarium à genero ſuo, ſumma eum humanitate complectitur, atq; totos dies nouem, nouem bubus mactatis, inter ſacra deorū & epulas hilariter cū illo verſatur: decimo die ecquid litterarum afferret, vt dictum eſſet, interrogat. Bellerophontes ignarus omnium, tabellas reddit. Iobates cognitis iis, quæ à genero petebātur, quominus manifeſta cæde, & quaſi manu ſua interimeret hoſpitem, religione prohibebatur, etiam miſerebat hunc Bellerophōtis, cui in adoleſcentia nihil ad laudis & virtutis ſummam deeſſe videretur: ſed ſi tale facinus deſignaſſet, ſupplicium & pœnas meritas effugere oportere nō arbitrabatur: Mittit igitur ad oppugnādam Chimæram. Hoc monſtrum diuinum quod-

dam

dam non humanum erat,

Fronte leo, extremũ ſerpẽs, mediumq; capella,

Efflabat autem de faucibus horribilem flammam,eratq; non ſolùm cõgreſſu, ſed omnino aſpectu terribile: verũ hoc,deorum immortalium oſtenta ſecutus,confecit. Tum demandatur illi aduerſus Solymos,fortiſſimam nationem,bellum: quo non alium ſibi maiorẽ vnquam oblatum laborem fuiſſe, dicere ſolitus perhibetur. Sed his etiam ſuperatis,vincendæ mox & interficiendę fuerunt Amazones,virile & imprimis bellicoſum mulierum genus. Poſtremò tantis rebus geſtis reuertẽti in Lyciam,delectam manum fortiſſimorum virorum opponit,qui ex inſidiis adorirentur Bellerophontem atq; trucidarent: ſed ipſe hos vniuerſos obtrũcauit, vt ne vnus quidem de cæde elaberetur. Ibi demum, & à diis immortalibus protegi hunc, & innocentiam calumniis oppugnatã fuiſſe, intellectum. Quapropter Iobates in ſuum regnum recepto, dat vxorem filiam ſuam Caſſandram, omnemque regium honorem, dignitatem, emolumenta, cum illo æqualiter diuidit. Tum verò Lycij ſuſpicientes virtutem Bellerophontis, tãquam deo lucum eximium ſecreuerunt, vbi in omni copia & fœcunditate ſoli, & amœ-

nitate

nitate loci, inter ſegetes, racemos, fructusq; arborum vitam degeret. In qua ille felicitate ſuſcepit ternos liberos quoque de vxore ſua, Iſandrum, Hippolochum, & Laodamiam, quæ Ioui placuit, genuitque illi Sarpedonem. Hunc ita dilexit Iuppiter, vt interfectum à Patroclo honore ſanguineæ pluuiæ proſecutus, curarit deferendum in Lyciam à duobus fratribus Leto & Sopore, vbi à propinquis conditum corpus illius appoſita columna (vt in honorificis ſepulturis fieri conſueuit) tumularetur.

Narratio fabulæ ex Euterpa Herodoti.

PROTEO ſucceſſiſſe in regni adminiſtratione Rhampſinitũ accepimus. Huius monumẽtum eſt templi Vulcani veſtibuli pars ad occaſum vergens contra quam poſuit ſtatuas duas, altitudine cubitorum viginti quinque: harum Ægyptij vnam quæ ſpectat ſeptẽtriones, appellant Æſtatem, & adorare atque colere ſolent: alteram conuerſam ad auſtrum, Hiemem vocant, & honore cultúque omni priuant. Regem Rhampſinitum fuiſſe ditiſſimum traditur, quòd tantã argenti copiam collegerit, quantam nullus poſteriorum regum

regum non ſolùm ſuperare, ſed ne attingere quidem potuerit. Cùm autem loco tuto reponere pecunias vellet, iubet extrui de ſaxo ædes: quarũ accidit, vt vnus forte paries extra regiam foris eſſet. Ædificator autem animo callido & fraudulento, in hoc ita adaptarat ſaxum vnum, vt eximi à duobus atque vno quoque facilè poſſet. Æde perfecta, cùm in hac recondiſſet rex pecunias ſuas, non diu poſtea ferunt morbo laborãtem mortifero ædificatorẽ, accerſiſſe ad ſe duos filios ſuos, atque illis aperuiſſe, quo conſilio, quaque ratione proſpexiſſet illis, de theſauro regio, copia vt pecuniæ affatim ipſis ſuppeteret, & commemorata re tota de lapide exemptili, & illius menſura demonſtrata adoleſcentibus, ſenex cùm dixiſſet poſſe illos promos quoſdam eſſe theſauri regij, mortem oppetiit. Filij non diu cunctati rem aggrediuntur, & noctu profecti ad regiam, lapidéque illo reperto, & facilè exempto, abſtulere magnã vim pecuniæ. Rex quodam tempore, inſpecturus ſuas diuitias, ingreſſus ædem, vbi illæ ſeruarẽtur, animaduertit, plæraq; vaſa compilata eſſe, neq; habebat tamẽ quem furti accuſaret, ſaluis ſignis & æde clauſa. Cùm autem iterum atq; tertiò inſpicienti pecunię

pauc

pauciores fieri viderentur, quòd illi non facerent rapinarum finem: ibi rex laqueos parari, & circum vaſa pecuniæ deponi iubet. Fures mox, vt ſolebant, aderant, atq; horum ingreſſus alter prior, ſtatim vbi ad pecuniam acceſſit, in laqueo captus hæſit. Cùm ſentiret, quo in loco res eſſent ſuæ, fratrem accerſit, illiq; omnia indicat, hortaturq; eum cautè vt accedat & caput amputet capto ſibi, ne viſus & agnitus ipſe, etiam illi exitio ſit (Eadem quoque narrauit de Trophonio & Agamede in Bœoticis Pauſanias.) Cùm frater intelligeret rectè eum monere, fecit ſcilicet, vt iuſſus fuerat, & repoſito aptè lapide, reuertitur domum cum capite fraterno. Mane ingreſſus rex, inuenit furis quidem corpus, ſed ſine capite; obſtupeſcere igitur ac mirari quidnam factum eſſet, cùm ædes integræ, neque aditus, neq; exitus vllus patefactus appareret. In ea dubitatione aiunt curaſſe regem, ſuſpendendum cadauer furis de muro, & appoſitis cuſtodibus imperaſſe, vt quemcunque lacrymantem aut deplorantem mortuum cõſpexiſſent, eum captum ad ſe deducerent. Mater autem furis, cùm ſuſpenſum eſſe filium reſciuiſſet, intolerabili dolore affecta loquitur cum ſuperſtite filio, & iubet quamcumq;

rationem inire, fratris corpus vt reſoluat & ſibi afferat; quod ſi negligat, ſe indicaturum furta illius. Cumq́; grauiter ipſum increparet, & ſe nullis verbis mitigari pateretur, machinatur adoleſcens tale. Aſinis imponit vtres plenos vino, & hos præter muri partem agitat eam, de qua ſuſpenſus frater cuſtodiebatur, & ante cuſtodes vincula de vtribus duobus aut tribus detrahit, & ex reſolutis vinum patitur effluere: tum caput feriens, exclamat quaſi præ dolore & inopia conſilij, quod neſciret vbi potiſſimum ſuccurrendum videretur. Cuſtodes vinum largè profluere vt videre, accurrunt in viam cum vaſculis, & vinum excipiunt, idq́; in lucro ponunt. At hic conuitia illis facit, & ſe vehementer iratum eſſe fingit. Sed cùm eum cuſtodes conſolarentur, rurſum mitigari ſe ſimulat, & iram reprimit, ac tãdem aſinos extra viam ſeducit, rurſumq́; inſtruit. Inter hæc multum ſermonis habitum, & aliqui etiam faceti eſſe erga illum: & hic exhilarari atque ridere, ac donare tandem cuſtodibus vtrem integrum vini. Illi enimuero læti, eodem in loco vt potarent recumbere, & iſtum allicere atque hortari ſecum vt potare vellet. Qui ſibi hoc ſcilicet perſuaderi paſſus, manſit cum eis, atq; acceptus co-

miter

miter inter potandum, donat alterum etiam vtrem vini. At cuſtodes crebrioribus vſi poculis, inſigniter ebrij fiunt, neque iam ſomnum magis repellere poterant, & ibidem vbi potauerant obdormiſcunt. At ille (iam enim profunda nox erat) primùm reſoluit cadauer fratris de muro: deinde cuſtodum ſingulorum genam dextram nouacula radit, contumeliæ cauſſa. atque ita aſinis impoſitum cadauer fratris reuehit domum, executus iuſſa materna. Regem, vt audiuit ſurreptum eſſe cadauer furis, ira & indignatione maxima commotum fuiſſe perhibent, atque omnino ſtatuiſſe facinoris autorem reperire, itaque feciſſe, quod nunc narrabo, mihi quidem nequaquã veriſimile. Proſtituiſſe illum aiunt filiam ſuam, & in pergula collocatam iuſſiſſe admittere quidem quoſlibet, ſed nulli facere copiam ſui, niſi qui prius confeſſus fuiſſet, quid in vita perpetraſſet callidiſſimum, quídque nefandiſſimum: q[illegible]mque audiſſet confitentem ea, quæ ſciret de fure eſſe facta, eum præhendere neque amittere. Puella cùm imperio patris obſequeretur, ibi fur non ignarus cuius gratia rex talia moliretur, & ſtudens illum intelligentia ſuperare, reſcindit de corpore hominis pau-

 lo ante

lo antea mortui brachium, qua parte cum humero illud committitur, & id ſecum deferens ad regis filiã ingreditur. Cumq; interrogaretur ſimiliter vt alij, confitetur ſe nefandiſſimum facinus deſignaſſe, qui fratri capto & hærenti in laqueis apud regiam pecuniam, caput amputaſſet: calliđiſſimum verò, qui ebriis ſua arte cuſtodibus, reſoluiſſet cadauer ſuſpenſum fratris ſui. Hæc illa audiens, præhendere hominem: ipſe verò in tenebris offerre mortui manum. quam puella complexa tenuit, rata appræhendiſſe ſe manum iſtius, ſed fur ea relicta per fores domicilij fuga euaſit. His ipſis quoque perlatis ad regem, obſtupuiſſe eum tradunt, demirantem hominis & aſtutiam & audaciam, ac tandem miſiſſe in oppida omnia, qui impunitatem à ſe, & munera promitterent autori facinorum illorum. Fur fide habita ad regem venit, & confitetur ſe eſſe eum qui requiratur. Tum regem, aiunt, magis etiam admiratum dediſſe illi filiam proſtitutam in matrimonium, tanquam doctiſſimo omnium mortalium: qui quidem Ægyptios reliquis diceret facilè antecellere cunctis, ſed hunc ipſos etiam Ægyptios ſuperare.

De

De Pythij Lydi vxore ex Plutarcho & Herodoto.

QVO tempore in Græciam exercitum duxit Perſarum rex, tenuit Pythius quidam Celænas vrbem Phrygiæ, quæ ſita eſſet ad fontes Meandri, inq; cuius foro alius etiam fluuius erumperet non minor illo, nomine Catarractes, hic quidem in Meandrum erumpens. In foro autem vrbis antiquis temporibus pellis fuit ſuſpenſa, quam dicerent Phryges Apollinem detraxiſſe Marſyæ à ſe victo in certamine canendi. Eo cùm perueniſſet cum copiis ſuis Xerxes, non dubitauit Pythius, cùm pſum regem, tum vniuerſum exercitum iberaliſſimè, vt hoſpites accipere. Scribit utem Herodotus fuiſſe peditum decies entena ſeptingenta M. equitum octointa M. atque hunc numerum facit beltorum, id eſt, dominorum tantummoo, vt alteræ ſeruiles copiæ tantæ, ſi miniæ fuerint, acceſſerint. Idem verò Pyhius ſuas inſuper facultates ad belli imenſas detulit regi. Rex ſciſcitatus de ſuis, id hominis eſſet? cognouit eundem Dao patri ſuo donaſſe memorabilem illam atanum & vitem auream. Accerſitum itur ad ſe interrogat, quantas habeat

copias pecuniarum. Ille reſpondit, reperta eſſe in rationibus ſuis, nam ſubduxiſſe diligenter, cùm audiſſet regem bellum aduerſus Græcos ſuſcepiſſe, & copias in expeditionem iam ad mare deductas. Reperta igitur talenta argenti bis mille, id eſt, numi Romani quadringenties octagies: noſtratis verò decies centena ducenta M. coronatorum. item reperta aureum Daricorum tricies centena, noningenta, nonaginta tria M. id eſt, ſi aureus minã valere ponatur, numi Romani decies quinquies milies, noningenties, ſeptuagies, & ducenta ſeſtertia: talentorũ verò ſexaginta ſex M. quingenta, quinquaginta. numi noſtratis, tricenties nonagies centena, noningenta triginta M. coronatorum. Hæc ego, inquit Pythius, tibi rex do ac dono: te enim his indigere ad tantum bellum exiſtimo, & mihi de ſeruitiis & agris meis abundè victus poterit parari. Xerxes hominis liberalitate & affectione animi erga ſe magnopere delectatus, benignè illum compellat, & ne fruſtra erga ſe munificus fuiſſe videretur, iuſſit eam ſummam quæ aureis deeſſet, quo minus parem numerum explerent, vt fierent quadragies centena M. adiici: & cohortatus, vt talem erga ſe perpetuò voluntatem retinere vellet, pe[r]

rexit ad Græciam oppugnandam. Hanc pecuniam de argentifodinis & auri ſub terra venis collegerat Pythius, quarum prouentibus ita captus fuiſſe perhibetur, vt & ipſe in vnum illud opus ſine vllo modo & fine incumberet, & cogeret ac cõpelleret ſubditos ſuos, partim ad eruenda metalla auri argentiq́;, partim ad diſcernenda & excoquenda, omnibus aliis rebus ac negotiis omiſſis. Itaque nonnullis iam conſumptis labore, pleriſque autem deficientibus, ſupplicatum venere mulieres ad vxorem Pythij, deprecantes pro ſalute virorum ſuorum. Quę tum quidem illas abire & eſſe animo bono iuſſit, ac mox accerſitis artificibus, quibus præ reliquis fideret, dat aurum & includit eos domi ſuæ, mandatq́; vt de illo effingant panes, placentas varias, poma, denique cibos eos, quibus maximè gaudere Pythiũ ſciebat. Perfectis cunctis reuertitur Pythius, vt tũ fortè peregre abfuerat, cumq́; cibos poſceret, apponit mulier illi menſam auream, inſtructã auro quo omnium quæ eſui eſſe conſueuere ſimulacra repręſentarentur. His delectatus initio Pythius, dapes inferri imperat: tum apponebantur aliæ effigies eſcarum aureę, itemq́; aliæ, vt quidq; petierat Pythius, donec ira-

tus eſurire ille ſe, & epulari velle, clamaret. Tum mulier igitur: At tu, mi vir (inquit) hęc ſola nobis reliquiſti, & alia abſtuliſti vniuerſa: ſublata enim ſunt opificia, & terra coli deſita, cùm neq; ſeri neque arari neque alimonia parari ab vllo poſſit, præ tuis operibus, quibus & nos & noſtros ciues atterimus. Dicta hæc mouebãt animum Pythij, ac non curam quidem ille ponere, & metallaria opera penitus abiicere, ſed hoc tamen fecit, vt viciſſim quintam partem ciuium opus exercere cogeret, reliquis artificia & agricultura curę vt eſſet. Hic Pythius cùm ſe in gratia eſſe apud regem videret. & Sardibus mouente illo ſol interdiu fuiſſet obſcuratus: ipſe portento territus, accedit ad regẽ cum tali oratione, vt retulit Herodotus: Domine petiturus ſum à te quiddã, quod opto vt obtineam, eiuſmodi quidem tibi vt conceſſu perfacile, mihi, ſi conſequar maximum futurum ſit. Xerxes, qui oraturum quiduis potius crederet, quàm quod petiit, promiſit ſe conceſſurum eſſe. Quibus auditis iam Pythius animo confirmato: Domine, inquit, filios habeo quinq;, quos omnes fortuna implicuit militiæ & expeditioni aduerſus Græcos tuæ: nunc te obteſtor rex, miſertus vt huius ætatis meæ, vnum illorum

rum dimittas ſacramento ſolutum, nempe natu maximum, qui relictus hîc me fortunaſq; meas curet: reliquos quatuor abducito tecum, & re ex animi tui ſentẽtia confecta reuertitor. Ingẽtem indignationem concitarunt hæc Xerxi, atque ille ita reſpondit: O ſceleſte tu, an cùm ipſe ego in exercitu ſim tendens in Græciã, mecumq; ducam meos filios, fratres, alioſq; propinquos & amicos, mentionem facere tui filij auſus fuiſti, qui ſeruus ſis meus, quemq; cum tota domo cumq; vxore ſua ſequi me oportebat? Nunc igitur diſce, animi ſedem in auribus eſſe hominum, qui bonis dictis exhilaratus, corpus voluptate replere: iritatus verò contrariis, illud ipſum commouere perturbareq; ſoleat. Tu quoque cùm dudum ab his diuerſa afferres, quibus mihi gratificareris, non poteris gloriari te beneficentia ſuperaſſe regem. at nunc conuerſus ad impudentiam, ſic tamen dignam pœnam nequaquam ſuſtinebis: teq; ac quatuor filios tuos proteget hoſpitij liberalitas, vnius autem, de quo laboras maximè, anima atque vita multabere. His reſponſis, ſtatim iubet, eos qui talia exequi ſolerent, requiſitum maximum natu filiorum Pythij diſſecare in partes duas, perq; dimidiatas illas collo-

catas in dextrum ſiniſtrumq; latus,traduci exercitum:quod & ita geſtum, & diſſectus ille traductusq; exercitus per medium fruſtorum fuit. ſed & reliqui quatuor in Grecia vna cum innumerabilibus aliis poſtea interiere. Quibus calamitatibus afflictus Pythius,fecit vt pleriq; ignaui & ſtulti, quæ pars maxima eſt diuitum vulgarium,facere conſueuere,& vecordia quidem atque metu mortis in vita manere, nihil tamen lætitiæ voluptatiq; ſibi quod eſſet inuenire.Cùm igitur nollet viuere, neque vitam tamen amittere vellet, aggerem ingentem ſubter quem fluuius deriuatus via quadam occulta ferretur, ſubiit, & monumentum quoddam extrui propter fluuium, & vxorem cotidie cibum lintri imponere, & hanc ſecundum fluuium ad aggerē dimittere iuſſit, donec linter vna cū cibo intacto infra aggerem in fluuio conſpecta fuiſſet: hoc enim ſignum futurum mortis ſuæ, neq; eſſe cur deinceps cibos ſibi mitteret. Ipſi quidem mulieri adminiſtratione reipub. cōmiſſa, id quod reliquum vitæ fuit hoc modo traduxit Pythius. At illa & præfuit magna cum laude ciuitati,& onera ciuium remouit, laxauitq; ſeruitutem ſubditorum, vt non in opulentia & diuitiis tantùm, ſed

amore

amore etiam & caritate omnium illa viue ret atque regnaret.

NARRATIONES

Aeſopicæ ab alijs autoribus deſcriptæ.

*E*T S I *ſtatueramus, fabulas hoc tem pore illas tantum emittere quæ à nobis conſcriptæ eſſent, cuius conſilij rationem ſupra etiam expoſuimus: tamẽ, ne quid præteritũ, quo facto opus eſſet, à nobis videretur, curauimus & alias quaſdam veterum potiſſimum autorum narratiunculas Aeſopicas, his à nobis expoſitis, adiungi.*

Ex Liuio.

Diſſidium ventris & membrorum corporis humani. ex libro 2.

AGRIPPA intromiſſus in caſtra, priſco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud quàm hoc narraſſe fertur. Tempore, quo in homine, non vt nunc omnia in vnum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat,



fuerat, indignatas reliquas partes, ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quàm datis voluptatibus frui: conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa vna membra totúmque corpus ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe, nec magis aliquam alere eũ, reddentem in omnes corporis partes, hũc, quo viuimus vigemúſque diuiſum pariter in venas, maturum confecto cibo ſanguinem. Comparando hinc, quàm inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominum.

Carnes

NARRAT apud eundem autorem libro 35. bellam fabulam Quintius. Eſt, inquit, res ſimilima cœnæ Chalcidenſis hoſpitis mei, hominis & boni & ſciti conuiuatoris: apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti cùm miraremur, vnde illi eo tempore anni tam varia & tam multa venatio? homo, non (quàm iſti ſunt) glorioſus, renidens, condimentis ait varietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſue factam. Hoc dici aptè in copias regis, quæ paulo ante iactatæ ſunt, poſſe, & in varia genera armorum & multa nomina gentium inauditarum, Dacas enim, & Medos, & Caduſios, & Elimæos viros omnes eſſe, haud paulo mancipiorum melius propter ſeruilia ingenia quàm militum genus.

Hoc in copias regis Antiochi aptè tum Quintius intorſit: ſed dici in omnem vanam gloriationem & iactantiam poteſt, ita vt Teutones ſimili ferme intellectu aiunt, Non eſſe corium ſeu cutem diuerſam.

Ex Gellio. De caſſita, ex libro illius 2. cap. 29.

ÆSOPVS ille è Phrygia fabulator, haud

haud immerito ſapiens exiſtimatus eſt, cùm quæ vtilia monitu ſuaſuq; erant, non ſeuerè, non imperiosè pręcepit & cenſuit, vt Philoſophis mos eſt, ſed feſtiuos delectabiléſque apologos commentus, res ſalubriter, ac proſpicienter animaduerſas, in mentes animóſque hominum cum audiendi quadam illecebra induit, velut hęc eius fabula de auiculæ nidulo lepidè atq; iucundè præmonet, ſpem fiduciámque rerum, quas efficere quis poſſit, haud vnquã in alio, ſed in ſemetipſo habendam. Auicula, inquit, eſt parua, nomẽ eſt Caſſita, habitat nidulatúrque in ſegetibus, id ferme temporis, vt appetat meſſis, pullis iam iam plumantibus: ea Caſſita in ſementes forte conceſſerat tempeſtiuiores, propterea frumentis flaueſcentibus, pulli etiã tunc inuolucres erant. Cùm igitur ipſa iret cibum pullis quæſitum, monet eos, vt ſi quid ibi rei nouę fieret diceretúrue, animaduerterent, idque vti ſibi, vbi rediſſet, nunciarent. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſcentem vocat, &, Vidéſne, inquit, hæc ematuruiſſe, & manus iam poſtulare? iccirco die craſtino, vbi primùm diluculabit, fac amicos adeas, & roges veniant operámque mutuam dent, & meſſem hanc nobis adiuuent. Hæc ille vbi

dixit,

dixit,diſceſſit:atque vbi rediit Caſſita,pulli trepiduli circumſtrepere, oraréque matrem,vt ſtatim iam properet, atque alium in locum ſeſe aſportet, nam dominus, inquiunt,miſit,qui amicos rogaret, vti luce oriente veniant & metant. Mater iubet eos à metu otioſos eſſe:ſi enim dominus, inquit,meſſem ad amicos reiicit, craſtino ſeges non metetur, neque neceſſe eſt hodie vti vos auferam.Die igitur poſtero mater in pabulum volat, dominus quos rogauerat operitur: ſol feruit,& fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rurſum ad filium, Amici iſti, inquit, magnam in partem ceſſatores ſunt, quin potius imus, & cognatos,affines,vicinóſque noſtros oramus, vt adſint cras tempori ad metẽdum? Itidem hoc pulli pauefacti matri nunciãt. Mater hortatur,vt tum quoque ſine metu ac ſine cura ſint:cognatos affinéſque nullos ferme tam eſſe obſequibiles ait, vt ad laborem capeſſendum nihil cunctẽtur,& ſtatim dicto obediant.Vos modò, inquit, aduertite,ſi modò quid denuo dicetur.Alia luce orta, auis in paſtũ profecta eſt:cognati & affines operam,quam dare rogati ſunt,ſuperſedent. Ad poſtremum igitur dominus filio,Valeant,inquit, amici cum propinquis:afferes prima luce falces duas,

vnam

vnam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum noſmetipſi manibus noſtris cras metemus. Id vbi ex pullis dixiſſe dominum mater audiuit. Tempus, inquit, eſt cedendi & abeundi, fiet nunc dubio procul quod futurũ dixit: in ipſo enim vertitur, cuia eſt res, non alio, vnde petitur. Atque ita Caſſita nidum migrauit, & ſeges à domino demeſſa eſt. Hæc quidem eſt Æſopi fabula, de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud ſanctiores libri philoſophorum mónent, quàm vt in nobis tantùm ipſis nitamur, alia autem omnia, quæ extra nos, extráque noſtrum animum ſunt, neque pro noſtris, neque pro nobis ducamus? Hunc Aeſopi apologum Q. Ennius in ſatyris, ſcitè admodum & venuſtè verſibus quadratis compoſuit: quorum duo poſtremi iſti ſunt, quos habere cordi & memoriæ operæ precium eſſe hercle puto.

Hoc erit tibi argumẽtum ſemper in prõptu ſitũ,
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poſſis.

Leo hoſpes hominis, & Homo medicus leonis, ex libro 5. cap. 14.

Appion, qui Polyhiſtor appellatus eſt, literis

literis homo multis prædicus, rerúmque græcarum plurima atque varia ſcientia fuit. Eius libri non incelebres feruntur, quibus omnibus ferme, quæ mirifica in Aegypto viſuntur audiuntúrque, hiſtoria compræhendit. Sed in iis, quæ audiſſe, vel legiſſe ſeſe dicit, fortaſſe à vitio ſtudióque oſtentationis fit loquacior: eſt enim ſanequam in prædicandis doctrinis ſuis venditator. Hoc autem, quod in libro Aegyptiacorum quinto ſcripſit, neque audiſſe, neq; legiſſe, ſed ipſum ſeſe in vrbe Roma vidiſſe oculis ſuis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis ampliſſimę pugna populo dabatur: eius rei, Romæ cùm forte eſſē, ſpectator, inquit, fui. Multæ ibi ſæuientes feræ magnitudine beſtiarum excellentes, omniumq; inuſitata aut forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia leonum, inquit, immãitas admirationi fuit, prætérq; omneis cæteros, vnius. Is vnus leo corporis impetu, vaſtitudine, terrificóque fremitu & ſonoro, toris, comíſque ceruicum fluctuantibus, animos oculóſque omniũ in ſeſe conuerterat. Introductus erat inter complureis cæteros ad pugnam beſtiarũ Dacus ſeruus viri conſularis: ei ſeruo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo vbi vidit procul, repente, inquit, quaſi admirans

nn ſtetit,

ſtetit,ac deinde ſenſim atque placidè,tanquã noſcitabundus ad hominem accedit: tum caudam more atq; ritu adulantium canum clementer & blandè mouet,hominíſque ſeſe corpore adiungit, cruráque eius & manus prope iam exanimati metu,lingua leniter demulcet.Homo Androdus inter illa tam atrocis ferę blandimenta amiſſum animum recuperat,paulatímque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quaſi mutua recognitione facta,lætos(inquit) & gratulabũdos videres hominẽ & leonem Ea re prorſus tam admirabili,maximos populi clamores excitatos dicit:arceſſitúmque à Cæſare Androdum, quæſitamq́; cauſſam,cur ille atrociſſimus leonum vni parſiſſet? Androdus rem mirificam narrat,atque admirandam:Cùm prouinciam,inquit, Africam proconſulari imperio meus dominus obtineret,ego ibi iniquis eius & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus,& vt mihi à domino terræ illius præſide tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum ſolitudines cõceſſi: ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum ſole,inquit, medio,rapido & flagranti, ſpecum quandam nactus remotam, latebroſámque, in eam me penetro & recondo.

neque

neque multo poſt ad eandem ſpecum venit hic leo debili vno & cruento pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumq; vulneris commiſerantia: atque illic primo quidem conſpectu aduenientis leonis territum ſibi & pauefactum animum dixit: ſed poſtquam introgreſſus, inquit, leo, vti re ipſa apparuit, in habitaculum illud ſuum, videt me procul deliteſcentem, mitis & manſuetus acceſſit, & ſublatum pedem oſtendere mihi, & porrigere, quaſi opis petendæ gratia, viſus eſt. Ibi, inquit, ego ſtirpem ingentem veſtigio pedis eius hærentem reuulſi, conceptamq; ſanié vulnere intimo expreſſi, accuratiusq; ſine magna iam formidine ſiccaui penitus, atq; deterſi cruorem. Ille tunc mea opera & medela leuatus, pede in manibus meis poſito recubuit, & requieuit. Atq; ex eo die triennium totum ego & leo in eadem ſpecu, eodémque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat, quæ ego, ignis copiam non habens, ſole meridiano torrens edebam. Sed vbi me, inquit, vitæ illius ferinæ iam pertæſum eſt, leone in venatum profecto, reliqui ſpecum, & viam ferme tridui permenſus à militibus viſus apprehenſusq; ſum, & ad dominum ex Africa Ro-

mam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum, dandumq; ad beſtias curauit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc ſeparato captum, gratiā nunc mihi beneficij & medicinæ referre. Hæc Appion dixiſſe Androdum tradit, eáque omnia ſcripta circumlatáque tabella populo declarat. Atque ideo cunctis petentibus dimiſſum Androdum, & pœna ſolutū, leonémque ei ſuffragiis populi donatum. Poſtea, inquit, videbamus Androdum, & leonem loro tenui reuinctum, vrbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdū, floribus ſpargi leonē, omnéſq; fere vbiq; obuios dicere: hic eſt leo hoſpes hominis, hic eſt homo medicus leonis.

De Arione & Delphino hiſtoria trāſlata ex primo lib. Herodoti, expoſita ab eodē autore lib. 16. ca. 19.

CELERI admodum & coibili oratione, vocúmque filo tereti & candido, fabulam ſcripſit Herodotus ſuper fidicine illo Arione. Vetus, inquit, & nobilis Arion cantator fidibus fuit. Is loco & oppido Methymnæus, terra atque inſula omni Leſbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi, Periander amicum amatúmque habuit artis



artis gratia. Is inde à rege proficiſcitur, terras inclitas Siciliam atque Italiam viſere. Vbi eò venit, auréſq; omnium mentéſque in vtriuſque terræ partibus demulſit, in quæſtibus iſtic, & voluptatibus amoribúſque hominum fuit. Is tum poſtea grandi pecunia & re bona multa copioſus, Corinthum inſtituit redire. Nauem igitur, & nautas, vt notiores amicioréſque ſibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto nauique in altum prouecta, prædæ pecuniæque cupidos cepiſſe conſilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam, cæteraq; ſua vt haberent, dediſſe, vitam modò ſibi vt parcerent, orauiſſe. Nautas precum eius harum commiſer-

iũ eſſe illatenus, vt ei necẽ afferre per vim ſuis manibus temperarent: ſed imperauiſſe, vt iam ſtatim coram deſiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, ſpe omni vitæ perdita, id vnum poſtea orauit, vt prius quàm mortem oppeteret, induere permitterent ſua ſibi indumenta, & fides capere, & canere carmen caſus illius ſui conſolabile. Feros & immanes nauitas prolubium tamen audiendi ſubit. Quod orauerat, impetrat, atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, ſtansq; in ſummæ pupis foro, carmen, quod Orthiũ dicitur, voce ſublatiſſima cantauit: ad poſtrema cantus cum fidibus, ornatúque omni, ſicut ſtabat canebátque, eiecit ſeſe procul in profundũ. Nautæ haudquaquã dubitantes quin periſſet, curſum, quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repente inter vndas adnauiſſe, & dorſo ſuper fluctus edito vectauiſſe, incolumíque eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicam deuexiſſe. Tum Arionem prorſus ex eo loco Corinthum petiuiſſe, talémque Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, ſeſe obtuliſſe, eíque rem, ſicuti acciderat, narrauiſſe. Regem iſthæc parum credidiſſe, Arionem

quaſi

quaſi falleret, cuſtodiri iuſſiſſe. Nauitas requiſitos, ablegato Arione, diſſimulanter interrogaſſe, ecquid audiſſent in iis locis, vnde veniſſent, ſuper Arione? Eos dixiſſe, hominem cùm inde irent in terra Italia fuiſſe, cúmque illic bene agitare, & ſtudiis delectationibusq; vrbium florere, atque in gratia, pecuniáque magna fortunatum eſſe. Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus ſe in ſalum eiaculauerat, exſtitiſſe. Nautas ſtupefactos conuictóſque ire inficias non quiſſe. Eam fabulam dicere Leſbios & Corinthios, atq; eſſe fabulæ argumentum, quòd ſimulacra duo ahenea ad Tænarum viſerentur, Delphinus vehens, & homo inſidens.

Ex Lamia Politiani.

De Auibus & Noctua.

AVES olim prope vniuerſæ noctuam adierunt, rogarúntque eam, ne poſthac in ædium cauis nidificaret, ſed in arborum potius ramis, atq; inter frondes, ibi enim vernari ſuauius. Quin eidem quercum modò enatam, puſillam, tenellamq; adhuc oſtendebant: in qua ſcilicet molliter vt aiebant, & ſidere ipſa aliquando noctua,

& ſuum ſibi conſtruere nidum poſſet. At illa facturam ſe negauit. Quin inuicem cõſilium dedit iis, ne arbuſculæ illi ſe crederent: laturam enim quandoque eſſe viſcum, peſtem videlicet auium. Cõtempſere illæ (vt ſunt leue genus & volaticum) ſapientis vnius noctuæ conſilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam frondoſa erat. Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, laſciuiunt, ſubſultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea viſcum protulerat, atque id homines animaduerterant. Implicitæ ergo repentè omnes ibi pariter miſellæ, ac fruſtra eas ſera pœnitentia ſubiit, quòd ſalubre illud conſilium ſpreuiſſent. Atq; hoc eſſe aiunt, cur nunc aues omnes, vbiubi noctuam viderint, frequentes eam quaſi ſalutant, deducunt, ſectantur, circumſidunt, circumuolitãt. Etenim conſilij illius memores, admirantur eam nunc, vt ſapientem, ſtipantq; denſa caterua, vt videlicet ab ea ſapere aliquando diſcant: ſed opinor fruſtra, immo verò etiam interdum cum magno ipſarum malo. Nam veteres illæ noctuæ reuera ſapientes erant: nunc multæ noctuæ ſunt, quæ noctuarũ quidem plumas habent, & oculos, & roſtrum, ſapientiam verò non habent.

Bene monentis conſilia ne ſpernas, hac fabula docet.

De Aranea & Podagra, Nicolai Gerbellij elegantiſsima fabula.

ARANEA paululum à texendo opere quietior, animi relaxandi gratia commodum deambulabat. Huic ſe obuiam præbuit podagra, tametſi paſſibus ambiguis admodum ægrè illam aſſequeretur. Eius diei itinere vtcunque emenſo, non longè aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolæ Tichæ nomen indiderant. Vtrique conſilium fuit, conditionis ſuæ hoſpitem perueſtigare. Arenea non maximopere data opera, in opulenti cuiuſdam ciuis ædes diuertit. Inibi quaquauerſum telas ſuas præpandebat, prætendebatq́; retia, aderãt illico neſcio qui trygodæmones, qui textrinam illius demoliebantur. Momẽtaneum itaque erat ipſius, quo etiamnum cumque ſe verteret, ædificium. Nuſquam etenim ſcopariorũ oculatas ſcopas poterat effugere. Miſera planè, quæ in tanta rerũ omnium affluentia ſola egebat, proturbabaturque. Podagra verò mendicabuli inſtar vix tandem egeſtoſi cuiuſpiam tuguriolum impetrarat. In id

loci cùm decubuiſſet, nihil nō experiebatur miſeriarū. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, aridis vix faucibus hianti hydropoterium. Iamq; diurno itinere laſſeſcenti, thorus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, ſed prætenuibus palis inſternebatur. Atqui dicere nō eſt huius inſtituti, quàm conuenerint male membris mollibus, cuticulæ (vt ita dixerim) holoſericæ ſtragula tam dura, tam barbari villi. Oriente igitur vix tandem illo auguſto ſidere, quod exaudit, quod intuetur omnia: conuenere rurſum aranea ſimul & podagra: Prior arenea præteritæ noctis moleſtias, tot locorum cōmutationes denarrat. Nunc heri exprobrans mundiciem, nunc nimiam ſcopariorum obſeruātiam. Podagra cōtra de hoſpitis ſui egeſtate complura cōminiſcitur, nec otium habet demonſtrare araneę liuidas vibices, quas adamātina fulcra tenellæ cuticulæ impreſſerant. Conſilium ineunt, araneam deinceps pauperum tuguria, podagram verò diuitum aulas debere ſubingredi: in hanc aranea pedibus, podagra animis vadit ſentētiam. Veruntamen tenebris iamiam increſcentibus, vrbi cuipiam ſeſe approximant: podagra inſtituti non immemor, pedetentim ſe in numoſi cuiuſdam domum illatebrauit.

tebrauit. Qua cõmodum ab hero conſpecta, dij boni qua beneuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur. Supponũtur ſubſtruunturq; olorinæ culcitræ, thoralia perdicum ſubalaribus plumis referta. Taceo vinum dulce, vinum nigrum, Leſbium, Surrentinum, taceo ficedulas, phaſianos, atq; eas auiculas, quæ binis ſuperbiunt cordibus. In ſumma nihil delitiarum, nihil voluptatũ non exhauriebat. Aranea pauperis caſam ingreſſa, telas orditur, quaquauorſum parietes interpatẽt, retia ſuſpendit. Orbiculari operi manibus pedibusq; incumbit. Reficit abrupta, perficit intercepta, & vt dicã breuiter, vacua dominatur in aula. Nullas inſidias, nullius formidat inſultus: imo verò etiam iam ſcopis ſuperior omnibus. Non multo poſt podagra araneam conuenit, delicias ſuas, felicitatem, fortunas ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium ſuum, ædificandi texendique libertatem. Placuit tandem hæc vtriſque ſententia: Quorſumcunque proficiſcerentur, podagram in diuitum domos, araneam in pauperum tuguria debere diuertere.

Apologus hic, tametſi ad vſus varios accommodari queat: id tamen imprimis declarat, alium alio

loco

Gibboſi in pectus coëuntes, verum ſuperne
Acuminatus erat capite, tenuisq́; excreuerat coma.

Folio 26. epigramma Epicteti, ex Gellij libro 2. capite 18.

δοῦλος ἐπίκλητος γενόμην καὶ σώματι πηρός
καὶ πενίην ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Seruus Epictetus fui & corpore læſus
Et paupertate Irus, & carus immortalibus.

Ibidem, verſus tranſlati de ὀδ. θ.

οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγο-
ρητύν.
ἄλλος μὲν γάρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ,
ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει, οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν, ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν,
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς εἰσορόωσιν.
ἄλλος δ' αὖ εἶδος μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισιν,
ἀλλ' οὔ οἱ χάρις ἀμφιπεριστρέφεται ἐπέεσσιν.

Ita non cunctis dij gratioſa dant
Hominibus, neq; ingeniū neq; animos neq; orationem,
Alius enim forma futilior eſt homo
Sed deus formam verbis redimit, alijq́; in eum
Voluptate capti oculos vertunt, At ipſe inoffenſe dicit
Pudore ſuaui, interq́; præſtat congregatos,
Euntemq́; per oppidum deum quaſi ſpectant.
Alius autem ſpecie quidem dijs æquiparandus
Verum haud illi gratia circumuertitur in verbis.

Folio 28. prouerbium ἀσώπιος φόρτος indicatur ab Euſtathio ὀδ. χ. vbi non panes ſed μάζαι τρωκταὶ memorantur.

Folio 30. verſus de Euripide adducti, quos expoſuit Planudes:

πολλαὶ μὲν ὀργαὶ κυμάτων θαλαττίων,
πολλαὶ δὲ ποταμῶν, καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί·
δεινὸν δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία,
πλὴν οὐδὲν οὕτω δεινὸν, ὡς γυνὴ κακή.
Multæ quidem iracundiæ fluctuum marinorum,
Multaq́; fluuiorum, & ignis calidi flatus.
Grauis autem paupertas, grauiaq́; alia innumerabilia,
Verum nihil ita graue, vt mulier mala.

Iouis & Iunonis diſſidium & in gratiam reditum ἐφυσιολογήσατο Plutarchus, vt retulit Euſebius in librum tertium παρασκευῆς.

Folio 35. Heſiodi verſus.

γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
Lingua certe theſaurus inter homines optimus
Parcæ, plurima autem gratia moderate procedentis.

Ibidem memorantur græca γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ὀρθώσουσα καὶ πόλιν ἀνατρέψουσα, quæ ad verbum ita poſſunt conuerti, Lingua quo vadis? Ciuitatem erectura, & ciuitatem euerſura.

Eolio 39. verſus Eubuli ex Athenæi libro 2.

τρεῖς γὰρ μόνον κρατῆρας ἐγκεραννύω
τοῖς εὖ φρονοῦσι, τὸν μὲν ὑγείας ἕνα,
ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι, τὸν δὲ δεύτερον
ἔρωτος ἡδονῆς τε, τὸν τρίτον δ' ὕπνου,
ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
οἴκαδε βαδίζουσιν. Ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι
ἡμέτερός ἐστ' ἀλλ' ὕβρεως, ὁ δὲ πέμπτος βοῆς.
ἕκτος δὲ κώμων, ἕβδομος δ' ὑπωπίων.

ὄγδοος

ὄγδοο͂ς δ᾽ ἢ κλητόρων, ὁδ᾽ ἔννατος χολῆς,
δέκατος δ᾽ ἢ μανίας, ὥστε καὶ βάλλειν ποιεῖ,
πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθεὶς
ὑποσκελίζει ῥᾶστα τοὺς πεπωκότας.

Tres enim ſolummodo crateras miſceo
Rectè ſapientibus, ſanitatis quidem vnum,
Quem primum ebibunt. Secundum verò
Amoris voluptatisq́. Tertium autem ſomni
Quem cum hauſerunt ſapientes inuitati
Domum eunt. At quartus non magis
Noſter eſt, ſed contumeliæ. ſed quintus clamoris.
Sextus comeſſationum Septimus ſuggillationum.
Octauus autem teſtium. nonus bilis,
Decimus furoris, qui & vt feriant facit.
Multum enim in vnum paruum vas profuſum
Sternit ſubductis pedibus facilè potos.

Folio 43. De theſauro inuento, Græcorum elegantia & vetuſtas exprimi latinis non potuit, quare illa huc aſſumentur, id quod cuilibet volenti in promptu futurum eſt, cum illa Planudis hiſtoriola nihil ſit vulgatius.

Folio 47. verſus Æſchyli in fabula quæ inſcribitur ἑπτὰ ἐπὶ θήβας de Amphiarao: οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ᾽ εἶναι θέλει.

Fol. 53. de græcis epigrãmatis ἀγχεθὲν σχολαστικοῦ:
εὖγε ποιῶν Λύσιππε γέρον σικυώνιε πλάστα,
δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ σαμίου
ἑπτὰ σοφῶν ἔμπροσθεν, ἐπεὶ κεῖνοι μὲν ἀνάγκην
ἔμβαλον, οὐ πειθὼ φθέγμασι τοῖς σφετέροις.
ὅσδε σοφοῖς μύθοις καὶ πλάσμασι καίρια λέξας,
παίζων ἐν σπουδῇ πείθει ἐχεφρονέειν.
φευκτὸν δ᾽ ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. ἡ σαμίου δὲ

τὸ γλυκὺ τοῦ μύθου καλὸν ἔχει δέλεαρ.

Rectè faciens, Lyſippe ſenex Sicyonie fictor
Imaginem Aeſopi ſtatuiſti Samij
Septem ſapientes ante. Nam illi quidē neceſſitatem
Iniecerunt, non ſuadelam dictis ſuis.
Hic verò ſapientibus fabulis & figmentis opportunè locutus
Ludens ſeriò docet ſapere.
Fugienda autem eſt aſpera præceptio. Samij autem
Suauitatem fabulæ gratam habet eſcam.

Folio 54. locus Platonis eſt in Protagora.

Folio 55. Ex Laërtij Thalete.

ἔκγονε μιλήτου τρίποδος πέρι φοῖβον ἐρωτᾷς;
τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος; τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

Edite Mileto tripodis cauſſa Phœbum interrogas,
Quis ſapientia primus? Huius tripodem aio.

Folio 56. Iambi σκάζοντες.

Θαλῆς με τῷ μεδέοντι Νείλεω δήμου
δίδωσι τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον.

Tales me regnanti Nilei populo,
Dat hoc bis cum accepiſſet præmium virtutis.

Significatur autem Didymæus Apollo Mileſiorum, quæ Colonia fuit Ionum, deducta à Nileo Codri filio. Et paulò ante, prouerbium indicatum alter Thales, Græcis eſt ἄνθρωπος θαλῆς.

Folio 56. Qui ſit beatus qui fortunatus diſſerit Solon apud Crœſum libro primo Herodoti.

Folio 58. Verſus Græci interpretatio:

θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρονῆς ὑπέρθεα.

Et ibidem oraculi verſus.

δίζημαι πολύϊδρον ἑνὸς κήρυκος ἀκοῦσαι.

Folio 62. Verſus Heſio. & Hom.

Omnia cernens Iouis oculus & omnia conſiderans.

Sol

Solq́, qui cuncta aſpicit & cuncta exaudit.

Fol.eodem Teutonicæ gnomes elegantis mentio fit,quæ ita profertur:

Habe Gott vor augen in allen dingen
So mage dir nimmer miſſelingen.

Folio 64 Sententia Theognidis:

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Bonus etenim ab bona diſces: ſin improbis
Cõmiſtus fueris, perdes etiã præſentem intelligentiam.

Fol.66.Græca citátur ex Euripidis Hippolyto.

ὦ πόλλ' ἁμαρτάνοντες ἄνθρωποι μάτην
τί δὴ μὲν τέχνας μυρίας διδάσκετε,
καὶ πάντα μηχανᾶσθε κἀξευρίσκετε;
ἓν δ' οὐκ ἐπίστασθ' οὐδ' ἐθηράσασθέ πω
φρονεῖν διδάσκειν οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς.

O multum errantes homines fruſtra
Quidnam artes innumerabiles docetis
Et omnia machinamini & inuenitis?
Unum autem non ſcitis neq́, venati eſtis
Sapere docere quibus non ineſt mens.

Item paulò pòſt.Interrogationes quædam mirabiles ex Plutarchi Alexandro, & Demonacte Luciani. Si cui vacat,is licet etiam inſpiciat ſtromateum Clementis ſextum.

Folio 67. Griphus Theodectis ex Athenæo de vmbra.

τῆς φύσεως ὅσα γαῖα φέρει τροφὸς, ἠδ' ὅσα πόντος
οὔτε βροτοῖσιν ἔχει γυίων αὔξησιν ὁμοίαν.
ἀλλ' ἐν μὲν γενέσει πρωτοσπόρῳ ἐστὶ μεγίστη
ἐν δὲ μέσαις ἀκμαῖς μικρὰ, γήρᾳ δὲ πρὸς αὐτῷ
μορφῇ καὶ μεγέθει μείζων πάλιν ἐστὶν ἁπάντων.

Natura quotquot tellus fert nutrix, & quot mare
Neq; mortalibus habet membrorũ augmentũ ſimile
Sed in generatione primiſatrice eſt maximo.
In medijs autem vigoribus parua, ſenectam autem iuxta ipſam
Specie & magnitudine maior rurſum eſt omnium.

Fol.68. Eiuſdem dies & nox.

εἰσὶ κασίγνηται διτταὶ ὧν ἡ μία τίκτει
τὴν ἑτέραν, αὐτὴ δὲ τεκοῦσα πάλιν γ' ὑπὸ ταύ-
της τεκνοῦται.

Sunt ſorores duæ quarum vna parit
Alteram, ipſaq; cum pepererit rurſum quidem ab iſta
Procreatur.

Aenigma anni & menſiũ Cleobuli ex Laërtio.

εἷς ὁ πατήρ. παῖδες δὲ δυώδεκα. τῶν δὲ δ' ἑκάστῳ
παῖδες τριήκοντα διχάνδιχα εἶδος ἔχουσαι,
αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι,
ἀθάνατοι δέ τ' ἐοῦσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπαντες.

Vnus pater, filij autem duodecim. Horum vnicuique
Filiæ triginta, diuerſimodi formam habentes.
Aliæ enim albæ ſunt viſu, aliæ vero nigræ,
Immortales autem cum ſint, intereunt omnes.

Fol.70. Oraculum ex primo libro Herodoti.

οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θα-
λάσσης
καὶ κωφοῦ ξυνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω,
ὀδμή μ' ἐς φρένας ἦλθε κραταιρίνοιο χελώνης
ἑψομένης ἐν χαλκῷ ἅμ' ἀρνείοισι κρέασιν
ᾗ χαλκὸς μὲν ὑπέστρωται, χαλκὸν δ' ἐπίεσται.

Noui autem ego arenæ numerũ & menſuras maris
Et mutum intelligo & non loquentem audio.
Odor mihi in animos venit cũ corio duro teſtudinis

Quæ

Quæ coquitur in aheno cum agninis carnibus,
Cui as quidẽ ſubſtratũ eſt, as autem ſuperpoſitũ eſt.

Folio 78. hæc leguntur in libro Plutarchi cuius titulus eſt πολιτικὰ παραγγέλματα.

Ibid. Ex Laërtij Socrate.

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι
μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Aeſopus quondam dixit Corinthiacum oppidum colentibus,
Non iudicandum eſſe de virtute ſecundum popularis iuris ſapientiam.

Paulò antè, folio 75. citatur Plutarchi libellus Præceptorum ciuilium. & fol. 77. Aeſopicus ſanguis & Aeſopica vltio.

Fol. 80. & deinceps gręca ex Ariſtophane tranſlata hæc ſunt:

Αἴσωπον ἀπὸ δείπνου βαδίζονθ' ἑσπέρας
θρασεῖα καὶ μεθύση τις ὑλάκτει κύων.
κἄπειτ' ἐκεῖνος εἶπεν, ὦ κύον κύον
εἰ νὴ Δί' ἀντὶ τῆς κακῆς γλώττης πόθεν
ἄρτους πρίαιο, σωφρονεῖν ἄν μοι δοκεῖς.

Aeſopum à cœna euntem veſperi
Audax & ebrioſa quædam allatrabat canis.
Et deinde ille dixit, ô canis canis,
Si per Iouem pro mala lingua alicunde
Panes emeres, cordata eſſe mihi videreris.

Et poſtea.

Λᾶσός ποτ' ἀντεδίδασκε καὶ Σιμωνίδης
ἔπειθ' ὁ Λᾶσος εἶπεν ὀλίγον μοι μέλει.

Laſus aliquando docuit contra Simonidem,
Deinde Laſus dixit parum mihi curæ eſt.

Hunc Laſum referunt in tempora ſeptem ſapientum aliqui. Fuit Hermionenſis, vir doctus &

ingenioſus. Fallacias verborum introduxiſſe putatur. Illa autem contentio Muſicæ & doctrinæ intelligenda: nam Poëtę ſua ſcripta cum edebant, dicebantur διδάσκειν. Vnde & κωμῳδιδάσκαλοι & τραγῳδιδάσκαλοι. Deinde:

ἀνὴρ συβαρίτης ἐξέπεσεν ἐξ ἅρματος,
καί πως κατεάγη τῆς κεφαλῆς μέγα σφόδρα,
ἐτύγχανε γὰρ οὐ τρίβων ὢν ἱππικῆς·
κἄπειτ' ἐπιστὰς εἶπεν ἀνὴρ αὐτῷ φίλος·
ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Homo Sybarita excidit ex curru.
Et fortè vulnus accepit capitis magnum valde.
Erat enim haud exercitatus ille in re equeſtri.
Et deinde aſſiſtens dixit homo illi amicus,
Faciat aliquis quam quiſque norit artem.

Et mox.

ἐν συβάρει γυνή ποτε
κατέαξ' ἐχῖνον.
ὁ ἐχῖνος οὖν ἔχων τὴν ἐπιμαρτύρατο,
εἶθ' ἡ συβαρῖτις εἶπεν. εἰ ναὶ τὴν κόραν
τὴν μαρτυρίαν ταύτην ἐάσας, ἐν τάχει
ἐπίδεσμον ἐπρίω, νοῦν ἂν εἶχες πλείονα.

Sybari mulier quondam
Fregit vaſculum.
Vaſculum illud habens quendam, teſtem fecit.
Tum Sybaritis dixit, ſi, per Proſerpinam
Teſtificationem iſtam omittens, celeriter
Faſciam emeres, mentem haberes ampliorem.

Fol. 96. Pares cum paribus congregari dicitur, ſecundum homeri ſententiam, ἤ.ρ.

ὡς ἀεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Item Platonicam γνώμην ἐ. φίλεῖται πως πᾶς τις πρὸς τὸν

τὸν κατὰ φύσιν ὁμοιότατον.
Sic ſemper ſimilem ducit deus ad ſimilem.

Legum. VI. fertur ferè vnuſquiſque ad eum qui eſt ipſi natura ſimilimus.

Et paulò antè expoſitus verſus Homericus ex Odyſſeæ libro IX.

Quandoquidē illi pulcra filia, ſed mente nō prædita.

Fol.97. ex Demoſth. orat. πρὸς ἐπιστολὴν φιλίππου. ὡς ἅπας μὲν ἐστὶ λόγος μάταιος πράξεων ἄμοιρος γιγνόμενος. Ad Epiſtolam Philippi. Nam omnis eſt oratio inanis, expers rerum quæ fuerit.

Fol.100. *Multa autem præter ſpem efficiunt dij.*
Et opinata non fuerunt perfecta.
Inopinatorum autem copiam, reperit deus.

Ibidem Panuceos boues, vel de pomis panuceis, quæ celerrime corrugata marceſcere ſcribit Plinius, vel de panniculis conſutos. In græco ſunt ſiliginei boues.

Folio 103. Ex Antigona.

φεύγουσι γάρ τοι χοἰ θρασεῖς, ὅταν πέλας
ἤδη τὸν ᾅδην εἰσορῶσι τοῦ βίου.
Fugiunt etenim etiam audaces cum prope
Iam orcum intuentur vitam.

Fol.105. Epicharmi verſus, refertur in libro 2. de dictis Socratis à Xenoph.

τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.
Laboribus vendunt nobis omnia bona dei.

Fol.107. Locus Demoſthenis ex oratione contra Ariſtocratem:

οὐδ' ἔχει τῶν εὖ πραττόντων οὐδεὶς ὅρον οὐδὲ τελευτὴν τῆς τοῦ πλεονεκτεῖν ἐπιθυμίας. διόπερ πολλάκις πολλοὶ μειζόνων ἐπιθυμοῦντες τὰ πα-

ρόντα

ἐρῶντα ἀπώλεσαν.

Neq; habet fortunatorum quiſquam terminum neque finem plura acquirendi cupiditatis, quare ſæpe multi maiora concupiſcentes, præſentia perdiderunt. Ariſtotelis autem ſententia eſt πολιτικῶν. lib. 11. Inſatiabile quiddam eſt improbitas hominum.

Folio 108. Homericus locus Ἰλιάδ. ε.

Fol. 110. ex Demoſthenis oratione περὶ στεφάνου. ὥσπερ ἂν εἴ τις ἰατρὸς, ἀσθενοῦσι μὲν τοῖς κάμνουσιν εἰσιὼν μὴ λέγοι μηδὲ δεικνύοι, δι᾽ ὧν ἀποφεύξονται τὴν νόσον, ἐπειδὴ δὲ τελευτήσειέ τις αὐτῶν, καὶ τὰ νομιζόμενα αὐτῷ φέροιτο, ἀκολουθῶν ἐπὶ τὸ μνῆμα, διεξίοι. εἰ τὸ, καὶ τὸ, ἐποίησεν ἄνθρωπος οὗτοσί, οὐκ ἂν ἀπέθανεν, ἐμβρόντητε εἶτα νῦν λέγεις.

De corona. Quemadmodum ſi quis medicus, infirmis quidem ægrotantibus accedens non dicat neq; demonſtret ea per quę effugerent morbum, vbi verò mortuus aliquis fuerit, & iuſta illi ducantur, ſequens ad monumentum, diſſerat, Si hoc & hoc feciſſet homo iſte, nequaquam mortuus fuiſſet. Attonite, Ergo nunc dicis?

Folio 113. Heſiodea ſententia:

ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Ibidem, de Fibro, quæ retulimus, negat eum facere Dioſcorides, & Plinius lib. 32. cap. 3.

Folio 121. In Sympoſio eſt locus. Vates aliis quidem prædicere futurum, ſibi autem non præuidere imminens.

Folio 125. Ex Aiace; moderatos autem dij diligunt & oderunt malos.

Fo. 137. locus Platon. de Vlyſſe in fine πολιτικῶν.

κατὰ τύχην δὲ τὴν ὀδυσσέως λαχοῦσαν πασῶν ὑστάτην, αἱρησομένην ἰέναι. μνήμη δὲ τῶν προτέρων πόνων φιλοτιμίας λελωφηκυῖαν, ζητεῖν περιιοῦσαν χρόνον πολὺν, βίον ἀνδρὸς ἰδιώτου ἀπράγμονος, καὶ μόλις εὑρεῖν κείμενόν που καὶ παρημελημένον ὑπὸ τῶν ἄλλων, καὶ εἰπεῖν, ὅτι τὰ αὐτὰ ἂν ἔπραξε καὶ πρώτη λαχοῦσα, καὶ ἀσμένην ἑλέσθαι. Id eſt:

Commemorauit & Vlyſſis animæ fortè fortuna poſtremæ omnium obueniſſe, vt eligeret vitam ſibi. Hanc in memoria veterum malorum morbo ambitionis liberatam, quæſiuiſſe longo tempore obeuntem propoſitas vitas, aliquam hominis priuati & minime negotioſi: ac vix inueniſſe tandem abiectam & prætericam ab aliis. Dixiſſe autem cum inſpexiſſet, eandẽ ſe electuram fuiſſe, ſi maximè ſors, vt prima omnium eligeret, obtigiſſet: atque tu' iſſe illam cupide & libenter.

Ad verbum ita. Rerumpublicarum x, Fortè fortuna autem Animã Vlyſſis ſortitam omnium poſtremam electuram proceſſiſſe, Memoria autem priorum malorum ambitione leuatam, quęſiſſe obeuntem longo tempore, Vitam hominis priuati, incurioſi, & vix reperiſſe iacentẽ alicubi & neglectam ab aliis, & dixiſſe, quod eadem feciſſet, etiam prima ſortita, & cupidam accepiſſe.

Folio 149. locus Ariſtophanis ex fabula quæ inſcribitur ἀρήνη:

οὔποτε ποιήσεις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν.
οὐδέποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.

Nunquam facies cancrum recta ingredi
Neque vnquam feceris leuem aſperum erinaceum.

Folio 155. Notandum de Alcedine tradi, incubante

bante illa mare eſſe tranquillum, vt Ouidius quoque indicat Metamor. x i.

Tum via tuta maris, ventos cuſtodit, & arcet
Aeolus egreſſu, præſtatq; nepotibus æquor.

Et dies Alcyoniæ, & Alcedonia, Plauto de ſilentio ac quiete.

Folio 156. locus Ariſtophanis ex fabula cuius inſcriptio ἱππῆς. Sunt autem verſus hipponactei, id eſt, Iambici, tetrametri, catalectici, qualis eſt:
Si quippiam remittant nunc Philumenam dolores.

ὅσπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας.
ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν.
ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν
αἱροῦσι, καὶ σὺ λαμβάνεις ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

Nam quod anguillas venantes, pateris.
Cùm quidem lacus conſtiterit, capiunt nihil.
Si verò ſurſumq; & deorſum cœnum confundant,
Capiunt, & tu accipis ſi ciuitatem turbes.

Folio 159. Obſeruandum cornici tantum auguria attribui, vt aui inauſpicatæ à Marone,
Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.

Folio 171.
Ne mihi fuerit moleſta beata vita
Neque opulentia quæ meam angat mentem.

Fol. 179. Plutarchus præceptis de tuenda valetudine. Bos dicebat conſeruæ camelo, quæ alleuare onus non vellet: At tu mé quoq; & iſta cuncta paulò pòſt portabis. Idq; accidit mortuo ipſo.

Folio 185 Herodoti loca ſubſcripſimus.

ὁ δὲ ἀκούσας αὐτέων τὰ προΐσχοντο ἔλεξέ σφι λόγον: ἄνδρα φὰς αὐλητὴν ἰδόντα ἰχθῦς ἐν τῇ θαλάσσῃ αὐλέειν, δοκέοντά σφεας ἐξελεύσεσθαι εἰς τὴν γῆν. ὡς δὲ ψευσθῆναι τῆς ἐλπίδος,

λαβεῖν

λαβεῖν ἀμφίβληστρον, καὶ περιβαλεῖν τε πλῆθος πολλὸν τῶν ἰχθύων καὶ ἐξερύσαι. ἰδόντα δὲ παλλομένους εἰπεῖν ἄρα αὐτὸν πρὸς τοὺς ἰχθῦς, παύεσθέ μοι ὀρχεόμενοι, ἐπεὶ οὐκ ἐμέο αὐλέοντος ἠθέλετε ἐκβαίνειν ὀρχεόμενοι.

At ille cum audiſſet quæ prætenderant, narrauit eis fabulam. Hominem, inquiens, tibicinem conſpicatum piſces in mari, tibia ceciniſſe, arbitrantem illos egreſſuros in terram. Cum autem falleretur ſpe, accepiſſe rete & comprehendiſſe multitudinem magnam. Dixiſſe igitur ipſum ad piſces, ceſſate mihi ſaltantes, quoniam neque me tibia canente voluiſtis egredi ſaltantes.

Fol.186. Platonis locus in Alcibiade poſteriore, quem tamē aliqui ad Xenophontem autorem retulere. Vbi docet, hanc fuiſſe precationem tam publicam quam priuatam Lacedæmoniorum: *τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι*, id eſt, Bona commoditatibus vt augerent. Atque hanc εὐφημίαν (ita enim nominat) omnium aliorum victimis & ſacris oraculo fuiſſe ait præpoſitam. Ad verbum ita: Honeſta ſeu ſpecioſa, vltra bona deos largiri. εὐφημία autem ſonat bonitatem orationis, id eſt bona verba.

Fo.187. De Iuliano locus eſt apud Theodoretū. *τοῖς οἰκείοις γὰρ, φησὶ, πτεροῖς, κατὰ τὴν παροιμίαν βαλλόμεθα. ἐκ γὰρ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων καθοπλιζόμενοι τὸν καθ' ἡμῶν ἀναδέχονται πόλεμον.*

Propriis enim, inquit, pennis, ſecundum prouerbium configimur. De noſtris enim ſcriptis armati aduerſus nos ſuſcipiunt bellum.

Folio 188. verſus Euripidis notatur:

ἄλλων

ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.
Aliorum medicus ipſe vlceribus ſcatens.

Folio 191. verſus Babrij: Lupus præteribat tecti faſtigium, vnde proſpectans Agnus in ipſum dicebat multa contumelioſè. Et locus Euripidis:

δουλοῖ γὰρ ἄνδρα καὶ θρασύσπλαγχνός τις ᾖ
Οταν συνειδῇ πατρὸς ἢ μητρὸς κακά.

Domat enim hominẽ quãuis forti pectore quiſpiã ſit,
Quando cognouerit patris aut matris mala.

Folio 195. locus Herodoti πολυμνίᾳ.

ὁρᾷς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ θεός, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει. ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα ἀεὶ τὰ μέγιστα καὶ δένδρεα τὰ τοιαῦτα ἀποσκήπτει βέλεα: φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.

Vides vt excellentia animalia fulmine feriat deus, neque ſinat conſpicua eſſe. At parua nihil illum angunt. Vides autem quod in ædificia ſemper maxima & arbores eiuſmodi immittat tela, ſolet enim deus excellentia omnia retundere.

Eadem fermè ſententia elegantibus verſibus comprehenſa apud Euripidem extat Troadibus.

ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω
τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν.

Video deos ſic agere quæ ſunt nullius
Momenti vt extollant, & ardua deſtruant,

Ad verbum.

Video res deorum nam alia extollunt ſurſum
Quæ nihili ſunt, opinionẽ autem habẽtia perimunt.

Folio 201. Ex Homero, qui iura à Ioue ſumpſerunt. Vel, quibus iura à Ioue tradita ſunt. Grammatici interpretantur, ἐρύαται φυλάττουσι, id eſt tenent.

Folio 203. mentio fit græci carminis cuius duo verſus reſpondentes latinis, hi ſunt,

κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοὶ τράγε θυομένῳ. id eſt:

Quamuis me arroſeris ad radicem vſque, tamen adhuc fructum feram
Quātum libando affundatur tibi hirce mactato.

Et paulò antè, folio 151. Fabulam Plutarchus, vbi diſſerit non eſſe pecuniam ſumendam mutuo, ita retulit:

καὶ τὸν τῶν γυπῶν λόγον ἀκούσον· ἐμοῦντος τοῦ ἑτέρου καὶ λέγοντος τὰ σπλάγχνα ἐκβάλλειν, ἕτερος παρὼν καὶ τί δεινὸν εἶπεν; οὐ γὰρ τὰ σεαυτοῦ σπλάγχνα ἐκβάλλεις ἀλλὰ τοῦ νεκροῦ ὃν ἄρτι ἐσπαράττομεν.

Adducit autem contra obæratos, quorum bona jam ſint creditorum.

Etiam vulturum ſermonem audito. Vomente altero & dicente, viſcera ſe eiicere, alter præſens, Et quod malum, inquit? Non enim tua viſcera eiicis ſed cadaueris quod dudum lacerabamus.

Folio 207. locus Platonis in Theæteto.

ὥσπερ καὶ Θαλῆν ἀστρονομοῦντα, ὦ Θεόδωρε, καὶ ἄνω βλέποντα, πεσόντα εἰς φρέαρ, Θρᾷττά τις ἐμμελὴς καὶ χαρίεσσα θεραπαινὶς ἀποσκῶψαι λέγεται, ὡς τὰ μὲν ἐν οὐρανῷ προθυμοῖτο εἰδέναι, τὰ δ' ἔμπροσθεν αὐτοῦ καὶ παρὰ πόδας λανθάνοι αὐτόν.

Quemadmodum & Thaletem ſiderum ſcientiæ intentum, ô Theodore, & ſurſum ſpectantem, delapſum in puteum, Thracia quædam feſtiua, & bella ancillula irriſiſſe fertur, quod cœleſtia

quidem cuperet noſſe, ſed quæ coram ipſo & ante pedes eſſent ea ipſum fugerent.

Folio 214. Plutarchus ita:

τῶν γὰρ ἁληγῶν ἡμιόνων εἷς ἐμβαλὼν εἰς ποταμὸν ὤλισθεν αὐτομάτως, καὶ τῶν ἁλῶν διατακέντων, ἀναστὰς ἐλαφρὸς, ᾔσθετο τὴν αἰτίαν καὶ κατεμνημόνευσεν· ὥστε διαβαίνων ἀεὶ τὸν ποταμὸν, ἐπίτηδες ὑφιέναι, καὶ βαπτίζειν τὰ ἀγγεῖα, συγκαθίζων καὶ ἀποκλίνων εἰς ἑκάτερον μέρος. ἀκούσας οὖν ὁ Θαλῆς, ἐκέλευσεν, ἀντὶ τῶν ἁλῶν, ἐρίων τὰ ἀγγεῖα καὶ σπόγγων ἐμπλήσαντας καὶ ἀναθέντας, ἐλαύνειν τὸν ἡμίονον. ποιήσας οὖν τὸ εἰωθὸς, καὶ ἀναπλήσας ὕδατος τὰ φορτία, συνῆκεν ἀλυσιτελῆ σοφιζόμενος ἑαυτῷ, καὶ τὸ λοιπὸν οὕτω προσέχων, καὶ φυλαττόμενος διέβαινε τὸν ποταμὸν, ὥστε μηδὲ ἄκοντος αὐτοῦ τῶν φορτίων παραψαῦσαι τὸ ὑγρόν.

Nam ſalem portantum mulorum vnus, ingreſſus in fluuium, lapſus fuit fortuito, & ſale liquefacto, exurgens leuis, intellexit cauſſam & meminit: itaque tranſiens ſemper fluuium, de induſtria ſe ſubmittere, & mergere vaſa, ſubſidens & nutans in vtramque partem. Hoc cum audiſſet Thales iuſſit pro ſale velleribus vaſa & ſpongiis complentes & imponentes, agitare mulum. Cum feciſſet igitur ſolitum, & compleſſet aqua onera, ſenſit inutilia ſe machinari ſibi. Et de cætero ita attendens & cauens tranſiit fluuium, vt ne inuito quidem ipſo onera attingeret humor.

Verſuum Græcorum interpretatio: At ille ſolutus laboribus & dolore omni illam feram inhiantem calce ferit, & fugit.

Folio 221. ex Heſiodo.

ἠὼς γάρ τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.
ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δέ τε ἔργου.
Aurora etenim operis tertiam vendicat partem.
Aurora certè præſtat quidem in via, præſtat autem opere.

Folio 222. fabula Aſini & à Pontano refertur in Antonio.

Folio 234. Verſuum Babriæ ſententia eſt:
Egoq́ tenui non abſtinebo gleba,
Subter quã quidẽ hordei grana nihil metuẽs comedo.

Item enuerſa carmina Heroica.
Fecerunt inter ſe ſocietatem mures duo
Non ſimiliter vitam degentes, alter quidem in nouali deſerta
Nutriebatur, alter verò adibus in diuitum nutriebatur hominum.

Præterea Homerica de ιλ ψ.
μήτι τοι δρυτόμος μέγ' ἀμείνων ἠὲ βίηφι,
μήτι δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισι,
μήτι δ' ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο.
Conſilio quidem ligna ſecans multò melior quam vi,
Conſilio etiam gubernator in nigro mari
Nauem celerem dirigit agitatam ventis,
Conſilioq́ auriga ſuperior eſt aurigis.

Folio 244. De hoc partu montis ſic Græci:
ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.
Parturiebat mons, Iuppiterq́ metuebat. at ille peperit murem.

Folio 246. Muſcæ improbitas celebratur ιλ ρ.
ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρὸν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Quæ etiam prohibita admodum cute humana,
Appetit mordere, dulceq; illi ſanguis hominis.

Fol. 260. Ex Aeſchyli Perſis, verſus trochaicus tetrameter catalecticus, vt & latinus.

ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν.

Oculum enim ædium arbitror domini præſentiam.

Plinij autem locus eſt lib. 18. cap. 6. Et Ariſtotelis in Oeconom.

καὶ τὸ τοῦ πέρσου καὶ τὸ τοῦ λίβυος ἀπόφθεγμα εὖ ἂν ἔχοι. ὁ μὲν γὰρ ἐρωτηθεὶς τί μάλιστα ἵππον πιαίνει; ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμὸς ἔφη. ὁ δὲ λίβυς ἐρωτηθεὶς ποία κόπρος ἀρίστη; τὰ τοῦ δεσπότου ἴχνη ἔφη.

Atque tam Perſæ quam Libyis dictum rectè ſe habeat. Alter enim interrogatus, quid maximè equum pinguem reddat? Domini oculus, inquit. At Libys, interrogatus, quodnam ſtercus optimum, Domini veſtigia, inquit.

Folio 261. Ιλιάδ ν.

ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.

At non ſimul vniuerſa poteris ipſe capere.

Fol. 269. Ictin eſſe vt diximus ſilueſtrem muſtelam, Plinius ſcribit, ein iltes, vt videtur. Cuius animantis oſſea pudenda eſſe perhibentur. Galeam autem Dolonis Ιλιάδ. κ. κτιδέην, Ictina pelle obductam, accipiunt, quaſi ἰκτιδέην, κατ' ἀφαίρεσιν.

Fol. 275. ex Melpomena Herodoti de Pheretima.

ὡς ἄρα αἱ λίην ἰσχυραὶ τιμωρίαι πρὸς θεῶν ἐπίφθονοι γίνονται.

Quod ſcilicet nimis vehementes animaduerſiones, à diis odioſæ ſint.

Huius fabulæ initium verſu Heroici generis exponitur à Suida, hoc: ἀπηνὴν ἐλάτην ἴσε ὥς εἰρ ἄν υλα

ἄσυλα φᾶσθαι. id eſt: Excelſam abietem contentio impulit vt improba verba faceret.

Folio 283. ὀδυσ. ν

κάρψε μὲν οἱ χρόα καλὸν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι
ξανθὰς δ' ἐκ κεφαλῆς ὄλεσε τρίχας, ἀμφὶ δὲ δέρμα
πάντεσσι μελέεσσι παλαιοῦ θῆκε γέροντος.
κνίζωσεν δὲ οἱ ὄσσε πάρος περικαλλέ' ἐόντε
ἀμφὶ δέ μιν ῥάκος ἄλλο κακὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα
ῥωγαλέα ῥυπόωντα κακῷ μεμορυγμένα καπνῷ.

Corrugauit illi cutem pulcrã in flexibilibus membris
Flauosq́, ex capite peſſundedit capillos, circumq́,
Cunctis membris antiqui poſuit ſenis,
Contorſitq́, illi oculos prius perpulcri qui fuerant.
Circumq́, illum pannos alios futiles iecit & tunicam,
Lacera, ſordida, malo corrupta fumo.

Ibidem, locus Demoſthenis:

Πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς, τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ὅτι ἂν ὁ θεὸς διδῷ γενναίως.

Finis etenim omnibus hominibus eſt vitæ mors. Etiamſi in arctiſſima ædicula ſeſe aliquis includens cuſtodierit. Decet autem bonos viros aggredi vniuerſa ſemper honeſta, bonam ſpem præferentes, ferre autem quæcunque deus dederit, fortiter.

Folio 288. Prouerbij Ariſtotelici mentio fit:

ἔγνωτε γὰρ φῶρ φῶρα, καὶ λύκος λύκον.

Nouit etenim fur furem, & lupus lupum.

Quod in verſibus ſuis Nazianzenus breuius ita

 extulit

extulit: φῶρα τι φὼρ ἐδάη. Furem fur quoq; nouit.

Folio 295. De ſimio & vulpe. Ferunt Archilochum Parium (qui vixit diu ante ea tempora in quæ confertur ætas Aeſopi, nimirum Gyge regnante in Lydia interfectore domini ſui Candaulis, qui fuiſſet atauus Gygis) fabellas huius generis & ipſum verſibus ſuis compoſuiſſe, atq; vulpeculæ quaſi perſonam imprimis introduxiſſe. Memoratur autem ab Ammonio περὶ διαφορῶν initium fabulæ de vulpis & ſimij congreſſu, haud ſcio an alterius quàm huius noſtræ hoc modo factum:

πίθηκος ᾔει θηρίων ἀποκριθεὶς
  μοῦνος ἀν' ἐσχατιὰν,
τῷ δ' ἆρ ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο
  πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Folio 298. Herodotus οὐρανίᾳ dicit in Macedonia eſſe hortos Midæ Gordiæ filij, in quibus roſæ naſcantur ſingulæ ſexagenorum foliorum, mirabilem in modum odoriferæ. Apud Platonem in Phædro mentio fit Adonidos hortorum, quorum incrementa ſint celerrima. Significari autem apparet ea, quæ à mulieribus in fictilibus vaſis conſeruntur, & aſſidua irrigatione atq; cura ad illam creſcendi celeritatem perducuntur.

Ibidē. De viperis quidem Herodotus θαλείᾳ ita: ἐπεὰν θορνύονται κατὰ ζεύγεα, καὶ ἐν αὐτῇ ᾖ ὁ ἔρσην τῇ ἐκποιήσει, ἀπιεμένου αὐτοῦ τὴν γονὴν, ἡ θήλεα ἅπτεται τῆς δειρῆς, καὶ ἐμφῦσα, οὐκ ἀνίει πρὶν ἂν διαφάγῃ. ὁ μὲν δὴ ἔρσην ἀποθνήσκει τρόπῳ τῷ εἰρημένῳ, ἡ δὲ θήλεα τίσιν τοιήνδε ἀποτίνει τῷ ἔρσενι. τῷ γονεῖ τιμωρέοντα ἔτι ἐν

τῇ γαςρὶ ἐόντα τὰ τέκνα διεσθίει τὴν μήτραν, διαφαγόντα δὲ τὴν νηδύα αὐτῆς οὕτω τὴν ἔκδυσιν ποιεῖται.

Cum commiſcentur per paria, & in ipſa fuerit mas procreatione, emittente eo ſemen, fœmina apprehendit ceruicem, & inhærens non dimittit priuſquam perrodat. Atque mas moritur modo dicto. At fœmina vltionem talem perſoluit mari. Parentem vlciſcentes adhuc in ventre qui ſunt fœtus, peredunt matricem: cúmque perroſerint aluum illius, ita egreſſionem faciunt. Hæc & Galenus ad Piſonem ex Nicandro, qui ideo ἀμήτορας fœtus viperæ, id eſt ſine matre, vocauit: alij autem hæc eſſe vera negarunt, & gignere viuos fœtus viperam, ideóque ita dictam quaſi viuiperam, id eſt ζωοτόκον

Folio 299. verſus ſenarius græcus:

παχεῖα γαςὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

Pinguis venter ſubtilem non parit mentem.

Et verſus Homeri, Non eſt gratia poſt benefacta.

Folio 307. Dictum Cæſaris ita expoſuit Plutarchus inter Apophthegmata illius:

Ἀντώνιον δὲ καὶ Δολαβέλλαν ὑφορωμένων ἐνίων καὶ φυλάττεσθαι κελευόντων, οὐ τούτους ἔφη δεδιέναι τοὺς βαναύσους, καὶ λιπῶντας· ἀλλὰ τοὺς ἰσχνοὺς καὶ ὠχροὺς ἐκείνους, δείξας Βροῦτον καὶ Κάσσιον. Id eſt,

Cum eſſet nonnullis ſuſpectus Antonius & Dolabella, vtq; ab iis caueret, illum monerent, Non hos ſe tabernarios & obeſos metuere dixit: ſed illos macilentos & pallidos, Brutum & Caſſium demonſtrans.

Fo. 309. τοὺς παχεῖς opulẽtos Græci vocãt. Herod.

ἐκράτει, αἰγινητέων δὲ οἱ παχέες ἐπαναστάντος τοῦ δήμου σφὶ, ἅμα νικοδρόμῳ ἐπεκράτησαν.
Aeginetarum opulenti commota aduerſus ipſos plebe cum Nicodromo victores fuerunt.
Ariſtophanes σφηξὶ. καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει τῶν προδόντων τἀπὶ θρᾴκης. Id eſt, Etenim adeſt optimus quidem, de iis qui Thracicas res prodidere.

Folio 312. Ex Herodoti Polymnia:
ἐπίσταμαι δὲ τοσοῦτο, ὅτι εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκήια κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοισι, ἐσκύψαντες ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακὰ, ἀσπασίως ἕκαστοι αὐτίων ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο.
Scio autem tantum, quod ſi omnes homines propria mala in medium conferrent, permutare volentes cum vicinis, intuiti in vicinorum mala, libenter ſinguli illorum auferrent retro quæ attuliſſent. Hæc autem in fabulæ epimythio ſanè paulo aliter referuntur, ſed etiam illa non incommode dici videntur: etſi ſic reddita ſunt illo loco, vt ſententia paulò abducta videatur longius.

Folio 314. Agitati fugientes:
vuer fleuhet den iagt man.

Fol. 322. ἐπινίκιον πρὸ τῆς νίκης ᾄδειν. id eſt, Victoriæ carmen ante victoriam canere. à Græcis repræhenditur, propter dubiam & incertam fortunam belli. iuxta Homerum enim
ξυνὸς ἐνυάλιος καὶ τε κτανέοντα κατέκτα.
Communis Mars, & interficientem interficit.

Fol. 323. Prouerbium græcum, τὴν κατὰ σκυτόν ἕλα. Intelligitur βέμβιξ, id eſt, turbo, qui à pueris agitatur in giros ſcuticis. Verſus autem qui exponitur, de illo Ouidiano factus videri poſſit

Si qua

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Hoc conſuluit Pittacus, de quo & epigramma extat pluribus quidem verſibus: ideóque, & quia de [redacted] adagiis ſumere hoc cuiuis in procliui eſt, aſcriptioni ſuperſedimus.

Folio 325. Verſus Homerici *Ιλιάδ. β.*

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρον ἠδὲ θέμιστας ἵνα σφισὶν βασιλεύσῃ.

Haud bonũ multorũ dominatio. Vnus dominus eſto.
Vnus rex, cui dedit Saturni filius callidi ingenij
Sceptrum atque iura vt his regnet.

Folio 326. Verſus Homericus

Qualecunque dixeris verbum tale & audieris.

Folio 327. Verſus Menandri. Oportet genitos donec vixerint laborare. & 327. Verſus Theognidis, Sæpe enim mentem decipiunt formæ. & Homerici,

Commoda loquentes malè autem animis penitus verſantes,
Quique bene quidem loquuntur malè autem à tergo ſentiunt.

Folio 329. Verſus Heſiodi.

Damnũ malus vicinus vt bonus magnũ adiumentũ.

Fol. 330. Verſus ex primo libro Argonauticon Apollonij, cum elegantiſſimos, tum inſtructionem præcipuam complectentes aſcripſimus:

ζῆθος μὲν ἐπωμαδὸν ἤειρεν
οὔρεος ἠλιβάτοιο, κάρη μογέοντι ἐοικώς.
ἀμφίων δ' ἐπὶ οἱ χρυσέῃ φόρμιγγι λιγαίνων
ἤιε, δὶς τόσση δὲ μετ' ἴχνια νίσετο πέτρη.

Zethus in elatis humeris ingentia ſaxa
Moliri, & capitis niſu alti fragmina montis,

At dulci Amphion cithara bis carmine tantam
Poſt ſua labentem ducit veſtigia rupem.

Ad verbum ita,

Zethus quidem humeris attollebat,
De monte excelſo, caput laboranti ſimilis.
Amphion autem poſt eum aurea cithara inſonans
Ibat, bis tanta autem poſt veſtigia ſequebatur rupes.

Nota autem fabula, Amphiona & Zethum muris cinxiſſe Thebas, filios Iouis & Antiopæ, & de cantu Amphionis ita Horatius quoque fecit:

Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis & prece blanda.

Folio 331. Teutonicum prouerbium:

Es ſind ienſeid des bachs auch leute.

Folio 335. Narratur tale quiddam de Braſida in Laconicis à Plutarcho:

βρασίδας ἐν ἰσχάσι συλλαβὼν μῦν καὶ δηχθεὶς ἀφῆκεν εἶτα πρὸς τοὺς παρόντας, οὐδὲν οὕτως, ἔφη, μικρόν ἐστιν, ὃ οὐ δύναται σώζεσθαι τολμῶν ἀμύνεσθαι τοὺς ἐπιχειροῦντας.

Folio 337. Melanthij dictum Plutarchus in libello de Poëtarum lectione retulit:

ὁ μὲν οὖν Μελάνθιος εἴτε παίζων εἴτε σπουδάζων ἔλεγε, διασώζεσθαι τὴν ἀθηναίων πόλιν ὑπὸ τῆς τῶν ῥητόρων διχοστασίας καὶ ταραχῆς. οὐ γὰρ ἀποκλίνειν ἅπαντας εἰς τὸν αὐτὸν τοῖχον, ἀλλὰ γίνεσθαί τινα τοῦ βλάπτοντος ἀνθολκὴν ἐν τῇ διαφορᾷ τῶν πολιτευομένων.

Melanthius quidem ſiue ludens ſeu ſerio dicens, aiebat conſeruari Athenienſium ciuitatem ab oratorum diſſenſione & turbulentia. Non enim clinare omnes in eundem parietem, ſed fieri aliquam

quam nocentis retractionem in diſſidio gerentium rempublicam.

Folio 338. de certamine inter Pardum & vulpem. Plutarchus in libello, qui quæſtionem continet, vtrum animi an corporis mala deteriora ſint, ita expoſuit:

ἡ μὲν οὖν Αἰσώπειος ἀλώπηξ περὶ ποικιλίας δικαζομένη πρὸς τὴν πάρδαλιν, ὡς ἐκείνη τὸ σῶμα καὶ τὴν ἐπιφάνειαν εὐανθῆ καὶ κατάστικτον ἐπεδείξατο, τῆς δὲ ἦν τὸ ξανθὸν, αὐχμηρὸν καὶ οὐχ ἡδὺ προσιδεῖν, ἀλλ᾽ ἐμοῦ τοι τὸ ἐντὸς ἔφη σκοπῶν, ὦ δικαστὰ, ποικιλωτέραν με τῆσδε ὄψει. Aeſopica quidem vulpes de varietate diſceptans cum pardo, cum hæc corpus & apparentiam floridam & diſtinctam oſtendiſſet, illi autem erat flauum, ſqualidum & non iucundum aſpectu, At mei ſanè interius, inquit, contemplans, ô iudex magis variam hac cernes.

Folio 340. ex Cynico Luciani de adoleſcente & equo.

Πάσχετε δὲ παραπλήσιόν τι, ὅ φασι παθεῖν τινα ἐφ᾽ ἵππον ἀναβάντα μαινόμενον. ἁρπάσας γὰρ αὐτὸν, ἔφερεν ἄρα ὁ ἵππος. ὁ δ᾽ οὐκ ἔτι καταβῆναι, τοῦ ἵππου θέοντος, ἐδύνατο. Καί τις ἀπαντήσας, ἠρώτησεν αὐτὸν, ποῖαν ἄπεισιν; ὁ δὲ εἶπεν· ὅπου τούτῳ δοκεῖ, δεικνὺς τὸν ἵππον. καὶ ὑμᾶς αὖ τις ἐρωτᾷ ποῖ φέρεσθε τἀληθῆ ἐθέλοντες λέγειν, ἐρεῖτε, ἁπλῶς μὲν. ὅπου περ αὖ ταῖς ἐπιθυμίαις δοκεῖ, κατὰ μέρος δὲ, ὅπουπερ αὖ τῇ ἡδονῇ. ποτὲ δὲ, ὅπου τῇ δόξῃ, ποτὲ δὲ αὖ, τῇ φιλοκερδείᾳ. ποτὲ δὲ, ὁ θυμός. ποτὲ δὲ, ὁ φόβος.

ποτὲ

ποτὲ δὲ, ἄλλο τι τοιοῦτον ὑμᾶς ἐκφέρειν φαίνεται.
Accidit vobis ſimile quiddam, quod aiunt acci-diſſe cuidam qui in equum conſcenderat furentem. Raptans enim illum ferebat ſcilicet equus, at hic non magis deſcendere, equo currente, potuit. Et quidā obuiam factus, interrogauit eum, Qua abiret? Ille verò inquit, quo iſti placet, demonſtrans equum. Et vos ſi quis interroget, Quo feramini? vera volentes dicere, inquietis, ſimpliciter quidem, quo cupiditatibus placet, in parte verò quo quidem voluptati, aliquando autem quo gloriæ, aliquando verò rurſum lucri auiditati, aliquādo verò ira, aliquando verò metus, aliquādo verò aliud quid tale vos euehere videtur.

Fol. 341. Ex Phocione Plutarchi.

ἀνὴρ δειλὸς ἐπὶ πόλεμον ἐξήει, φθεγξαμένων δὲ κοράκων τὰ ὅπλα θεὶς ἡσύχασε. εἶτα ἀναλαβὼν αὖθις ἐξήει, καὶ φθεγγομένων πάλιν ὑπέστη, καὶ τέλος εἶπεν: ὑμεῖς κεκράξεσθε μὲν μέγιστον ὡς δυνατὸν, ἐμοῦ δ᾽ οὐ γεύσεσθε.

Quidam homo ignauus ad bellū proficiſcebatur, clamantibus autē coruis arma ponens, quieuit. Deinde recipiens rurſum exibat, & clamantibus rurſum ſubſtitit, & tandē dixit, vos clamate quidē maximè vt fieri poteſt, me verò nō guſtabitis.

Folio 341. De Philoſopho timido quod refertur, commemorauit de Carneade Laërtius ita:

μαθὼν τε Ἀντίπατρον φάρμακον πιόντα ἀποθανεῖν, παρωρμήθη πρὸς τὸ εὔθαρσες τῆς ἀπαλλαγῆς καί φησι: δότε οὖν κἀμοί. τῶν δὲ εἰπόντων, τί; οἰνόμελι εἶπεν.

Cum cognouiſſet Antipatrum venenum bibentem interiiſſe, incitatus fuit ad confidentiam exceſſionis,

ceſſionis, & inquit, date igitur & mihi. Illis verò inquientibus, Quidnam? Mulſum, dixiſſe.
Solebat autem idem crebro dicere: ἃ συμπήξασα φύσις καὶ διαλύσει. id eſt, Quæ compoſuit natura etiam diſſoluet.

Fol.343. De luna narratur à Plutarcho in conuiuio ſeptem ſapientum, ita:
καὶ ὁ Κλεόβουλος ἀλλὰ τοῖς μὲν σοφοῖς ἔφη, τὸ μέτριον ὁ νόμος δέδωκε, πρὸς δὲ τοὺς φαύλους ἐρῶ λόγον τῆς ἐμῆς μητρὸς, ὃν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εἶπεν. ἔφη γὰρ τὴν σελήνην δεῖσθαι τῆς ἑαυτῆς μητρὸς, ὅπως αὐτῇ χιτώνιον ὑφαίνῃ σύμμετρον. τὴν δὲ εἰπεῖν· καὶ πῶς σύμμετρον ὑφήνω; νῦν μὲν γὰρ ὁρῶσε πανσέληνον, αὖθις δὲ μηνοειδῆ, ποτὲ δὲ ἀμφίκυρτον. οὕτω δὴ ὦ φίλε χερσία καὶ πρὸς ἄνθρωπον ἀνόητον καὶ φαῦλον οὐδέν ἐστι μέτρον οὐσίας, ἄλλοτε γὰρ ἄλλος ἐστὶ ταῖς χρείαις, διὰ τὰς ἐπιθυμίας καὶ τύχας.
Et Cleobulus, At ſapientibus quidem, inquit, menſuram lex dedit. Ad prauos autem dicam fabulam meæ matris, quam ad fratrem dixit. Inquit enim lunam oraſſe ſuam matrem, vt ipſi tuniculam texeret conuenientem. Illam autem dixiſſe, Et quomodo conuenientem texam, Nunc enim video te plenam luce, mox verò lunatam, interdum autem vndique tumentem, ita ſanè, mi Cherſia, etiam ad hominem dementem & prauum, nulla eſt menſura rei, alias enim alius eſt vſibus, propter cupiditates & caſus.

Fol.344. Lyſandri dictum refertur à Plutarcho ἀποφθέγμασι βασιλέων his verbis: Μεγαρέως δὲ ἀνδρὸς ἐν κοινῷ συλλόγῳ παρρησίᾳ χρησαμένου

μένου πρὸς αὐτὸν, οἱ λόγοι σου, εἶπε, πόλεως δέονται.
Dictis regum. Megarenſi autem quodam in com muni conuentu libertatem orationis vſo erga ipſum, Sermones tui, inquit, vrbem deſiderant.

Folio 345. Herodotus Melpomena. Magnorum ſcelerum etiam magnas vindictas eſſe à diis.

Folio 347. De bubulco fabula extat apud Suidam, & iambicus trimeter,

τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν.

Et apud eundem alibi alius.

αὐτός τι νῦν δρῶν εἶτα τοὺς θεοὺς κάλει.

Manum apponentem deum inuocare.

Ipſe aliquid iam agens deinde deos inuoca.

Et folio 348. Neque pellem fortuito dabit aliquis accipiens deus vota facientibus. Intelligendum autem de vellere aureo apud Colchos.

Ibid. de Sole & Aquilone, ex Plutarchi præceptis nuptialibus:

ὁ ἥλιος τὸν βορέαν ἐνίκησεν, ὁ γὰρ ἄνθρωπος τοῦ ἀνέμου βιαζομένου τὸ ἱμάτιον ἀφελέσθαι, καὶ λαμπρὸν καταπνέοντος μᾶλλον ἔσφιγγε καὶ συνεῖχε τὴν περιβολήν. τοῦ δὲ ἡλίου μετὰ τὸ πνεῦμα θερμοῦ γενομένου, θαλπόμενος εἶτα καυματιζόμενος, καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ προσαπεδύσατο.
Sol boream vicit. Nam homo vento vim afferente, vt pallium auferret, & ſplendide afflante, magis aſtringebat, & continebat amictum. Sole autem poſt ventum calido exiſtente, caleſcens, deinde æſtuans, etiam tunicam cum pallio exuit.

Folio eodem, Sophoclea ſententia:

οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς
οὐδ' εὐρυνῶτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι,

ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ.

Non enim ampli
Neque lato dorſo viri minime falluntur,.
Sed ſapientes rectè, vincunt vbique.

Et Choliambi: Aquiloni ferunt ſolique talem contentionem extitiſſe, vter hominis ruſtici viatoris pallium exueret.

Folio 351. de luctu, Plutarchus παραμυθητικῷ, id eſt, conſolatione ad Apollonium:

φασὶ γάρ τινα τῶν ἀρχαίων φιλοσόφων εἰσιόντα πρὸς Ἀρσινόην τὴν βασίλισσαν, πενθοῦσαν τὸν υἱόν, τοιούτῳ χρήσασθαι λόγῳ, φάμενον, ὅτι καθ' ὃν χρόνον ὁ Ζεὺς ἔνεμε τοῖς δαίμοσι τὰς τιμάς, οὐκ ἔτυχε παρὸν τὸ πένθος. ἤδη δὲ νενεμημένων, ἦλθεν ὕστερον. τὸν οὖν Δία ὡς ἠξίου καὶ αὐτῷ τιμὴν διδόναι, ἀπορῶντα διὰ τὸ ἤδη καταναλῶσθαι πάσας τοῖς ἄλλοις, ταύτην αὐτῷ δοῦναι τὴν ἐπὶ τοῖς τελευτήσασι γιγνομένην, οἷον δάκρυα καὶ λύπας. ὥσπερ οὖν τοὺς ἄλλους δαίμονας, ὑφ' ὧν τιμῶνται, τούτους ἀγαπᾶν, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὸ πένθος, ἐὰν μὲν αὐτὸ ἀτιμάσῃς, ὦ γύναι, οὐ προσελεύσεταί σοι, ἐὰν δὲ τιμᾶται ὑπὸ σοῦ ἐπιμελῶς, ταῖς δοθείσαις αὐτῷ τιμαῖς, λύπαις καὶ θρήνοις, ἀγαπήσει τε, καὶ ἀεί τί σοι παρέξεται τοιοῦτον, ἐφ' ᾧ τιμηθήσεται παρὰ σοῦ συνεχῶς.

Aiunt enim quendam veterum philoſophorum ingreſſum ad Arſinoën reginam lugentem filium, tali vſum fuiſſe fabula, dicentem, Quod quo tempore Iuppiter diſtribuit diis honores, non fuerit fortè præſens luctus. Iam autem diſtributis, venit

poſter

poſterius. Iouem igitur, cum poſtularet & ſibi honorem tribui, ambigentem, propterea quod iam conſumpti eſſent omnes in aliis, hunc ei tribuiſſe qui ſuper mortuis fit, veluti lacrymas & dolores. Quemadmodum igitur alij dij, à quibus honore afficiuntur, eos amant, eodem modo & luctus, Si illum neglexeris, ô mulier, non accedet ad te, Sin afficietur à te accuratè attributis ſibi honoribus, doloribus & lamentis, diligétque & ſemper quiddam tibi præbebit tale, ob quod honore afficiatur à te continuè.

Ibid. de fluctuũ numeratore Lucian. ἑρμοτίμῳ τὸ γὰρ τοῦ μύθου ἐκεῖνο πάνυ σοφὸν οἶμαι, ὃν Αἴσωπος διηγεῖται. ἔφη γὰρ, ἄνθρωπόν τινα ἐπὶ τῇ ἠϊόνι καθεζόμενον, ἐπὶ τὴν κυματώδη, ἀριθμεῖν τὰ κύματα. σφαλέντα δὲ ἄχθεσθαι καὶ ἀνιᾶσθαι, ἄχρι δὴ τὴν κερδὼ παραστᾶσαν εἰπεῖν αὐτῷ: τί ὦ γενναῖε ἀνιᾷ παρελθόντων ἕνεκα; δέον τὰ ἐντεῦθεν ἀρξάμενον ἀριθμεῖν, ἀμελήσαντα ἐκείνων.

Lucianus in dialogo de ſectis. Illud enim fabulæ valdè eruditum, opinor, quam Aeſopus narrabat. Aiebat enim hominem quendam in littore reſidentem, ad fluctuans mare, numeraſſe fluctus. Deceptum autem grauiter tuliſſe & doluiſſe, donec quidem vulpecula aſſiſtens dixerit ei, Quid, ô præclare, doles præteritorum cauſſa, cum oporteat hinc incipientẽ numerare, negligentem illos.

Fol. 352. Fabula hirundinũ & olorum deſcribitur à Nazanzeno in quadam epiſtola his verbis:

Γρηγόριος Ναζιανζηνὸς Κελευσίῳ ἄρχοντι. Ἐπειδή μοι τὴν σιωπὴν ἐγκαλεῖς καὶ τὴν

ἀγροικ

ἀγροικίαν, ὦ καλὲ καὶ ἄτυχε, φέρε σοι καὶ μυθολογήσω μῦθον οὐκ ἄμουσον· εἴπως ἀλλὰ ταύτῃ γε δυναίμην ἐπισχεῖν σε τῆς φλυαρίας. Ἐπέσκωπτον αἱ χελιδόνες τῶν κύκνων, τὸ μὴ ἐθέλειν ὁμιλεῖν τοῖς ἀνθρώποις, μήτε δημοσιεύειν τὴν μουσικὴν, ἀλλ' ἀμφὶ τοὺς λειμῶνας διάγειν καὶ τοὺς ποταμοὺς, καὶ τὴν ἐρημίαν ἀσπάζεσθαι, καὶ βραχέα μὲν ᾄδειν, ἃ δὲ καὶ ᾄδειεν, ᾄδειν ἐν σφίσιν αὐτοῖς, ὥσπερ αἰσχυνομένους τὴν μουσικήν. ἡμῶν δὲ ἔφασαν, αἱ πόλεις καὶ οἱ ἄνθρωποι, καὶ οἱ θάλαμοι, καὶ προσλαλοῦμεν τοῖς ἀνθρώποις καὶ τὰ ἡμέτερα αὐτοῖς διηγούμεθα. ταῦτα δὴ ταῦτα τὰ ἀρχαῖα καὶ ἀττικὰ, τὸν Πανδίονα, τὰς Ἀθήνας, τὸν Τηρέα, τὴν Θρᾴκην, τὴν ἀποδημίαν, τὸ κῆδος, τὴν ὕβριν, τὴν ἐκτομὴν τῆς γλώττης, τὰ γράμματα, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸν Ἴτυν, καὶ ὡς ἐγενόμεθα ἐξ ἀνθρώπων ὄρνιθες. Οἱ δὲ μόλις μὲν αὐτὰς ἠξίωσαν καὶ λόγου, τῆς ἀδολεσχίας μισήσαντες. ἐπεὶ δὲ ἠξίωσαν, ἀλλ' ἡμῶν μὲν ἕνεκεν, ὦ αὗται, κἂν εἰς τὴν ἐρημίαν ἀφίκοιτό τις, ὥστε ἀκοῦσαι τῆς μουσικῆς, ὅταν αἴρωμεν τῷ Ζεφύρῳ τὰς πτέρυγας ἐμπνεῖν ἡδύ τι καὶ ἐναρμόνιον. ὡς εἰ μὴ πολλὰ καὶ ἐν πολλοῖς ᾄδομεν, ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο κάλλιστόν ἐστιν ἡμῶν, ὅτι μέτρῳ φιλοσοφοῦμεν τὸ μέλος, καὶ οὐκ ἀναμίγνυμεν θορύβοις τὴν μουσικήν. ὑμᾶς δὲ καὶ εἰσοικιζομένας οἱ ἄνθρωποι δυσχεραίνουσι, καὶ ᾀδούσας ἀποστρέφονται· καὶ μάλα ἐν δίκῃ· αἵγε οὐδὲ ἐκτμηθεῖσαι τὴν γλῶτταν δύνασθε σιωπᾶν,

ἀλλ' αὐτοὶ τὴν ἀφωνίαν ὑμῶν ὀδυρόμεθα, καὶ τὸ ἐφ' ὑμῖν πάθος, ἔπειτα ἐστὲ λαλίστεραι, τίνος οὐχὶ τῶν εὐγλώττων καὶ μουσικῶν; Συνίες ὅτι λέγω, φησὶν ὁ Πίνδαρος, καὶ ἀρίστην ἐμὴν ἀφωνίαν, ἀμείνω τῆς σῆς εὐλογίας. Παῦσαι καταφλυαρῶν ἡμῶν τῆς σιωπῆς, ἢ σοὶ παροιμίαν ἐρῶ μάλιστα μὲν ἀληθῆ, μάλιστα δὲ σύντομον, ὅτι τότε ᾄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσιν.

Gregorius Nazanzenus Celeuſio prætori. Quoniam mihi ſilentium exprobras & ruſticitatem, ô venuſte & vrbane, Age tibi etiam narrabo fabulam non ineruditam, ſi fortè vel ita poſſim coercere te à nugacitate. Irridebant hirundines olores, quod nollent verſari cum hominibus, neque vulgare muſicam, ſed circum prata degerent, & flúuios & ſolitudinem complecterentur, & pauca quidem canerent, quæ autem etiam canerent, canerent intra ſe ipſos, quaſi puderet eos Muſicæ. Noſtrum autem ſunt, inquiebant, vrbes, & homines, & cubicula, & obloquimur hominibus, & noſtra illis narramus. Illa quidem priſca & Attica, Pandionem, Athenas, Tereum, Thraciam, profectionem, luctum, contumeliam, exectionem linguæ, literas, & ſuper omnia, Ityn. Et quomodo factæ ſimus ex hominibus volucres. Illi verò, vix quidem has dignati fuerunt etiam ſermone, loquacitatem exoſi, poſtquam verò dignati fuerunt, At noſtra cauſſa, heus vos, Vel in ſolitudinem venerit aliquis, vt audiat muſicam, cum permittimus fauonio alas vt inſpiret ſuaue quiddam & concinnum. Quare etſi non multa nec inter multos canimus, At ipſum quidem hoc pulcherrimum noſtrum, quod modo philoſop

philoſophamur carmen, & non miſcemus turbis muſicam. Vos autem & commigrantes homines oderunt, & canentes auerſantur, ac ſanè meritò, quæ quidem neque exectæ linguam poſſitis tacere, ſed ipſæ amiſſionem vocis veſtram deplorantes, deinde eſtis loquaciores, quo non? diſertorum & muſicorum. Intellige quod dico, inquit Pindarus, Atque optimam meam infantiam, meliorem tua præclara locutione. Deſine offundere nugas nobis ob ſilentium, aut tibi prouerbium narrabo, maximè quidem verum, maximè autem conciſum, quod tum cantaturi ſint olores, quando monedulæ ſilebunt.

Folio 354. Talium eſt erratorum plena, vt mihi obuerſetur fatui ad cribrum quod dixit, Non reperire ſe vbi obturaret aut non obturaret. eſt autem locus in methodo medicationum lib. 1.

Folio 355. Capitur ſcilicet & ab infirmis celer, Et à teſtudine aquila breui tempore.

Folio eodem. De ſeruo fugitiuo, ex Plutarchi quæſtionibus nuptialibus:

ὁ τὸν δραπέτην ἰδὼν διὰ χρόνου καὶ διώκων ὡς κατέφυγε φθάσας εἰς μυλῶνα, ποῦ δ' ἂν ἔφη σὲ μᾶλλον εὑρεῖν ἐβουλήθην ἢ ἐνταῦθα;

Fugitiuum ſeruum conſpicatus poſt tempus, & inſequens, vt confugit anteuertens in piſtrinum, Vbi verò, inquit, te magis inuenire vellem quàm iſtic?

Deinde, de cane, ex ſympoſio Plutarchi.

ὥσπερ ὁ Αἰσώπου κύων, ὃν οὗτοσὶ φησὶν ἐν τῷ χειμῶνι συστρεφόμενον καὶ συσπειρόμενον διὰ τὸ ῥιγοῦν οἰκίαν ποιεῖν διανοεῖσθαι, θέρους δ' αὖ πάλιν ἐκτεταμένον καθεύδοντα φαίνεσθαι μέγαν

ἑαυτῷ, καὶ μήτε ἀναγκαῖον ἡγεῖσθαι μήτε μικρὸν ἔργον οἰκίαν περιβάλλεσθαι τοσαύτην.

Quemadmodum Aeſopi canis, quem iſte ait in hieme complicantem & contorquentem ſe propterea quod frigeret, domicilium facere cogitaſſe, æſtate verò rurſum extenſum dormientem, viſum eſſe magnum ſibi, ac neque neceſſarium duxiſſe neque paruum negotium, domicilium circundare tantum.

Folio 356. de Gallinaceo, ex Plutarchi libello de amore fraterno.

καθάπερ οὖν ἡ Αἰσώπειος ἀλεκτορὶς πρὸς τὸν αἴλουρον, ὡς δὴ κατ' εὔνοιαν αὐτῆς νοσούσης, ὅπως ἔχῃ πυνθανομένην, καλῶς εἶπεν, ἂν σὺ ἀποστῇς.

Sicuti igitur Aeſopica gallina ad felem, tanquam quidem ex beneuolentia, illa ægrotante, quomodo haberet, interrogantem, benè inquit, ſi tu diſceſſeris.

Folio eodem. de feriis & poſtridiana, ex Plutarchi libro de fortuna Romanorum.

ἐνταῦθά μοι μεγάλου καὶ φρονίμου στρατηγοῦ λόγος ἐπέρχεται Θεμιστοκλέους ῥηθεὶς πρός τινας τῶν ὕστερον εὐημερούντων Ἀθήνησι στρατηγῶν, καὶ προτιμᾶσθαι τοῦ Θεμιστοκλέους ἀξιούντων. ἔφη γὰρ τὴν ὑστέραν ἐρίσαι πρὸς τὴν ἑορτὴν λέγουσαν, ὡς ἐκείνη μέν ἐστι κομπώδης καὶ ἄσχολος, ἐν αὐτῇ δὲ τῶν παρεσκευασμένων ἀπολαύουσι μεθ' ἡσυχίας. τὴν οὖν ἑορτὴν εἰπεῖν· ἀληθῆ λέγεις, ἀλλ' ἐμοῦ μὴ γενομένης, ποῦ ἂν σὺ ἦσθα;

Hic mihi magni & prudentis Imperatoris fabula ſubit Themiſtoclis, dicta ad quoſdam poſterius florentium Athenis ducum, & præferri Themiſtocli

ſtocli poſtulantium. Dixit enim, poſtridianam contendiſſe cum feſta die, dicentem, quod hæc eſſet faſtuoſa & negotioſa, in ipſa verò præparatis fruerentur cum quiete. Feſtam diem igitur dixiſſe, vera narras, Sed me nõ exiſtéte, Vbi tu eſſes?

Folio 360. Infrenatarum faucium finis infelicitas eſt, in Bacchis.

Fol. 362. Faciat quis quam quiſq; norit artem.

Folio 364. Verſus Homeri, continere velle, vt aliquando ſolidum ſaxum aut ferrum. Poſtea ex Plutarcho lib. de garrulitate.

σιγὴ δὲ οὐ μόνον ἄδιψον, ὥς φησιν ἱπποκράτης, ἀλλὰ καὶ ἄλυπον καὶ ἀνώδυνον.

Eſt autem Locus Hippocratis ἐπιδημιῶν ϛ.

ἄδιψον, συνέχειν στόμα, σιγᾷν ἄνεμον σὺν τῷ ποτῷ ψυχρὸν εἰσάγειν.

Silentium verò non ſolum ſiti caret, vt ait Hippocrates, ſed etiam eſt expers moleſtiæ & doloris. & ex Hippocrate Epidemiorum VI. Sitim prohibet continere os, tacere, ventum cum potu frigidum attrahere.

Folio 365. λαμπουρὶς & πυγολαμπὶς, factum nomen vtrunque à ſplendore caudæ. vermiculi candicantes qui circa ſolſtitium nobis ſe oſtendunt.

Fol. 368. de inſula Gyaro legitur in Stephano.

Fol. 371. Prouerbij mentio fit,

δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον.

& Cicero Planco lib. 10. Culpa enim illa, bis ad eundem, vulgari repræhenſa prouerbio eſt.

Folio 372. Sine prudentia eſt ira, vnde ſæpe efficit quæ pœnitentiam ſequi neceſſe.

Item eodem. De vulpe & teſtudine. De regulo (qui eſt trochilus, vt videtur, hunc enim regem auium in Italia appellari, Plinius ſcripſit,

libro 8.cap.25. & lib.10.capite penultimo, vbi & diſſidere trochilum cum aquila tradit) narrat Plutarchus in παραγγέλμασι πολιτικοῖς, id eſt, præceptis ciuilibus, καθάπερ ὁ Αἰσώπου βασιλίσκος ἐπὶ τῶν ὤμων τοῦ ἀετοῦ κομισθεὶς αἰφνίδιον ἐξέπτη καὶ προέφθασεν &c. Vt regulus Aeſopi delatus dorſo aquilæ ad metam repente euolauit & anteuertit aquilam.

Folio 182. De Philippide comico, Plutarchus in libello de garrulitate:

ὀρθῶς οὖν Φιλιππίδης ὁ κωμῳδοποιὸς φιλοφρονουμένου τοῦ βασιλέως αὐτὸν Λυσιμάχου πρὸς ἑαυτὸν καὶ λέγοντος, τίνος σοι μεταδῶ τῶν ἐμῶν; οὗ βούλει, φησὶ βασιλεῦ, πρὶν τῶν ἀπορρήτων.

Rectè igitur Philippides Comœdiarum Poëta, amanter inuitante rege Lyſimacho ad ſe, & dicente cuiuſnam te participem faciam meorum? cuius vis, inquit, rex, præterquam non enunciandorum.

Folio 83. Multa nouit vulpes, ſed erinaceus vnum magnum.

Fol.383. De Cleomene rege Spartanorum, Herodotus ἐρατοῖ. Cui cum in quadam apud Aeginetas actione aduerſaretur Crios ciuis illius inſulæ, Cleomenes, vt Herodotus ait,

εἴρετο ὅτι οἱ εἴη τὸ οὔνομα, ὁ δὲ τὸ ἐὸν ἔφρασέ οἱ. ὁ δὲ Κλεομένης πρὸς αὐτὸν ἔφη, ἤδη νῦν καταχαλκοῦ ὦ κριὲ, τὰ κέρεα, ὡς συνοισόμενος μεγάλῳ κακῷ.

Interrogauit quodnam ſuum eſſet nomen, ille verò ſuum memorauit ei. At Cleomenes ad eum dixit, Iam nunc aduerſus æs, ô aries, cornua, tanquam conflictaturus cum magno malo.

Fol.

Fol.384.De vulpe & erinaceo,ex ſecundo Rhetoricorum Ariſtotelis : vbi & altera de equo exponitur,quas ambas ſubſcripſimus.

De Equo & Ceruo.

Ιππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος. ἐλθόντος δὲ ἐλάφου, καὶ διαφθείροντος τὴν νομὴν, βουλόμενος τιμωρήσασθαι τὸν ἔλαφον, ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον. ὁ δὲ φησιν, ἐαν λάβη χαλινόν. καὶ αὐτὸς ἀναβῆ ἐπ' αὐτὸν ἔχων ἀκόντια. συνομολογήσαντος δὲ καὶ ἀναβάντος ἀντὶ τοῦ τιμωρήσασθαι, αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ.

Equus tenebat pratum ſolus. Veniente autem ceruo & corrumpente pabulum : volens vlciſci ceruum , interrogauit hominem , an poſſet cum eo punire ceruum. At hic dixit, ſi accepiſſet frenum & ipſe conſcendiſſet in eum habens iacula. Aſſentiente autem & cum conſcendiſſet, pro vltione ipſe ſeruiit iam homini.

De Vulpe & Erinaceo.

Αἴσωπος ἔφη, ἀλώπεκα διαβαίνουσαν ποταμὸν ἀπωσθῆναι εἰς φάραγγα, οὐ δυναμένην δ' ἐκβῆναι, πολὺν χρόνον κακοπαθεῖν, καὶ κυνοραϊστὰς πολλοὺς ἔχεσθαι αὐτῆς, ἐχῖνον δὲ πλανώμενον, ὡς ἴδεν αὐτὴν κατοικτείραντα ἐρωτᾶν: εἰ ἀφέλοι αὐτῆς τοὺς κυνοραϊστάς; τὴν δὲ οὐκ ἐᾶν. ἐρομένου δὲ διὰ τί; φάναι, ὅτι οὗτοι μὲν

πλήρεις μου ἤδη καὶ ὀλίγον ἕλκουσιν αἷμα, ἐὰν δὲ τούτους ἀφέλης, ἕτεροι ἐλθόντες πεινῶντες, ἐκπιοῦνταί μου τὸ λοιπὸν αἷμα.

Aeſopus dixit, Vulpem tranſeuntem flumen expulſam in crepidinem cum non poſſet egredi, longo tempore afflictam fuiſſe, & pulices multos adhæſiſſe illi. Erinaceum autem errantem, vt vidit eum, miſertum interrogaſſe, an auferret illius pulices. Hanc verò non ſiuiſſe. Interrogante autem quamobrem? dixiſſe, Quod iſti quidem pleni ex me iam, & modicum trahunt cruorem, ſi verò hos abſtuleris, alij venientes eſurientes ebibent meum reliquum ſanguinem.

Folio 385. Fabula ex Xenophontis *ἀπομνημονευμάτων β*

εἶτα οὐ λέγεις αὐταῖς τὸν τοῦ κυνὸς λόγον; φασὶ γὰρ ὅτε φωνήεντα ἦν τὰ ζῷα, τὴν οἶν πρὸς τὸν δεσπότην εἰπεῖν, θαυμαστὸν ποιεῖς, ὃς ἡμῖν μὲν ταῖς καὶ ἔρια σοι καὶ ἄρνας καὶ τυρὸν παρεχούσαις, οὐδὲν δίδως, ὅ,τι ἂν μὴ ἐκ τῆς γῆς λάβωμεν. τῷ δὲ κυνὶ ὃς οὐδὲν τοιούτων σοι παρέχει, μεταδίδως, οὗπερ αὐτὸς ἔχεις σίτου. Τὸν κύνα οὖν ἀκούσαντα εἰπεῖν: ναὶ μὰ Δία, ἐγὼ γὰρ εἰμὶ ὁ καὶ ὑμᾶς αὐτὰς σώζων, ὥστε μήτε ὑπ᾽ ἀνθρώπων κλέπτεσθαι, μήτε ὑπὸ λύκων ἁρπάζεσθαι. ἐπεὶ ὑμεῖς γε, εἰ μὴ ἐγὼ προφυλάττοιμι ὑμᾶς, οὐδ᾽ ἂν νέμεσθαι δύναισθε, φοβούμεναι μὴ ἀπόλησθε. οὕτω δὴ λέγεται καὶ τὰ πρόβατα συγχωρῆσαι τὸν κύνα προτιμᾶσθαι.

Ex Xenophontis de dictis Socratis libro 2. Proinde non narras illis canis fabulam? Aiunt enim

enim cum vocalia eſſent animalia, ouem ad dominum dixiſſe. Mirum facis, qui nobis quidem, & lanas tibi & agnos & caſeum præbentibus, nihil das, niſi quod ex terra acceperimus. Cani verò, qui nihil huiuſmodi tibi præbet, impertis quem quidem ipſe habes cibum. Canem igitur audientem dixiſſe. Ita per Iouem. Ego enim ſum is qui & vos ipſas ſeruat, ne vel hominum furto pereatis, vel à lupis rapiamini. Nam vos quidem niſi ego cuſtodirem vos, ne paſci quidem poſſetis, timentes ne interiretis. Ita ſanè dicitur, etiam oues conceſſiſſe, canem præferri.

Fol.386. Locus eſt in Phædone Platonis quem ſubſcripſimus:

ὡς ἄτοπον ἔφη, ὦ ἄνδρες, ἔοικέ τι εἶναι τοῦτο ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἡδύ. ὡς θαυμασίως πέφυκε πρὸς τὸ δοκοῦν ἐναντίον εἶναι τὸ λυπηρόν. Τῷ ἅμα μὲν αὐτὼ μὴ θέλειν παραγίνεσθαι τῷ ἀνθρώπῳ. ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύο ὄντε. Καί μοι δοκεῖ, ἔφη, εἰ ἐνενόησεν αὐτὰ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι, ὡς ὁ θεὸς βουλόμενος αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο συνῆψεν εἰς ταυτὸν αὐτῶν τὰς κορυφάς. καὶ διὰ ταῦτα ᾧ ἂν τὸ ἕτερον παραγένηται, ἐπακολουθεῖ ὕστερον καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ οὖν καὶ αὐτῷ μοι ἔοικεν, ἐπειδὴ ὑπὸ τοῦ δεσμοῦ ἦν ἐν τῷ σκέλει τὸ ἀλγεινόν, ἥκειν δὴ φαίνεται ἐπακολουθοῦν τὸ ἡδύ.

Vltimo die vitæ ſuæ de vinculis emiſſum Socra-

tem, paulò antè quam venènum afferretur, triuiſſe manu tibiam Plato, & cum fricatione delectaretur, ſic locutum eſſe ſcribit: Quam res abſurda eſt, vt videtur, amici, id quod iucundum vocāt homines, ita mitifice ſeſe habet erga id quod moleſtum dicitur, contrarium iucundo. Ideo quia ſimul adeſſe ambo nulli volunt, & qui tamen ſecutus & adeptus vnum fuerit, eum neceſſe eſt admittere & alterum, quaſi duo illa vertice vno connexa ſint & vnita. Atque ego ſum in ea, inquit, ſententia, ſi horum ſenſus Aeſopum attigiſſet, compoſiturum illum fuiſſe fabulam eiuſmodi quandam, vt faceret, inter hæc deum pacem & amicitiam firmare voluiſſe, quod cum efficere non poſſet, ita hæc ad vnum verticem ac faſtigium deuinxiſſe.

Et deinde folio 386. de Cicadis in Phædro Platonico ita legimus:

ὥς ποτε ἦσαν αὗτοι ἄνθρωποι τῶν πρὶν μούσας γεγονέναι. γενομένων δὲ μουσῶν καὶ φανείσης ᾠδῆς, οὕτως ἄρα τινὲς τῶν τότε ἐξεπλάγησαν ὑφ᾽ ἡδονῆς, ὥστε ᾄδοντες ἠμέλησαν σίτων τε καὶ ποτῶν, καὶ ἔλαθον τελευτήσαντες αὑτοὺς, ἐξ ὧν τὸ τετίγων γένος μετ᾽ ἐκεῖνο φύεται, γέρας τοῦτο παρὰ μουσῶν λαβὸν, μηδὲν τροφῆς δεῖσθαι γενόμενον, ἀλλ᾽ ἄσιτόν τε καὶ ἄποτον εὐθὺς ᾄδειν ἕως ἂν τελευτήσῃ.

Quod aliquando fuerint illi homines eorum antequam Muſæ naſcerentur. Natis autem Muſis & apparente cantu, Ita ſcilicet aliqui hominum qui tum fuerunt, obſtupuerunt præ voluptate, vt canentes negligerent cibos ac potus, & fallerent, vitam finientes, ſe ipſos, ex quibus cicadarum genus

nus poſt hoc naſcitur, præmium hoc à Muſis adeptum, Nihil alimonia indigere natum, ſed ſine cibo & ſine potu ſtatim canere donec vitam finiat.

Rore autem cicadas paſci & Theocritus innuit, apud quem paſtor vnus alteri neglectionem vituli exprobrans, qui macilentus eſſet, inquit: Μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ. ſcilicet rore vt cicada paſcitur.

Folio 387.

Demes qui voluerit aduerſus potētiores contendere, Victoriaq́; priuatur, adq́; dedecora dolores patitur.

Fol. 383. Fabula hæc de Satyro, à Plutarcho aſſumitur in libello de vtilitate quæ ex inimicis percipi poſſit, de poëmate aliquo,

Τοῦ σατύρου τὸ πῦρ, ὡς πρῶτον ὤφθη, βουλομένου φιλῆσαι καὶ περιβαλεῖν, ὁ Προμηθεύς, τράγος γένειον ἄρα πενθήσεις σύ γε, καίει τὸν ἁψάμενον, ἀλλὰ φῶς παρέχει καὶ θερμότητα, καὶ τέχνης ἁπάσης ὄργανόν ἐστι τοῖς χρῆσθαι μαθοῦσι.

Quod ignem autem Ioui Prometheus ſubtraxerit clanculum,

ἐν κοίλῳ νάρθηκι λαθὼν Δία τερπικέραυνον,

Heſiodus tradit vt notum eſt.

Græcorum ſententia hæc eſt. Satyro ignem, vt primum conſpectus fuit, volente oſculari & amplexari, Prometheus, (inquit) Hirce, mentum igitur dolebit tibi, vrit attingentem, ſed lucem præbet ac calorem, & artis omnis organum eſt vti ſcientibus.

In caua virga fallens Iouem gaudentem fulmine.

Fol. 389. Quantum exercitia ad labores perferendos proſint, diſputatur copioſè in 2. Tuſcul.

Folio 390. mentio fit vnius teutonici prouer-

bijs

bij : & item alterius folio 393. Quorum prius ità ſolet pronunciari : Laut lachen gehet nicht von hertzen. Alterum ita: Des Scheffers wortzeichen.

Folio 395. Otioſum etiam alias animum otioſiorem facientes.

Fol. 397. Galen. περὶ διαγνώσεως τῶν ἐν ἑκάστῳ παθῶν. δύο γάρ, ὡς Αἴσωπος ἔλεγε, πήρας ἐξήμμεθα τοῦ τραχήλου, τῶν μὲν ἀλλοτρίων τὴν πρόσω, τῶν ἰδίων δὲ τὴν ὀπίσω, καὶ διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἀλλότρια βλέπομεν ἀεὶ, τῶν δὲ οἰκείων ἀθέατοι καθεστάμεν.

De cognitione in vnoquoque perturbationum. Duas enim vt Aeſopus aiebat peras appenſas geſtamus de collo, alienorum quidem priorem, propriorum verò poſteriorem. Et propterea aliena cernimus ſemper, propriorum autem haud ſpectatores conſtituimur.

Folio 399. Curuum lignum nunquam rectum.

Folio 401. Locus Herodoti in Thalia.

Folio 404. At eſt & ignis plus altero igne vrens, lupúſque ſæuior aliis lupis, & velocior accipiter accipitre in volando, extat alicubi apud Pauſaniam.

Folio 406. Multa inter ſunt calicem, cotylam, & labrum ſuum. eſt autem cotyla, hemina.

Folio 410. Difficile bonum eſſe. & verſ. Hom.

Talis eſt mens terreſtrium hominum
Qualem diem adduxerit pater hominumq́, deumq́.

Folio 412. Hircum mulgere, inter dicta Demonactis retulit Lucianus hoc modo:

ἰδὼν δέποτε δύο τινὰς φιλοσόφους κομιδῇ ἀπαιδεύτως ἐν ζητήσει ἐρίζοντας, καὶ τὸν μὲν ἄτοπα ἐρωτῶντα, τὸν δὲ οὐδὲν πρὸς λόγον ἀποκρινόμενον,

νον, οὐ δοκεῖ ὑμῖν ὦ φίλοι, ἔφη, ὁ μὲν ἕτερος τούτων τράγον ἀμέλγειν, ὁ δὲ αὐτῷ κόσκινον ὑποτιθέναι.

Conſpicatus autem aliquando duos quoſdam Philoſophos admodum ineruditos, in diſputatione contendentes, & alterum abſurda interrogantem, alterum nihil ad orationem (nihil appoſite) reſpondentem, Nónne videtur vobis ô amici, inquit, Alter quidem horum hircum mulgere, alter verò illi cribrum ſupponere.

Fo. 413. De Glauco locus eſt in ſecundo ἠλιακῶν. Patrem illius Demylum nominat Pauſanias, & filio plagis propè confecto acclamaſſe ſcribit, τὴν ὦ παῖ ἀπ' ἀρότρου. Quod alibi refertur, ita: παῖ, τὴν ἀπ' ἀρότρου.

Folio 414. Neque mihi mel, neque apes. Et: Neque Lydorum delicatos cibos, neque flagellorum ſtrepitus. Eodem ἀκκισμοὺς, tergiuerſationes ſimulationis & illas ineptias feſtiuitatis vulgaris notat vocabulum. Et mox, Scytha aſinum.

Folio 417. principium dimidium totius.

Folio 420. Verſus Homerici, Ιλ π.

Utinam Iuppiterq́ pater & Minerua & Apollo
Neq́ quis igitur Troianorum mortem effugiat quotquot ſunt,
Neq́ quis Argiuorū, nos autē euadamus interitum,
Ut ſoli Troiæ ſacra mœnia ſoluamus.

Folio 421. fumum fugientes in ignem delabi. De repubil. VIII.

Folio 422. Cretenſem agere erga Cretenſem.

Folio 423. De proditoribus. Hoc genus multum vſurpaſſe Philippum Alexandri patrem ferunt, cum odiſſet illos peſſime. Itaque quodam tempore quærētibus Olynthi proditoribus apud ſe, quod per contumeliam à Macedonibus proditores

ditores patriæ appellarentur, Eſt enim, reſpondit, illa natio inciuilis & ruſtica, atque ſuis nominibus res vocare quaſque ſolet, & vt Plutarchus retulit, σκάφην Macedones, inquit, σκάφην nominat.

Folio 426. Malo fortunæ guttam quam mentium dolium.

Folio 431. Initium medicari multo melius quam finem.

Folio 432. Non dignam eſſe medicationem dolore.

Folio 433. Sententiæ expreſſæ ſenariis latinis de Græca Sophoclis:

γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν ἢ σθένος χερῶν.

& altera Euripidis,

ῥώμη δ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.

Rationes plus valent quàm robur manuum.

Robur verò imperitum ſæpe parit damnum.

Et 434. de ſilentio, Plutarchus in præceptis bonæ valetudinis:

ὁ σιμωνίδης ἔλεγε, μηδέποτε αὐτῷ μεταμεληθῆσαι σιγήσαντι, φθεγξαμένῳ δὲ πολλάκις.

Simonides aiebat, nunquam ſe pœnituiſſe quod tacuiſſet, quod locutus autem eſſet, ſæpe.

Folio 445. Inſaniit autem vt aliquando Mars haſtam quatiens aut exitialis ignis. Verſus eſt Homericus.

Folio 446. Omnis actio ita habet. Ipſa per ſe dum agitur, neque honeſta neque turpis. ſed in actione quemadmodum quicque actum fuerit tale euadit. Honeſtè enim ſi agitur & rectè, honeſtum fit, Non rectè autem, turpe.

Quid ipſi in ædibus malum bonumq́ factum ſit. verſus Homericus.

Folio 447. Teutonicum prouerbium:

Es

Es gehoert mehr zum Tantz denn rote ſchuhe.

Folio 449. Ad verbum græca ita aliquis vertere poterit.

Malorum quidem quicunq; peritus fuerit
Scit hominibus quod quando fluctus
Malorum ingruerit, omnia timere ſoleat.
Cum autem fortuna feli iter fluat, confidere.
Eundem ſemper genium aſpiraturum eſſe fortunæ.

Hoc loco quin monerem facere non potui, reperiti in Græcis Aeſchyli verſibus in aliquibus libris non ἔμπειρος ſed ἔμπορος, quaſi exercitatum malorum negotiis dicas.

Folio 450. Verſus referuntur à Plutarcho, præceptis ciuilibus,

Inutilem ſanè me fecit in vati inando Deus
Et ab afflictis & in malis iacentibus.
Sapiens vocor, priuſquam patiantur autem, inſanio.

Folio 451. locus Ciceronis in oratione pro Roſcio Amerino.

Folio 452. Diodorus ita. ἔφη γὰρ, ἐρασθέντα λέοντα παρθένου διαλεχθῆναι τῷ πατρὶ τῆς κόρης ὑπὲρ τοῦ γάμου, τὸν δὲ πατέρα λέγειν ὡς ἕτοιμος μέν ἐστιν αὐτῷ δοῦναι, δεδοικέναι δὲ τοὺς ὄνυχας καὶ τοὺς ὀδόντας, μήποτε γήμας καὶ παροξυνθεὶς διά τινα αἰτίαν προσενέγκηται τὴν παρθένον θηριωδῶς, τοῦ δὲ λέοντος ἐξελόντος τούστε ὄνυχας καὶ τοὺς ὀδόντας, τὸν πατέρα θεωρήσαντα πάντα δι' ὧν ἦν φοβερὸς ἀποβεβληκότα τύπτοντα τῷ ξύλῳ ῥᾳδίως ἀποκλεῖναι. τὸ γὰρ πλησίον οὖν ποιεῖν καὶ τὸν αὐτίκγονον, μέχρι τούτου γὰρ ποιεῖσθαι τὰς ἐπαγγελίας, ἕως ἂν τῆς δυνάμεως κυριεύσῃ, καὶ κολάσῃ τοὺς ἀφηγουμένους.

id eſt,

id eſt. Inquit enim: Amore captum leonem virginis, verba feciſſe cum patre puellæ de coniugio. Patrem autem dixiſſe quod paratus quidem eſſet ipſi dare, metuere autem vngues & dentes, ne quando ſi illam duxiſſet & ita commotus eſſet propter aliquam cauſſam, adoriretur virginem vt beſtia. Cum autem leo exemiſſet ſibi vngues & dentes, patrem conſpicatum omnia propter quæ fuerat formidabilis abieciſſe, ferientem fuſte facilè interemiſſe. Propinquum enim quiddam facere etiam Antigonum, eatenus enim facere denuntiationes, donec copiis potiatur, & puniat ductores.

Folio. 453.

Non oportet leonis catulum in ciuitate alere,
Maxime quidem leonem non in ciuitate alere,
Sin enutritus fuerit aliquis, moribus inſeruire.

Folio 454. περιφερέας, quibus illud deſcribitur, vt cauus mons, antri eſt periphraſis. ſignificat autem ἐπιμηθέως nomen omnia ſera conſilia. Theognidis verſus hoc dicunt: Requiri in pecore bonam nationem ad ſobolem procreandam, cum parum curent homines vt coniugia apta & honeſta ſint, ſpectantes tantum diuitias.

Folio 460. Menandri verſus ita refertur.

Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.
Beatus qui patrimonium & mentem habet.

Verſus Euripidis ſunt in Medea,

Diuitijs autem affluentibus fortunatior
Alio fuerit alius, beatus autem nequaquam.

Et rurſus duo verſus prior latinus fact⁹ de Græco.

πολλῶν τὰ χρήματ' αἴτι' ἀνθρώποις κακῶν.

Poſterioris hic eſt ſenſus,

Peruerſum, eſſe diuitem & aliud nihil noſſe.

Folio

Folio 462 pulcra bis & ter vtilia.

Folio 465 Boni conſulere præſentia.

Folio 469. Cum ſint autem tria, opus, animaduerſio & victus, neque puniri quidem neque opus facere, victum autem habere, petulantiam excitat. Reliquum eſt itaque opera præbere & victum ſufficientem.

Folio 473. Opta non periculum facere amicorum. & Plutarchi libelli, de multitudine amicorum, & de amore fraterno. Apud Menandrum adoleſcentem ſupra modum laudamus, qui ait, mirabile quantum arbitrari bonum, quiſque ſi habeat amici vmbram.

Folio 475. Per deos (Caſtorem & Pollucem) intus aliquid eſſe oportet.

Ibidem ἀειδὲς τὸ ἀόρατον, id eſt viſum effugiens Plato vocat in Phædone.

Folio 501.

Non multos Aegyptus, cum autem genuerit magnum gignit.

Folio 503. Homeri verſus Ἰλιάδ. ν.

Veſtigia enim à tergo pedum atque tibiarum
Facile agnoui abeuntis. Et mox,
Fluentia in inceſſu.

Folio 516. De furto Mercurij. Si diuidantur 360. partes ſigniferi per 70. exeunt 5. & eſt reſiduum 10. Non enim diebus 365. annus plenè perficitur, ſed relinquitur aliquid, de quo quarto anno deniq; vnus dies intercalatur. Scripſit autem & Macrobius, inter Auguſtum & Septembrem quinque dies anno ſuo addidiſſe Aegyptios, & quarto quoque anno intercalarem.

Folio 532. Ἰλ. ε.

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής.
Tydeus quidem paruus erat corpore ſed bellator.

Ibidem Oraculi verſus græci,

κούρᾳ δ' ζεῦξον γαμβροῖν κάπρῳ ἠδὲ λέοντι.
οὕσκεν ἴδοις προθύροισι τεοῦ δόμου ἐξ ἱεροῖο
ἄμφω στείχοντας, μηδὲ φρεσὶ σῇσι πλανηθῇς.

Puellas iunge generis apro & leoni
Quos videris veſtibulis tuæ domus ex ſacra
Ambos vadentes, neque animis tuis erraueris.

[illegible]-
[illegible] Micaëlo Rotingo viro doctiſſimo, amico perueteri, S. D. P.

MEAS fabellas placere tibi valdè lætor, viro intelligenti & amanti bonarum artium, in quibus edendis id conſilium ſecutus ſum, quod neq; ab eruditionis, neque morum & vitæ cultu abhorreret. Atq; eſt nomen leue fabularum, & res, vt videtur, futilis: neque in opinione vulgari quanti fieri mereretur, tanti æſtimari ſolet. Sed nos iudicia doctrinæ ſpectemus, tibiq; & tui ſimilibus eruditis viris probari gaudeamus opellam noſtram. Com peri enim non paucos exiſtimare laborem hunc noſtrum non male collocatum fuiſſe, quod ſapientiæ præcipuam doctrinam explicare oratione non aliena à proprietate linguæ Latinæ videremur. Cum neque oratio expers bonorum ſententiarum, neque ſententiæ bonæ pronunciatæ deformi oratione, vel vtilitati, vel voluptati lectoribus eſſe poſſint. Quamuis, vt noſtra opinio fert, & ad laudabilem orationem rerum bonitas, & ad has illa neceſſariò conſequi ac concur

concurrere ſoleat. Nam quod tu etiam literis tuis celebras voluntatem meam, quæ magis complexus ſim commoditates ſtudiorum pueritiæ, quam materiam quandam laudis & gloriæ meæ: ita quidem ſe res habet mi Rotinge, vt non aliam ducam laudem, neque gloriam maiorem, quam adiutæ diſciplinæ puerilis: vtq; ad illa, quaſi faſtigia ſapientiæ, contendere non auſim, ita in hac quaſi humilitate ſtudiorum libenter & cupidè verſor. Quare ſi hoc, quod tu mihi tribuis, conſecutus ſum, nihil eſt quod requiram. Illud enim alterum, quaſi altiorum graduum, vt tu putas nunquam appetiui conſcientia infirmitatis meæ. Sed mihi etiam hæc opera comparata ad vſum pueritiæ non ex animi ſententia nauata fuit: nam iis temporibus, quibus libellus elaborabatur, multiplicibus negotiis diſtringebar, vt à cura & emendatione ſcriptorum creberrime, etiam profectionibus interdum abſtraheremur. Cùm autem, quantum quidem cauere poſſim, quenquam falli in hoc opere nolim, neq; ſi mea culpa erratum ſciam, reuocare, & corrigere minus liberè in hoc periculo eruditionis dubitem, quàm accepimus Hippocratem, apertè neſcio quod ſuum erratum curationis morborum, confeſſum aliquando fuiſſe: ideo retractatum hunc fabellarum libellum edere ſtatuimus, vt quæ corrigenda erant loca, nunc quidem emendatius ſuppeditarent. Ne verò hæc ingratiora eſſent, addidimus quandam adhuc turbulam fabularum Aeſopicarum, quas collegiſſemus, partim exceptas de ſermonibus aliorum, partim de monumentis literarum exquiſitas, partim etiam expreſſas cogitatione noſtra. Sed de autore, qui creditur & perhibetur huius generis, pauca diſſeramus. Viſum eſt hoc pleriſque Aeſopum quendam ingenio præſtanti, corpore deformi, Phrygem vel Thracem vel Samium hominem, conditione primum

 ſeruum,

ſeruum, mox liberatum, regibus carum fuiſſe. Eum condidiſſe in hoc genere elegantiſſimas narratiunculas, cum quidem illud antè à primis temporibus ſapientiæ vſurpatum fuiſſet. Hanc multorum conſenſionem & nos ſecuti ſumus. Sed quorundam non aliena penitus à veritate eſt opinio, fictum eſſe Aeſopi nomen & diuerſorum inuenta ſapientiæ, quaſi ſub perſona quadam deformitatis, qua Aeſopus ipſe introducitur, vt ſcimus, ad communem inſtructionem vel etiam caſtigationem propoſita fuiſſe, vt veritatis odioſa ſimplicitas & re & nomine ipſo obumbraretur. ydemq́; ipſum nomen quoque etymologia conſentanea interpretantur, deriuantes à veritate & bonitate præceptorum, & orationũ commoditate, quaſi ſit ἀοίτος : cui haud ſcio an forma nominis aduerſetur, id tamen ita fortaſſe non perperam intelligitur. Hoc quidem conſilio, à quocunq;, vel quibuſcunque tandem, fabulas iſtiuſmodi compoſitas eſſe conſtat, ſimul ætas vt imbecilior iucundis narratiunculis delinita veritate, & intelligentia virtutis inſtrueretur, (ὁ γὰρ μῦθος φιλοσόφημα παίδων ἐστί, ſecundum Syneſium) ſimul vt ferarum & ſaxorum voce atque ore moneretur, ac obiurgaretur humana improbitas, quæ ſapientiæ verbis aures præbere nollet. Ea enim prauitas eſt ingenij humani, vt ſeria dicta, & grauitate, cum orationis, tum ſententiæ prædita, tanquam inimica & contraria auerſetur: ſtultorum autem vel imperitorum inſectationes ſæpe etiam acerrimas, quaſi iocos & ludos libenter admittat. Dicit igitur aliquid Aeſopica, vel quaſi nutricula puero, vel ſicuti Morio regi, Vulpecula, aut Simiolus, aut Teſtudo, aut etiam Ranunculus, quo ille delectatur & eruditur, hic pungitur & admonetur. Veteres itaque, quod notum eſt, tantum huic eruditioni atq; doctrinæ tribuere, vt cum inſtitutionem hinc ordirentur, eum

demum

demum pro indoctiſsimo haberent, qui Aeſopica non didiciſſet, ſecundum illam Ariſtophanicam exprobrationem, οὐδὲ τὸν αἴσωπον πεπάτηκας. Dedimus autem operam, vt illa, quæ ἐπιμύθια dicũtur, accommodaremus fabulis eiuſmodi, quæ & apta, & quadam doctrina exquiſitiore tincta eſſent, communi tamen quodam modo, & ſimplici ratione, tam ſententiarum, quam elocutionis cuſtodita. Quæ pueros noſtros docemus variare, & ipſos nouas interpretationes quærere, & ſententia propoſita, fabulam comminiſci aliquam iubemus. quæ excercitationes ſunt principijs ſtudiorum conuenientiſsimæ. Deq́; his alio tempore copioſior edetur diſputatio noſtra, ſi quies erit & otium neceſſarium artibus & eruditioni. Nam hæc verè pacis ſunt alumna puerorum ſtudia, quorũ non ſolum corpora educat & auget pax, ſed animos etiam paſcit ac confirmat: quo nutrimento nullum eſſe præclarius poteſt, vt Heſiodus hac etiam ſententia εἰρήνην κουροτρόφον appellaſſe videatur. Addita ſunt & Aegyptiacæ quædam fabellæ, id eſt, philoſophicæ: talibus enim Platonem, & qui ſecuti eum fuere, ſtudioſè vſos eſſe animaduertimus. Itemq́; aliæ quædam narratiunculæ, quæ διηγήματα à Græcis appellantur. Hanc opellam noſtram, excitatus literis tuis, quibus priorem illam probares & collaudares, tibi mittere viſum Ringe, quam ſi fortaſſe alij contemnerent, & minoris putarent, quam à ſe vt legi talia cognoſciq́; oporteret, tuo cum Micaëlo, & Milij ornatiſsimi viri Iuſtino, & Chriſtophoro Laureæ noſtro optimis pueris communicares, illisq́; oſtenderes hoc genus diſciplinæ & literarum ipſis eſſe conuenientiſsimum, & tale, vt maximi facere, & totis animis diligere, ſummoq́; ſtudio complecti debeant. Et noſtram verò diligentiam in hoc, atque laborem, ſi videbitur, illos nequaquam contemnere docebis, adq́; nos amandos in-

rr 3 *ſtituei.*

ſtitues. Quem ſimiliter ſenſum erga vos, meis liberis ego inſerere ſtudeo, noſtra ſumma coniunctio & neceſſitudo ad poſteritatem etiam vt propagetur: ad quam ſucceſſionem illi ſi peruenerint, hæreditatem ſe adiiſſe non ſpernendam credere debebunt, cum hoc ſcilicet quod patribus ipſorum & ſuauiſſimum & non infructuoſum fuerit, in voluntatis, ſtudij, operæ communitate, ipſis relictum atq; conſeruatum fuiſſe cognouerint. Sed de poſteritate quid fiat, permittamus Deo, ego quidem αὐτῶς δέδοικα τῇ φρενὶ καὶ τῷ θυμῷ. Hæc autem ſtudia & artes has, ad honeſtiſſimam ſpem illius, ſi hominum etiam vecordia in ipſis deſpiciendis augeatur, nos tamen pro virili noſtra colamus & tueamur: euentum autem ἀφῶμεν, non quidem ὡς τύχην, ſed in Dei arbitrium atq; cõſilium, qui cum hanc quaſi ſementem virtutis & ſapientiæ, his temporibus ipſe profecto fecerit, non alienum fuerit, vt opinor, præclaram ſpem de meſſe quoque concipere, quamuis tempeſtates horribiles impendere, & calamitates extremæ timendæ eſſe videantur, τὸ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Sed de puerili mentione quo labimur: Valebis igitur mi Rotinge, & nos amabis: atq; hoc iudicium noſtrum, & hanc voluntatem mittendi tibi hunc libellum noſtrum boni conſules, vel illud potius probabis, atq; hanc gratam acceptamq; tibi eſſe patiere. Iterum vale. v. Nonis Februa ij. Anno 1539.

ÆSOPI PICTVRA EXPOSITA A PHILOSTRATO.

FRequentant Aeſopum fabulæ in ſingulari amore erga illum ſuo tanquam curatorem ſuum. Etſi enim neque Homerus,

merus, neque Heſiodus, ac ne Archilochus quidem inſectans Lycambem, fabulas neglexerunt, ab Aeſopo tamen omnia quę in rebus humanis conſideranda ſunt, ad fabulas fuerunt applicata. Hic intelligentiam orationis gratia attribuit beſtiis, dum & auaritiæ atque potentiæ cupiditates retundit, & vim atque iniurias repellit, itemq; fraudulentiam. Atque in his vtitur actore leone, vulpe, nec non equo, quinetiam ne teſtudo quidem apud hunc muta eſt. His pueri inſtruuntur cognitione rerum vitæ communis. Quapropter cum Aeſopi illæ opera laudem conſecutæ fuerint, frequentant fores ſapientis huius viri, lemniſcis illum vt redimiant, & vt coronent oleæ ramis. At hic interea, vt opinor, texit fabulam aliquam. Nam hoc vultus hilaritas, & oculi in terram defixi, indicant. Non fugit pictorem requiri à fabularum cogitationibus, animum remiſſum. Eſt autem erudita pictura in corporibus etiam beſtiarum: nam has commiſcens hominibus circundat cœtum communem Aeſopo de illius ſcena expreſſum. Caput verò cœtus vulpes pingitur, quod Aeſopus hac miniſtra in plæriſque commentis vtatur, non ſecus atque comœdia Dauo.

Φοιτῶσιν οἱ μῦθοι παρὰ τὸν Αἴσωπον, ἀγαπῶντες αὐτὸν, ὅτι αὐτῶν ἐπιμελεῖται. ἐμέλησε μὲν γὰρ καὶ Ὁμήρῳ μύθου, καὶ Ἡσιόδῳ, ἔτι δὲ καὶ Ἀρχιλόχῳ πρὸς Λυκάμβην. ἀλλ' Αἰσώπῳ πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμύθωται. καὶ λόγου τοῖς θηρίοις μεταδέδωκε, λόγου ἕνεκα. πλεονεξίαν τε γὰρ ἐπικόπτει, καὶ ὕβριν ἐλαύνει, καὶ ἀπάτην. καὶ ταῦτα, λέων τις αὐτῷ ὑποκρίνεται, καὶ ἀλώπηξ, καὶ ἵππος νὴ Δία. καὶ οὐδὲ ἡ χελώνη ἄφωνος. ὑφ' ὧν τὰ παιδία, μαθηταὶ γίνονται τῶν τοῦ βίου πραγμάτων. εὐδοκιμοῦντες οὖν οἱ μῦθοι διὰ τὸν Αἴσωπον, φοιτῶσιν ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ σοφοῦ, ταινίαις αὐτὸν ἀναδήσοντες, καὶ στεφανώσοντες αὐτὸν θαλλοῦ στεφάνῳ. ὁ δὲ, οἶμαι τινα ὑφαίνει μῦθον. τὸ γὰρ μειδίαμα τοῦ προσώπου, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ, κατὰ τῆς γῆς ἑστῶτες, τοῦτο δηλοῦσιν. οἶδεν ὁ ζωγράφος ὅτι αἱ τῶν μύθων φροντίδες, ἀνειμένης τῆς ψυχῆς δέονται. φιλοσοφεῖ δὲ ἡ γραφὴ καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα. θηρία γὰρ συμβάλλουσα ἀνθρώποις, περιίστησι χορὸν τῷ Αἰσώπῳ, ἀπὸ τῆς ἐκείνου σκηνῆς συμπλάσασα. κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται. χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ.

ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΕΝΤΥΧΟΝΤΑΣ τῷ νέῳ τούτῳ τοῦ βιβλίου Ματθίου γαρβιτίου Ἰλλυρικοῦ.

Δεῦρε νεογνὲ παῖς τοδὲ δὴ πολυειδὲς ἄθυρμα
 Ἀμφιέπων χρηστῶς νοῦν ἐπίθελγε σέθεν.
Ενθ' ἀριφραδέως δῆλ' ἐς πεπυκασμένα πάντα
 Εσθλοῖς ἠδὲ καλοῖς σύν τε καὶ εὐμαρέσι.
Ενθα φρονεῖν σε καλῶς τε καὶ ἤθεα κεδνὰ διδάξει
 ῥάβδου ἄτερ τ' ἐνιπῆς, πλάσμα μάλ' αἱμύλιον.
Τοὔνεκ' ἄρ' εὖ εἰδὼς τάγε μὲν κεχαρηότι θυμῷ
 παίγνια σῇσι λίαν ἄρμενα φρεσὶν ἕλε.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

PLacuit hoc loco adÿcere narrationem quandam fabulæ, quæ modo indicata mihi fuit, & viſa non indigna ſtudioſorum lectione, quocunq́ ſanè genere ſermonis (non indocto certè neq́ inepto) expoſita à Mariangelo Accurſio, viro erudito & ingenÿ facultate prædito ſingulari & induſtria laude excellente. Cuius ſunt ante annos X L. opera Romæ vſi illuſtriſſ. principes & ſingularis ſpei expectationisq́ fratres germani Ioh. Albertus & Gumpertus Friderici filÿ, Marchiones Brandepurgenſes, ambo præmatura morte erepti terris. Quibus eam quaſi narrans addidit ille operi dedicato principibus iſtis, cui titulum fecit Diatribas, occaſione, vt apparet, refutandi aliquos obtrectatores laborum ſuorum. Simul etiam hoc pacto ſtuduimus libellum iſtum elegantius concludi, vt in fine pura chartæ extarent,

rr 5 quæ

qua ſpecie expreſſa typis ſcripta non parum commendari nobis videntur. Hoc igitur & ipſum ſtudium diligentiæ noſtræ, ab amatoribus bonarum litterarum in optimam partem accipietur & gratum habebitur.

FAbulam ſpondenti auream, non fuit olim vitium inter amicos, aſſem petere. Tantus eſſe conſueuit aut honos luſibus, qui pecunia rependerentur, aut opibus deſpectio, quæ ludicris poſthaberentur. Et mehercule teſtimoniorum ſpeciem fabellas gerere, cum rem ſimilem edoceant, peripatetici opinabantur. Mihi verò (poſtquam etiam volentem cogunt) inter ſeria fabulaturo, gerraſq; germanas apud vos, Germani Principes, enarraturo, ſatis erit pretij, ſi quo ſemper animo eas ipſas eſſe aliquid putare conſueſtis, deq; fumo dare lucem contendiſtis, eo iam nunc operam dederitis, ſuperciliumq; veſtra dignum indole tantiſper poſueritis. Lutaria Teſtudo quantumcumque negligens, ac ſegnis, ingrata viſu, ac naturæ potius ludibrium, quam animal, non dubitauit in certamen curſus prouocare Vulpem, pedum gloria præſtantem, ſolertem ingenio, ſagacem animo. Placet nihilo ſecius oblata conditio. non quidem experiundi ergo tentandíue, ſed (qui mos ſæpe

etiam

etiam conſummatiſſimis cum perditiſſimis) ludificandi, animumq; curia remittendi. Et iam inito certandi ſtudio, primis vulpe ſummota carceribus, curſumq; capeſſente, eius caudæ furtim ſe innectit, atque implicat teſtudo. Sic iam vltima decurſa meta, reſpiciens vulpes, doli negligens, an æmula magno ſaltem interuallo, teſtudineoq; ſuo gradu ſequeretur, caudã quam reliqua membra (vt per conuerſionem fieri cõuenerat) iam tum in priorem, metæq; viciniorem partem conſtituerat, locoq; nouiſſimo admouerat. Qua cum ſeſe explicat teſtudo, ſimulq; illudens, ac tanquam in victoria, vici, vici, clamat, ἐδὲ ἡ χελώνη ἄφωνος, & te pedibus celerrimam præuerti, reflexa vulpes, præq; nouitate cunctata, nec oblita vetus illud verbum, Prius teſtudo curſu præueniet leporem, certè (inquit) tua te ſegnities nõ talem arguebat. Mox verſutiã tam inſidioſam augurata, ea ipſa cauda rurſus inſitam, iactatam contuſamq; identidẽ, tranſmiſſo campo, à calce (quod dicitur) ad carceres reuocat, inq; cœnum, paludemq;, tanquam pilam, retrahit ac retorquet. Sed cùm primũ ad ſe rediit, [redacted], O, me ſegnem, ait, audentemq; temere, quam

cum

cum tota ſupellectile ac domo, vulpes illa, illa inquam, meritis ludificarit modis. Nec ita multo poſt, cum cæterarum turba ſociam, eius caſum miſerata, conueniſſent, vna ante alias, vt erat rerum omnisq; in lacuna receſſus experientior, conſilio ſuadet, expedire ſuis, ne poſt amplius vulpe aliqua conſpecta tegumento corticis vel caput exerant, vel pedes ipſos, non per ſe ſolum tardos, ſed qui remorentur etiam nauigia, vt creditur, dexteros eorũ vehentia. Seſe igitur intra ſuam cuiuſque pelliculam contineant. Alioqui aut eſſe oppetẽdum morte, aut in Cretam inſulam migrandum, vbi nullæ vulpes inueniri, nec inuectæ viuere, creduntur. Audiſtis, ac riſiſtis (arbitror) apologũ Principes. Quorſum verò is euadat, operæ eſt vobis etiam cognoſcere, contemplaturis vna mecum, quo plerunq; boni cura fuerit redacta, qui ſtatus rerum, quíque ſint iam non æmuli doctrinarum, ſed inuidi, quantumq; inerti cuiq; ac ſordido in ſolertiorum nomen, ſurgentemq; famam peſſimo exemplo liceat. atq; ita fieri, vt non prius aliqua virtutis indoles in quoquam ſpectari, quam violari moribus inuidiæ cœperit. Quod ipſum vtinam à veri ſpecie adhorreret, fabulaq; foret. Primum vobis neq; mirum, neque

neque incredibile videri debet,eſſe R[redacted] hominum portenta,qui teſtudinum ingenia moreſq; referant, tametſi neque talia [redacted] Et eſſe quoſdam homines non re, ſed nomine [redacted].Sunt itaque [redacted] quos dixi tales,affecti corpus animumq; tabo,vſque adeo natura ipſi hebetes,ac viribus infirmi, vt vegetiores æquo pati animo nequaquam poſſint, & inuadere quoque (ſi Dis placet) inq; prælium vocare audeant, non tam freti, qualiſcunque ſpe victoriæ, quam vt victi, ſe certaſſe, glorientur. Sed nimirum illud euenit, vt audaci ſpe fruſtrati,auſuq; temerario in præceps acti, nō vllorum manibus, non ore plectantur, ſed à contemptiſſima, longeq; à ſenſu atq; oculis,& quota portione corporis (qualis cauda eſt in vulpe) diſtrahantur denique, verſentur, inq; cœnum domiciliumq;, illuuie condignum ſua, reuoluantur, ſemianimes quidem, ſed vt vitam viuere miſerrimam queant. quo ſint genti ſuæ documento,cæteris ludibrio.

*

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX FABVLARVM ÆSOPICARVM.

*

Ab apibus ictus 599
Abies & dumeta 279
Accipiter & luſcinia 253
Accipiter & colũba 306
Accipiter & luſcinia 387
Accipitrum pax 336
Adoleſcentes & cocus 107
Adoleſcens & equus 340
Adoleſcens improbus 404
Adoleſcens in luctu 427
Aegrotus & medicus 125
Aethiops 149
Agricola 305
Agricola theſaurum inueniens 153
Agricola & ciconia 212
Agricola & anguis 218
Agricola miles & mercator factus 323
Alcedo 355
Amatorũ altercatio 359
Amicus fallax 357
Amnis contemptor fontium 324
Amnium ſilentia 307
Amoris origo 308
Anguilla & anguis 311
Anguis & cancer 144
Anguis 174
Anguis & agricola 192
Anſeres & grues 138
Anſerinus inceſſus 398
Anus & iuuencula 446
Anus quæ laborabat ex oculis 103
Aper & vulpes 133
Aper & aſinus 228
Apicula & Iuppiter 274
Apicula deſertrix generis ſui 468
Auicula & meſſis 470
Apollinis tentator 98
Aquila & vulpes 83
Aquila & aues 426
Aquila & ſcarabeus 85
Aquila ſagitta confixa 187
Aquila & monedula 210
Aquila & cornix 234
Aquila & pica 313
Aquila & cuniculus 332
Aquila olim homo 344
Aquila & teſtudo 354
Aquila & Regulus 484
Aranea & hirundo 306

Aranea

Aranea & podagra 569
Arbores grandes & puſilla 310
Aries & taurus 332
Arionis & Delphini fabula 564
Arundo & olea 194
Aſinus & equus 136
Aſinus & muſtum 451
Aſini 171
Aſinus & rana 172
Aſinus & vulpes 171
Aſinus indutus leonina pelle 202
Aſinus & nauicula 401
Aſinus ſale onuſtus 171
Aſinus vulgi 222
Aſinus & olitor 126
Aſinus & leo 141
item 288
Aſinus ſilueſtris 170
Aſinus & vulpes 173
Aſinus & coruus 172
Aſinus geſtans ſimulacrum 200
Aſinus & catulus 237
Aſini pellis 258
Aſina febricitans 265
Aſinus & lupus 271
Aſinus controuerſus 303
Aſinus & vitulus 308
Aſinus, ſimia, & talpa, ſuam infelicitatẽ querentes 312
Aſini vmbra 411
Aſinus & corui 440
Aſinus ægrotans 325
Aſini vota 326
Aſini lapſus 328
Aſinus excors 370
Aſinus iudex 400
Aſinus & viatores 573
Aſinus Cumanus 574
Aſtrologus & viat. 207
Auarus 137
Auarus & familia 468
Auceps & Anguis 112
Auceps & caſſita 127
Auceps lippus 263
Auceps & fringilla 317
Aues & noctua 567
Auicula præcepta 286
Auium & piſcium fœdus 313

B

Bellerophontes 540
Bos & mus 301
Bos & iuuencus 302
Boues & leo 212
Boues & ilex 310
Bubulcus 185
Bubulcus Herculem inuocans 347
Buſiris rex Aegypti 452

C

Camelus 174
Camelus quæ cornua petebat 214
Cancer & vulpes 162
Cancri 275

Canes

Canes duo, venaticus & domeſticus 160
Canis & cocus 114
Canis & lupus 115
Canis & gallugallinaceus 116
Canis & cocus 183
Canis qui fruſtum carnis ferebat 213
Canis & ouis 188
Canis venaticus & moloßi domeſtici 417
Canis ruſticus & vrbani 314
Canis & lupus 256
Canis in præſepi 272
Canis mordax 276
Canis ſenex 299
Canis fugitiuus 315
Canis & ſus 318
Canis & paſtor 331
Canis rapta carne fugiens & adoleſcens 337
Canis domicilium 351
Canis lectulus 423
Canis quem paterfamilias innocenter interfecit 372
Canum erga feras odium 340
Canum conatus ebibendi mare 482
Capi 309
Capra & furioſus leo 200
Capra & lupus 281
Caprea 204
Carduelis 319
Carbonarius qui fullonem ad ſe inuitabat 95
Carnes ſuillæ 557
Caßita 133
Caßita & pulli eius 557
Cera 323
Cerua occulens ſe ſub vite 141
Cerui dimicantes & vulpes 362
Ceruus & leo 141
Ceruus altero oculo captus 140
Ceruus & ouis 245
Ceruus & boues 258
Charybdis 488
Cicada & formica 187
Cicada Platonica 386
Ciconia, mus, rana 492
Cochlea 150
Cohortatio ad iuſtitiam & pietatem 512
Columba 175
Columbarum cohors oppreſſa 388
Columba & cornix 175
Columba & pica 307
Conſultatio de oppido muniendo 476
Cornicis conſilium 325
Cornix & coruus 163
Cornix & canis 163
Cornix ſuperbiens alienis

nis pennis 210
Cornix 281
Cornix & coruus 490
Coruus & ſerpens 164
Coruus ægrotans 186
Coruus & vulpes 206
Corui & columba 447
Coruus & vulpes 288
Coruus & lupi 304
Crabro & mula 248
Crines alieni 222
Cuculus & accipiter 308
Cuculus & auicula 482
Cucurbita & palma 297
Culex & leo 197
Culex & taurus 201
Culex & apes 335
Cygnus canens 311

D

Depoſitum æs 367
De Pitÿ Lydi vxore ex Plutarcho & Herodoto 549
Diſsidium ventris & membrorum corporis humani 555
Diues & eius filia 176
Diuinator 120
Dominus aſper ſeruis 404
Duo bellatores 431
Draconis caput & cauda 483

E

Emptor & venditor 436
Equus & aſinus 178
Equus & ceruus 208
Equus nouitius 317
Equus & porcus 320
Erinaceus & vipera 330
Erinacei duo fratres 494

F

Fabula Aegyptiaca 501
Poëtica 526
Fatui cribrum 358
Fatuus lignator 403
Fatuus & eſſedum corruens 449
Faunus & viator 179
Felis limam lingens 152
Felis & gallus gallinaceus 90
Felis & mures 109
Feriæ & poſtridiana dies 356
Fiber 113
Ficus & ſpina 294
Fidicen 162
Filius dialecticus 476
Fletus & riſus 441
Floſculus & quercus 480
Fluctuum numerator 351
Fœneratores 409
Fœta canis 227
Formica & columba 121
Formica 168
Fraudulentus 100
Fur & canis 242
Fur & paterfamilias 358

Fures aſportantes gallum 162
Fur & ſicarius 419
Fur & carnifex 406
G
Galli gallinacei 196
Gallina & hirundo 173
Gallina auripera 189
Gallinaceus & vulpes 356
Gallina & perdix 93
Gallus repertor vnionis 187
Gallus gallinaceus, & equi 489
Gladius & viator 265
Gloriator 97
Glires & quercus 315
Glorioſus in ignauia bellator 224
Grus & pauo 279
Gula deditus 320
H
Hercules 528
Herus & canes 105
Hinnuleus 134
Hirci 265
Hircus & vitis 203
Hircus & erinaceus 292
Hircus & ſtatua ahenea 383
Hircus & cribrum 412
Hirundo & cornix 150
Hirundo in foro nidificans 211
Hirundo & luſcinia 218
Hirundo & auicula 239
Hirundines & olores 352
Hœdus & lupus 161
Hœdus & lupus 191.283
Hominum fabricatio 453
Homo & ſtatua 182
Homo & leo lapideus 199
Homo & felis 203
Hyſtrix & lupus 328
I
Ictis & vulpes 269
Ictus ab apibus 414
Imperitus 395
Inimici 108
Inuidus 280
Iſidis & Oſiridis fabula ex Plutarcho 510
Iuppiter volens verecundiam hominibus inſerere 160
Iuppiter & plebeij 467
Iuppiter & teſtudo 167
Iuuenis ſomniculoſus 221
Ixion 526
L
Lena & amator 363
Leo & rana 117
Leo, aſinus, vulpes 118
Leo & homo 429
Leo & viſus 119
Leo & lupus 143
Leo & vulpes 189
Leo ſopitus & mus 199

Leo, aper, vultures 200
Leo, iuuenca, capra, & auis 227
Leo ſenex 236
Leo & muſculus 238
Leo & ſimius 260
Leo & mus 322
Leo procus 451
Leo, aſinus, lepus 336
Leo hoſpes hominis, & homo medicus leonis 560
Lepores & rana 134
Lepores 168
Leporum concio 344
Leporinum caput 407
Leporis eruditio 432
Lepus & vulpes 330
Leporũ incrementa 477
Lignator & Mercurius 123
Liguritor cupidus boni vini 439
Luctus præmia 350
Lunæ preces 343
Lunæ nuptiæ 345
Lupus auſpicans 463
Lupi & canes 422
Luporum atque ouium pax 255
Lupus & ouis 168
Lupus & mulier 190
Lupus & grus 195
Lupus & agnus 214
Lupus & aſinus 216
Lupus & hædus 245
Lupus & vulpes arbitrũ ſumentes de lite 250
Lupus & vulpes 254
Lupus & hircus 271
Lupus & vrſus 254
Lupus ſuſpenſus 331
Lupus piſcis 333
Lupus ſaltans 339
Lupus & vulpes 419
Lupus & porcus 437
Luſcinia & accipiter 87
Luſcinia ab accipitre comprahenſa 335

M

Malus & pirus 131
Mala mutata peioribus, item in eandem ſententiam 400
Malum maiori malo correctum 418
Malum auctum iritatione 430
Mantica 397
Medicus & ægrotus 111
Medicus & mulier 366
Mellarius 154
Melampus 534
Mendaciorum expolitio 479
Merces anguina 378
Mercurius & ſtatuarius 158
Mercurius & Tireſias 159

Mergus & ſtella 457
Merula 150
Miluius & columba 241
Miluius affectator 403
Momus 485
Monedula & colūba 265
Monedula auolans 165
Mons parturiens 244
Montes aurei 491
Morio vapulans 440
Mortis nuntij 465
Mortuus & miſericors 474
Mula Lydia 337
Muliebris luctus 229
Mulier & gallina 106
Mulier & maritus ebrioſus 147
Mulier & ancilla 151
Mulier & nux 326
Mulier adoleſcentula nupta ſeni 456
Mulus 191
Mulus & lupus 266
Mures duo 231
Mures & felis 327
Murorum origo 365
Mus & rana 71
Mus in ciſta natus 305
Mus & miluius 329
Mus inter caricas 335
Muſca & caluus 246
Muſca & formica 249
Muſca & plauſtrum frumenti 475
Muſca melli implicita 158
Muſculus, felis & gallus 378
Muſtela & paterfamilias 250
Muſtela 300

N

Narratio Platonica 504
Narratio fabula ex Euterpa Herodoti 543
Nauta & mercator 415
Nauta volens agricola fieri 493
Noctua & ſol 386
Nux & vepres 459

O

Olitor & canis 143
Olla natans 278
Olla fictilis 283
Olor canens 148
Opifices 166
Opulētus & pauper 421
Oſcines 340
Oſiris 499
Otus & Ephialtes 530
Ouis & canis 384

P

Panthera 261
Pardus & vulpes 338
Parricida interitus 481
Paſtor & mare 130
Paſtor & lupus 145
Paſtor & oues 176
Paſtores conniuentes 339

Paſtoris

Paſtoris memoria 392
Paſtor & cocus 485
Pater & materfamilias 160
Pater & filius 413
Pater & filia 462
Pater & filius 471
Pater & filius litteratus 455
Pater & filia 415
Pater & filius ruſticus 416
Pauo & monedula 133
Pauo 261
Pauper nugator 360
Pediculi & pulices 474
Pedes & agricola 484
Philoſophus timidus 341
Piſcator aquas turbans 156.
Piſcator & Smaris 177
Piſcator tibiã inflans 185
Piſcatores ſaxum extrahentes 96
Piſcatores thunnum capientes 100
Piſcatores & teſtudines 304 *item* 574
Piſces in ignem ſalientes 312
Plauſtrum recens & vetus 389
Pluma recentes & veteres 418
Poma & ſterquiliniũ 183
Porcus & vulpes 298
Prometheus 496
Prometheus & Epimetheus 497
Puer & mater 129
Puer & ſcorpius 202
Puer qui viſcera comederat 201
Puer mendax 218
Puer fallax 280
Pulex 140
Pulex captus 275
Puſilla & deformis arbor 310

R

Rana crepans 251
Rana & ſirpiculi 408
Ranæ 100 & 154
Ranæ & Sol 207
Rana & Iuppiter 240
Rana & puer 401
Rex & ſubditus 219. 220
Rex & ſubditus opulentus. 220
Rex & ſimia 573
Robuſtus bos 410
Ruſtica anus & puella 409
Ruſticus & aſini 74
Ruſticus & filij illius 104
Ruſticus & eques 216
Ruſticus cadens de arbore 225
Ruſticus & miniſtri 406
Ruſticus adoleſcens & fluuius

fluuius 342
Ruſticus & ſimia 359
Ruſticus athleta 412
Ruſticus & muſca 420
Ruſtici & lupus 450

S

Saga 152
Satyrus & ignis 388
Satyrus & ruſticus 577
Scarabei & aues 316
Scarabeus & aquila 72
item 85 & 575
Scriptura incommoda 511
Scrofa & lupus 243
Securis & ligna 256
Senex & mors 102
Senex & concubina 209
Senex & adoleſcens 334
Senex & vxor adoleſcentula 370
Serpens vinctus 268
Serpētum renouatio 349
Seruus fugiens in piſtrinum 355
Simia 279
Simia & nati eius 282
Simiæ vrbem condentes 230
Simiæ ſaltantes 303
Simij & auicula 565
Simij & pardalis 576
Simiorum regnum 263
Simius & Delphinus 156
Simius & vulpes 217 & 295
Simius & Fabri 381
Simius & circulator 490
Sol & Aquilo 348
Somniatores 284
Sorex 460
Sthrutocamelus 211
Sthrutocamelus volans 292
Sus & canis 143.144
Sus & mus 202

T

Talpa 132
Talpa & mus 294
Talpæ deprecatio 478
Taurus & hircus 217
Tempeſtas in mari 418
Terra fœta 291
Teſtamentum ambiguum 495
Teſtudo & aquila 139
Teſtudo & rana 315
Teſtudo domigera 329
Teſtudo volatica 363
Thunnus & Delphinus 111
Tigris 301
Trabs & boues 319
Tubicen 193
Turdus & hirundo 314
Tydeus 531

V

Vaſculum mellis 394
Venator & paſtor 216
Venator & cerdo 321
Verecundiæ color 487

Verres & lupus 267
Vermiculus & vulpes 188
Verueces & lanius 262
Veſpa & perdices 132
Veſpertilio, rubus, & hirundo 122
Veſpertilio trãsfuga 252
Veſpertilio & felis 169
Viator 128
Viatores reperientes bipennem 153
Viatores 170. & 424
Viatores duo 435
Vicini duo 423
Vipera 298
Voluptatis & doloris affinitas 385
Votum quod ſolui non poßit 97
Vrſi educatio 453
Vrſi preceptum 276
Vrſus & apes 308
Vrſus, venator, lupus 369
Vrſus & vulpes 447
Vulneratus a cane 107
Vulpecula & tintinnabulum 368
Vulpecula & pardalis 572
Vulpecula 91
Vulpes & hircus 87
Vulpes & leo 99. & 438
Vulpes & ſentes 92
Vulpes & crocodilus 93
Vulpes in officina ſtatuarij 95
Vulpes & lignator 181
Vulpes, leo & aſinus 461
Vulpes & vua 265
Vulpes & ciconia 246
Vulpes & gallus 266
Vulpes & gallusgalinaceus 287
Vulpes & formica 288
Vulpes & anguis 289
Vulpes & lepus 333
Vulpes & muſtela 298
Vulpes & gallus diuinus 369
Vulpes & teſtudo 372
Vulpes grauedinoſa 381
Vulpes & erinaceus 383
item 384
Vulpes & paſſer 390
Vulpes & auicula 397
Vulpes & gallus 421
Vulpes damnata capitis 428
Vulpes & felis 572
Vultur 264

Capita præceptorum, ad quæ ſingulæ fabulæ referendæ, ſiue quid illæ docent, ſeu monent & indicant, ſeu ſubiiciunt: ſiue etiam commendant & laudant, aut contra repræhendunt & culpant. Item q; eorum ad quæ hortantur, & à quibus deterrent, & quorum euentus proponunt cognoſcēdos, ad iudicij conformationē & prudentiam.

Accuſatio 310
Accuſatio ſtulta 315
Adoleſcentia incogitantia & profuſio 456
Aequabilitatis 268
Affectatio pernicioſa 323
Affectatio ſtultitia 294
Affectationis damna 362
Affectationis incogitantia 210
Affectationis peruerſitas 237
Affectationis ſtolida 403
Afflictio malorum 337
Aliena culpantes 202
Aliena reddere 201
Aliis freti 471
Altercationes ſtulta 374
Altercationum mala 304
Amicitia 473
Amicitia iungenda 314
Amor metu excitatus 370
Amor ſui 397
Amoris periculum 278
Argutia 477
Arrogantia repreſſa 333
Arrogantia nocens 325
Arrogantia 267
Arrogantia leuitas 294
Ars & ratio 282
Aſſentationes 207
Aſſentationis fallacia 126
Auaritia 165.189.218. 280.317.358.359.363.
Auaritia damna 281
Auaritia fœditas 176
Auaritia inopia 148
Auaritia impietas 129
Audacia ficta 224
Audacia improborū 450
Audacia ficta 216
Aula 264

B

Barbaria 331
Beata vita 249
Benefici de alieno 184
Beneficorum cultus 256
Beneficia in malos collata 143
Beneficiorum obliuio 299
Blandimenta 228
Bonum amiſſum 305

Bona conſulenda fortuna 153
Bona cum malis 171
Bona diuerſa 279
Bona fortuna 310

C

Cedēdum potioribus 332. 383
Cedendum potentiæ 387
Calamitatis alienæ doctrina 119
Calliditas eluſa 288
Calliditas perfida 211
Calliditatis 236
Cauſſa mali 74
Cautionis 110.116.243. 330.331.340
Certa pro incertis 87
Certamen ſocordiæ & induſtriæ 222
Circumſpectio in fœderibus iungendis 314
Clauum clauo 422
Cōmercia impiorum 104
Commoda intercepta 120
Comparatio fortunæ 312
Communicatio operarum 179
Conatus ſtultitiæ 252.412
Concordia 212
Coniectura 161
Coniunctio diſſimiliū 279
Coniunctionis 213
Conſilij 240.288
Conſilia ſuſpecta 92
Conſiliorum vanitas 398
Cōſuetudinis 89.148.174
Contemptus 87
Contemptus pœna 338
Credulitatis 440
Credulitas & rapina principum 128
Cupiditatis & auaritiæ 107
Cupiditatum damna 175. 340
Cupiditatum & temeritatis 468
Cupiditatū vectura 340
Cura rei domeſticæ 259
Cura opulentiæ 234
Curioſi 121

D

Damnum vnius alteri prodeſſe 283
Damnorum doctrina 114. 131
Defenſionis 175
Deliberationis 231
Deſidiæ 347.468 474
Diſſidia improborum 250
Diſſidia malorū 337.419
Diſſimilia male coniungi 96
Diſſimilitudines 458
Diſſimulationis 440
Diſſimulationis cautæ 382
Diuinatores 121
Dolor verus 230
Domeſtica exempla 274

Dubia fides 291

E

Educatio neglecta 160
Educationis 336
Eruditionis 353
Euentus fortunæ incerta 280
Excellentiæ pericula 280
Exercitationis 421
Expectatio falſa 170
Exultatio leuitatis 246
Exultatio vana 342

F

Faceta prudentia 144
Faciendum quod noris 413
Facultatum neglectio 113
Fallacia 191 & 243
Fallacia & doli 108
Faſtidij 361
Faſtidij & dubitationis 465
Faſtidij pœna 320
Fatalia 171 & 436
Fati 418
Fœneratores 409
Feſtinata imperfecta 144
Fortitudinis 314 & 316
Fortuitorum amiſſio 222
Fortuna 410
Fortuna communis 94
Fortuna 100. 425
Fraudulentia 168.398
Fraus conuerſa 214.285. 358.303. & 368
Fraus in autorem 145
Fraus in ſe conuerſa 104. 113
Fruendum partis 178
Fuga periculorum 313
Fures 160
Futilitatis 154

G

Garrulitatis 360.364.&. 428
Gaudium vanum 260
Generis labes 192.& 338
Gloria cupiditas 139
Grati animi memoria 122
Gratificationes malorum 409.428
Gratia immerita 251
Gratia referenda 239
Gratia referenda 239
Gula 440

H

Honores immeriti 203
Hoſtium inſtructio 256
Humanitatis 319
Humilis leuitas 249
Humilium vſus 336
Humilitatis 310
Humilitatis elatio 131

I

Iactantia inanis 97
Impatientia 173
Impendij recuſatio 393
Imperitia 305
Imperitia glorioſa 152
Impietatis 99
Impoſtura 414

Improba humilitas 302
Improbi 202
Improbitatis 163.173.203. 386
Improbitatis auxilium 94
Imprudentia 397
Imprudentiæ defenſio 163
Impudentia ſceleſta 216
Impudentia 456
Impudicitiæ 167
Impunitas delictorum 130
Impunitas malorum 447
Inanis confidentia 344
Inanis gloria 383
Inanis gloria 146.271 357
Incogitantiæ & leuitatis 458
Inconſtantia 343.365.423
Incrementa ſubita 298
Inæqualitatis 323
Infortunium ſempiternum 258
Ingenij 348 & 373
Ingrati 196
Ingratorum pœna 141
Inimicitiarum & odij 109
Iniuria 316
Inſidiæ 307.327
Inſidiarum 381
Inſidiarum conuerſio 147
Inſignia turpitudinis 276
Inſtigatores 194
Intempeſtiua 340
Inteſtina damna 331
Inuidia 273.280.420
Iracundia 317.372
Iracundiæ principium 331
Iudicij peruerſitas 205
Iuuenilis inſolentia 105

L

Labor & voluptas 185
Laboris 105
Lædēdi alios ſtudium 347
Lætitia præpropera 97
Laus propria 279
Lenta prudentia 334
Leuitas audaciæ 265
Leuitatis 140.181.217.318. 371.387.407.& 446
Leuitatis & vanitatis 98
Libertas 257
Libertatis bonum 241.319
Lites ſtultæ 436.451
Litigationes 411
Loquacitas 314
Loquacitas damnoſa 266
Lucri cupidi 164
Lucri cupiditas 134

M

Magnitudinis animi 200
Malignitas diuitum 258
Malum alendo confirmatum 453
Malum autori peßimum 453
Malum auctum irritatione 435
Malum maiore correctum 418
Malum malo commutatum

tum 421
Malum mutatum maiore 141.418
Mali male pereunt 255
Mali ſui ipſius adiutor 187
Malo docti 441
Mala cum bonis 432
Mala male mutata 400
Malorum leuitas 437
Malitia potens 227
Mediocritatis 308
Memoria mali 193
Mendacij 93.166
Mendacij mala 274
Merces beneficijs reddita 378
Merces quam mali rependunt 218
Merces quam mali reddunt 319
Miſericordia 262
Moderationis 192. 234. 236.338.404
Moderationis principum 201
Monitorū refutatio 366
Mors 811.321
Mors æquo animo oppetenda 416
Mortis fuga 103
Mortis honeſtas 139
Mortē praui lædam 466
Multitudo imperantium 125
Muliebris luctus 230
Muſica 148
Mutatio animorum 448
Mutatio conditionū 127
Mutatores loci ſui 191.
N
Natura 162.169.204.308. 428
Natura aduerſari 292
Natura prauitas 462
Neceſſaria præ iucundis 335
Neceßitatis 218
Neceßitati obſequēdum 206.216
Neglecta ſalus communis 262
Numen diuinum 197
Nuptiæ indignæ 461.
O
Obliuio meritorum 328
Obnoxij diuitibus 297
Obedientiæ bonum 245
Obſeruantiæ 169
Occaſionis 188.191
Ocium ſapientiæ 385
Occulta vis 475
Odium malorum & vanitatis 125
Odij meriti 183
Opinionis 362.421
Opinionis damna 362
Opinionis error 155.168
Opulentiæ incōmoda 296
Opulentiæ moles 118

Often

Oſtentationis 417

P

Parentum cultus 430
Par pari 326
Paruitas vtilis 237
Paruorum neglectio 220
Patientia 97.309.318.351. 390
Patrocinia malorum 242
Paupertatis commoda 309
Pax vera & non vera 291
Perfidia 255.462
Perfugium non tutum 259
Periculi 361
Periculi vitatio 414
Pertinacia cupiditatum 153
Pertinacia 431
Peruerſitatis 155.161.177
Petulantia 461
Plures mali 454
Pœna nimia 328
Poſſeßio 228
Poſteritatis damna 408
Potentiæ cedendum 168
Potentia nocentes luſus 401
Potentiæ peccata 339
Potentiæ vſus 227
Prauitas naturalis 145. 149
Prauitas remouẽda 275
Prauitatis 107.174.183. 428
Præceptorum bonitas & neglectio 256
Præpoſtera 210.403
Præpoſtera & intempeſtiua 185
Præpoſtera & ſera 112
Præſentia animi 335
Prætextus honeſtatis 212
Preces nocentes 350
Preces ſtultæ 214
Principij difficultas 417
Principum peccata diſsimulanda 408
Principum virtus 153
Priuati commodi reſpectus 476
Procraſtinationis 219
Procraſtinatores 343
Prodigi 304
Proditionis pœna 423
Prouocata probra 249
Prudentia 89.102.133.169. 301.330.352.432.448
Prudentiæ auxilium 116
Prudentia cautio 190
Pugnantia 210

Q

Quietis bonum 219

R

Res & verba 289
Reſpectus ad ſua 123
Ridiculum 244
Ruina de alto 197

S
Salus communis 389
Sapientia nimia & præpoſtera 208
Sapientia præpoſtera 392
Scelerum merces 269
Securæ audaciæ 322
Securitatis 450
Sera conſideratio 354
Serum 150
Serus interitus 126
Seruitutis mala 176
Similitudinis 401
Simplicitatis 308
Simulationis 182.265.326 415
Socij infideles 173
Societatis 154
Solamen in malis 111.135
Solicitudinis 425
Sordes 370.469
Species 263.294
Species fallax 327
Species fluxa 212
Spes falſa 214
Spes peruerſa 315
Spei fruſtratio 151
Splendoris fuga 136
Stolidi incauti 371
Studia humanitatis 435
Studij 355
Stulta ſuperbia 221
Stultorum elatio 202
Stultorum ſapientia 272.242.
Stultitia ſeipſam prodens 172
Stultitia ſpecioſa 95
Stultitiæ 207
Stultitiæ contentio 163
Stultitiæ exultatio 143
Stultitiæ pœna 149
Subditi protegendi 306
Succeſſus 413
Succeſſus inutiles 188
Superbæ crudelitatis 51
Superbiæ 197.460
Superbiæ damna 283
Superbiæ & cupiditatum cæcitas 427
T
Tarditatis 183
Temeritatis damna 301
Tempori ſeruiendum 195
Tenues contenti ſuo 167
Terrores vani 118
Timiditatis 134
Triſtia vtilia 424
Turbulentiæ 156
V
Vani conatus 308
Vana oſtentatio 188
Vanitas vitæ 445
Vanitatis 132
Vanitatis improborũ 132
Vanitatis & mendacij & gloriæ 157
Vanitatis oſtentatio 478
Venter 299
Vicini 328

Vind.

Vindicta praſens	555	*Vltio ſcelerum*	298
Vindicta cupiditatis	208	*Vni non omnia*	263.334
Vires	150	*Voluntas*	243.305
Virtus	410	*Voluptates coërcēdæ*	399
Vis ineuitabilis	261	*Voluptatis damna*	158. 265
Vis irrita	246	*Voluptatum damna*	281
Vitia in mores	410	*Vota ſtulta*	182.306
Vitiorum fuga	406	*Vota ſtultitia*	346
Vitioſa	354	*Vſus verus*	388
Vltio diuina	72.85.101. 253.345.405	*Vulgi iudicia*	224

FINIS.

FARNE... ALFREDO
Le... i Libri
A
Via S. ... da Tolentino

Google